UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...

Ortega, Cristóbal de

Lugduni, M.DC.LXXX.

Dispvtatio I. De prædeterminatiuis creatorum actuum liberorum præfinitionibus Thomisticis vniuersim.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94274

Visual Library

CONTROVERSIA III.
DE DECRETO, QVO AD Liberas creatarum voluntatum actiones absolutas Deus absolute concurrit.

AD plenam obiecti contingentis conditionatam futuritionem ac subinde conditionatæ, seu mediæ scientiæ de ipso notitiam instituenda controuersia hæc fuit. Siquidem hypothesis, quam futuritio conditionata contingentis essentialiter concernit, ea omnia continere debet, quæ ex parte actus primi ad eiusdem contingentis absolutam futuritionem necessario, & absolute debent præcedere: In quibus decretum Dei de concursu, quantum ex parte sui opus est, vt creatæ voluntates exercere se, atque operari valeant proculdubio clauditur. Spectabat quidem materiæ iure controuersia hæc ad eas, quæ de Dei voluntate postmodum habebimus, sed voluimus eam controuersiæ de scientia separatim, & immediatius adiungi; ne hoc, quod vnice ad controuersiam celebrem de scientia media plene penetrandam disputandum nobis superaret, longius quæreretur. Agemus primo de prædeterminatiuis actionum creaturarum liberarum præfinitionibus Thomisticis vniuersim. Secundo de eisdem præfinitionibus ad materiale peccati. Tertiò demum, eis iam ablegatis, de statuendo decreto Dei ad eiusmodi actiones.

DISPVTATIO PRIMA.

De prædeterminatiuis creatorum actuum liberorum præfinitionibus Thomisticis vniuersim.

ACERRIMAM sane cum Recentioribus Dominicanis Thomistis disputationem aggredimur: & quam rationibus Philosophicis, & Theologicis transigere decreueram: quibus factis, superque præsidij ad doctrinam nostram eiusmodi præfinitiones negantem, & quotidianis disputationibus, & diuturna earum meditatione adesse recognoueram. Cum autem ex huius rei examine accurato pendere scientiæ etiam mediæ firmitatem, ac certitudinem, & claritatem viderem (cum præfinitio prædeterminatiua apud hosce Thomistas decretum diuinum concurrendi cum creato ambitio sit: quod subinde per ipsos in hypothesi, seu pro conditione ad actiones voluntatis creatæ conditionatam futuritionem sit apponendum; atque ita positum pro eo statu aboliturum videatur earum libertatem) ac insuper rem hanc tam à nostris, quam à Dominicanis longissimis tractatibus, tomis apologeticis multa scripturæ, Patrum, Authorum, & historiarum eruditione disputari: vtilitati publicæ operæ pretium præstiturum me censui, si nihil ab alterutra schola Thomistica inuentum, scriptumque momenti alicuius fuerit, præsenti disputatione omitterem nostratiaque nonnulla, tum ab authoritate, tum à ratione (quod in re adeo trita, atque vndique à viris ingenio, & doctrina præstantissimis versata difficillimum, nobis etiam videbatur) subiungerem: Nec, qui nostram hanc disputationem solis testimoniorum citationibus legat, bibliotheca opus habeat, vt fidem nobis adhibeat: neue æquus rerum æstimator non audietis plene partibus de tanti ponderis rebus iudicium pro alterutra ferat. Atque ita demum fiet, vt fidem controuer. 2. d. 6. præfatione obpignoratam, haud auare, liberemus: nihilque ad dilucidam scientiæ nostræ mediæ intelligentiam desideretur.

Vt autem nihil in re præsenti indisputatum relinquam, & obscurum, de præfinitionibus hisce prædeterminatiuis actionum omnium à voluntate creata procedentium ex generali omnibus principio, de earum in actu secundo & creati arbitrij in actu primo libertate agam: ex quo scripturas, Patres, Concilia, atque Doctores hactenus de præfinitionibus hisce, vel disputarunt, vel disputandi nobis semina iecerunt. Hoc enim principium, tam bonis, ac meritoriis, quam prauis nostris actionibus commune est: cum nec virtus, nec vitium, nec meritum, nec demeritum absque arbitrij, ac subinde actionum eius libertate, possit in ipsis reperiri. De bonorum vero, vel malorum operum nostrorum prædeterminatiuis præfinitionibus ex peculiaribus cuique eorum principiis, nec ad indifferentes (si quæ sint) actiones pertinentibus, disputandum nobis postmodum erit. Quæstiones igitur disputationis huius sic ordinabo. Vt primo: an præfinitiones prædeterminatiuæ per scripturam sacram sensu, quo eius loca communi consensu interpretantur Patres, & Doctores, explorato catholici, liceant videamus? Secundo: an liceant ex Patrum concordi sententia? Tertio: an ex Conciliorum, & Pontificum decretis, & definitionibus? Quarto, an per Academias, & Sanctæ Inquisitionis, fedisque Apostolicæ sensum? Quinto: quatenus per veram Scholam Thomisticam per S. Thom. Magistrum sententiarum, & Philosophos. Sexto quatenus per scholas alias, & religiosas familias? vbi ad purum vtriusque sententiæ authores numerantur. Septimo: quatenus liceant per rationem à libertate petitam? Octauo specialiter: an liceant per alias philosophicas, & theologicas rationes cum generales, tum actibus bonis peculiares?

QVÆSTIO I.

An præfinitiones prædeterminatiuæ actionum voluntatis creatæ per sacram liceant scripturam?

PRIMA, præcipua, & propriissima Catholicæ nostræ Theologiæ principia scripturæ sacræ testimonia sunt: quare in Theologicis disputationibus (præsertim grauibus, & quæ ad fidei nostræ dogmata videntur concernere stabilienda spectant) rigidum eorum examen primo loco habendum est, idcirco grauissimam disputationem, & dogmata fidei humanorum actuum libertatem concernentem, ab exacto, ac rigido testimoniorum sacræ scripturæ examine, non perfunctorio quidem, sed ex instituta tota integra, iustaque quæstione habendo, merito inchoamus: præmissa tamen præfinitorum doctrina, & ipsorum in eis asserendis conuenientia.

CERTAMEN I.

Asserentium præfinitiones conuenientia quæ est, esseque debet.

1. DIximus: in his præfinitionibus, & voluntatibus Dei efficacibus de absoluta contingentis futuritione antecedenter connexis cum ipso, & omnino independenter ab vsu libertatis à Deo conceptis, & habitis Thomistas recentiores omnes Dominicanos, & alios, qui ex eorum schola amant censeri, vnanimes conuenire: & si eorum etiam Doctores doctrinam hanc vniuersim non admittant: quia præfinitiones ad materiale peccati aliunde; quam è libertatis nostræ læsione (quæ communis est præfinitionum nostrorum contingentium difficultas) è diuinæ scilicet bonitatis indecentia magnopere exhorrent, vt videbimus disp. 2. quæst. 1. vbi ex hac parte præfinitiones ad materiale peccati confutabimus, atque inde præfinitiones contingentis cuiusvis vniuersim. Si enim, vel vnum futurum contingens sine sui præfinitione absolute potest in sua futuritione absoluta consistere omnia absque vlla sui præfinitione consistere posse euidens est: cum præfinitionum futurorum contingentium fundamenta omnia generalia pro omni futuro contingenti sint: quare in nullo eorum contingentium deficere queunt, quin in omnibus, & pro omnibus deficiant, vti ex dicendis in sequentibus quæstionibus clarebit. Quo circa duriores Thomistæ, qui ad omnia contingentia, etiam materiale peccati, suas præfinitiones extendunt, consequentiùs aliis eas ad materiale peccati solummodo negantibus, me iudice discurrunt; Hi vero longe illis sunt in Deum reuerentiores; sed de hac re, & eorum differentia fuso calamo citata quæst. 1.

2. Ad rem ergo, in qua conueniunt: circa præfinitiones in materia, qua vnusquisque eorum eas admittunt differentia, quæ in mediis, quibus ex his præfinitionibus apponenda absoluta contingentia in executione sunt, inter eorum aliquos intercedit, nullatenus est, esseve potest. Etsi enim ex eis nonnulli media necessario prærequisita executiua absolute futuri contingentis præfiniti auxilium physice ab intrinseco sui efficax antecedens natura, atque omnino ab vsu nostræ libertatis independens, seu physicam prædeterminationem voluntatis ad eiusmodi absolutum contingens, cum eoque physice, ac metaphysice connexum designent; Alij vero mitiora alia executionis media sufficere, ac necessario ad executionem futuri absolute contingentis præcedere defendant; nempe prædeterminationem moralem solum, seu moraliter solum efficax auxilium, moraliterque solummodo cum illo connexum admittant: tamen, cum hi, & medium hoc ex præfinitione illa, & decreto de se se efficaci contingentis absoluti necessario prouenire defendant, eidem difficultati de læsione physica libertatis creatæ sunt obnoxij: Etsi enim media illa executiua suauiora, physice de se se cum negatione consensus, connexa physice non sint, quare, & sint componibilia subinde cum physica voluntatis libertate; cum tamen decretum efficax de se se, atque adeo physice, & metaphysice cum contingenti absolute natura, & ordine causalitatis connexum necessario supponant: supponunt iam antecedentem physicam, & metaphysicam negationis futuri contingentis impossibilitatem omnino independentem ab vsu libertatis: quare eorum suauitas mediorum, quæ futuritionis contingentis ferreum vadem, & flecti nescium illum habet fideiussorem tacendæ libertati nihil prodest: proinde nullo operæ pretio difficultatis è libertate arbitrij contra physicam prædeterminationem petitæ emolliendæ suam doctrinam deserunt: cum in præfinitionibus eidem subiaceant. Simili deceptione Scotistæ aliquot capiuntur. Qui ob libertatis argumentum auxilia physice efficacia ab intrinseco, seu physicam prædeterminationem cum Scoto, & suis auersantur: & tamen præfinitiones Thomisticas eidem difficultati obnoxias à reliquis suis deficientes tuentur.

3. Sed tamen inter Thomistas de loco, in quo præfinitiones istæ ad futuritionem contingentis conditionatam adhibenda sunt, nonnulla est differentia. Etenim Nauarrete tom. 1. controuer. 56. §. 1. Aluarez d. 7. de auxiliis num. 29. docent præfinitiones hasce cum reliquis absolute prærequisitis ad futuritionem contingentis absolutam exequendam in hypothesi ponendas esse docent ad conditionatam futuritionem eiusdem. Bañes vero 1. p. quæst. 23. art. 3. fine §. *Ad motiua.* Zumel ibi quæst. sua 3. fine & 1. 2. quæst. 111. d. 13. ad primum, negant apponendas in hypothesi cum reliquis absolute prærequisitis ad absolutam contingentis futuritionem; sed tam præfinitiones diuinas, quam futura nostra contingentia sub conditione vocationis futura esse; ponique subinde in scientiæ conditionatæ obiecto debere. Alij Thomistæ in vtramque claudicant partem. Nam Cabrera 3. p. quæst. 62. art. 1. d. 12. num. 75. §. 4. & num. 107. Ledesma d. 2. de scientia futurorum fine ad argumentum 3. citatis Aluarez, & Nauarrete consentiunt, & præfinitiones in hypothesi ad conditionatum contingens iuxta primum modum constituunt. Iidem vero Cabrera d. eadem num. 169. & prius ad quæst. 18. art. 4. dub. 9. ad 1. & Ledesma de auxiliis art. 12. ad 1. num. 254. non ex parte conditionis & hypothesis cum vocatione; sed ex parte consensus, seu contingentis conditionati nostri sub hypothesi præfinitiones hasce collocant, iuxta Bañes, & Zumelis modum secundum. Cæterum cum ipsorum doctrina physica voluntatis nostræ ad consensum, aut dissensum contingentem prædeterminatio, siue auxilium efficax illum antecedens ab eius contingentis præfinitione tanquam ab vnica totali & necessaria causa procedat, nequit ad idem posterius naturæ, pro quo futurum à nobis contingens est, neque in statu absoluto, quare neque in conditionato pertinere; sed necessario in statu absoluto, & præfinitio, & prædeterminatio, seu auxilium efficax debent ante contingens futurum ac subinde in conditionato debent ad ipsum conditionate futurum ex parte etiam antecedentis in hypothesi supponi: cum verum apud omnes, etiam Thomistas, principium sit: omnia principia necessaria, & prærequisita essentialia ad futurum contingens debere in hypothesi poni supponiue ad idem conditionate futurum.

4. Etenim quouis ex prærequisitis sublato siue absolutè, siue ex hypothesi consensus ex ipso antecedenti est impossibilis: siquidem, quouis sublato ex necessariis ex parte principij, si effectus sit, esseve possit, id quod ex parte principij defecit, necessarium non esse concluditur, quod suppositioni contradicit. Si autem sine illo, nec sit, neque esse possit, vt contendimus, in aliis, quæ siue absolutè, siue in hypothesi remanent, non manet principium absolutè sufficiens. Nam sufficientia causæ dicit absolutè potentiam ad ponendam existentiam effectus;

ctus: quare, & huius ab illa, & ex illa productionem, & existentiam possibilem: quæ sunt necessario connexa, identitatis connexione, sicut grammaticalis actio cum passione, vt amare, & amari. Cum igitur in horum principiis essentialibus consensus absolutè contingentis præfinitio hæc suasit, & eam in hypothesi, vt dixi, ad contingentis conditionatam futuritionem præcedere, & apponi nec esse necesse est. Vnde, quamquam Deus expositione vocationis, siue post illam, præfiniturus esset consensum, & prædeterminare voluntatem ad illum, vocatio ad Dei contingens decretum conditio, & hypothesis sufficiens esset, vt sub conditione foret, quia alterius motiui existentia ad illud decretum contingens absolutè apponendum opus non erat. At verò ad futuritionem nostri contingentis, cum præfinitione, & prædeterminatione opus omnino per aduersarios sit, vocatio sola absque præfinitione nequit sufficientem hypothesim constituere ad eius conditionatam futuritionem; sed alia hypothesis ex vocatione, & reliquis, horum sententia necessariis, constituenda necessariò est, vt contra hunc secundum modum contendimus. Itaque nisi præfinitiones suas absolutas contingentium futurorum ad horum absolutam futuritionem meliora, vt æstimo, sapientes, necessariò prærequisitas negent, atque ab schola sua nobiliter degenerent, nequeunt non ad eiusdem conditionatam futuritionem illas etiam in hypothesi collocare. Nec satis erit in hypothesi vocationem ponere, & à præfinitione, & aliis prærequisitis præscindere. Effectio enim omnis, & pro quouis statu etiam possibilitatis principium adæquatum, & essentialiter prærequisitum proportionate ad operationis statum positiuè constitutum supponit.

5. Scio aliquot exteros, neque ingenij contemnendi, politicis, quam Theologicis rationibus Thomistas, prædeterminationes, & præfinitiones à scientia media, ac proinde omnino à libertatis nostræ vsu independentes defendere, easque ab hypothesi excludere. Aiunt enim prædeterminationem esse concursum Dei nostro identificatum. Præfinitionem verò, seu decretum concurrendi nostræ comitans determinationem voluntatis: cum autem nihil conditio verè, ac non fictè ad seipsum esse possit physicus Dei concursus, seu prædeterminatio nequit in hypothesi ad liberam nostram operationem ipsi identificatam, vt conditio apponi. Cum item conditio aliquam conducentiam ad determinationem contingentem, huiusque ab illa dependentiam dicat: quod respectu determinationis liberæ arbitrij nostri comitanter solummodo se habet, nullatenusque natura præcedit ab eius determinationis nostræ conditionibus, & prærequisitis merito relegatur. Sed in primis hæc omnia scholæ Thomistæ, quam profitentur omnino aduersantur: & vane vocibus illis præfinitionis consensus, & determinationis arbitrij nostri, necnon prædeterminationis prænotionis præuiæ qualitatis, seu concursus diuini apud eam scholam sacris, isti Recentiores abuntur. Ea quippe omnia nomina præcedentiam naturæ eorum omnium ad nostri arbitrij determinationem significant. Sunt ergo aperte, qui eam doctrinam eis vocibus conregunt non veri, & reales, sed nominales Thomistæ. Secundo, ni decreta libera Dei per extrinseca constituant nequeunt antecedentiam naturæ præfinitionis diuinæ subterfugere. Dei quippe concursus, & cooperationi (quæ realiter formaliter arbitrij nostri determinatio per ipsos est) necessariò causalitate præcedit: cum necessariò Dei concursus à sua præfinitione causetur. Si autem præcedat, integrum imperum argumentorum de euersione libertatis, cuius declinandi gratia ea omnia excogitarunt, hi Recentiores excipiunt. Sin autem extrinseco ipso concursu liberam Dei voluntatem, & præfinitionem, seu potius decretum comitans concurrendi constituunt: iam è Thomistis ad nostræ scholæ Vasquez, & Valquianos accedunt.

6. Qua verò ab eis in neganda dependentia earum præfinitionum à libera arbitrij nostri determinatione, adhuc conditionata, eiusque scientia discordant, casu Deum, ac sine vllo præuio consilio determinationem voluntatis suæ præfinitione illa, seu concurrendi decreto nostri arbitrij determinatione liberæ adiungi, casuque, & forte fortuna vtramque, & Dei, & nostram liberam determinationem coniungi, debent fateri. Id autem, etsi cordati cuiusvis prouidique hominis (nedum summe prudentis, & prouidentissimi Dei) determinatione libera indignum non esset: aliis absurdis, & difficultatibus est plenum. Etenim, si casu vtraque determinatio adiungitur, atque vtraque iuxta hanc decreti concurrendi constitutionem per concursum simultaneum, & eundem creaturæ eadem operatio, & concursus est; qua & Deus, & ipsi determinamur: cum autem ea operatio essentia sua, & à Deo, & à nostra voluntate indiuisibiliter pendeat, à neutrius voluntate sola poterit apponi, nisi vterque in eandem determinationem casu concurrat. Hinc autem fiet rursus, vt neuter suæ liberæ determinationis dominus absolutè, potensque absolutè se liberè determinare esse possit: quandoquidem sine alterius libera determinatione se determinare nequit. Sicuti rei indiuisibilis, cuius dominum ex æquo competit duobus, neuter absolutè, & insolidum, vt aiunt, absolutus Dominus est: atque ex duobus necessariò requisitis ad prægrandem lapidem mouendum, neuter seorsim ad illum mouendum absolutam habet potestatem, quocirca ni eorum alter saltem, quid ex parte sua determinationis in hac, vel illa hypothesi alter appositurus sit præuideat, ex eaque scientia suam etiam determinationem comitem adiungat (quod in huiusmodi decreti constitutione difficillimum est, & Recentiores isti fieri expressè negant) neutrius ad se determinandum absoluta potestas subsisteret, sed alterius determinationi subiecta, atque alligata. Ex quibus constat eam Recentiorum meditationem seruandæ voluntati nostræ absolutam determinationis suæ, atque expeditam potestatem, & libertatem adimentam, non eam solum, sed & diuinam in suæ voluntatis determinationibus absoluram potestatem, & libertatem euertere. Sed de hoc decreto comitante concurrendi, quomodocumque eius libertas constituatur, & ex quacumque scientia à Deo habeatur solutio calamus erit quæst. 8. Nunc enim solum contendebamus (quod satis ostendimus) præfinitiones futuri contingentis ad huius conditionatam futuritionem ex parte hypothesis necessario à veris Thomistis omnibus collocari, collocandasque necessariò esse, sicuti & ex parte antecedentis natura absoluta ad eius absolutam futuritionem, in horum schola, antecedunt, vt, nimirum, hæc necessaria præfinitionum ad absolutam contingentium futuritionem præcedentia absoluta impugnata ad conditionatam debere ab hypothesi reiici: quare neque in hypothesi positas ad conditionati scientiam, neque absolutè ad contingentis futuritionem absolutam cognoscendam medium materiale esse illas vllatenus posse.

CERTAMEN II.

Non licent præfinitiones Thomisticæ per scripturam sacram.

1. PRimus absolutis præfinitionibus ad futuritionem absolutam nostrorum contingentium confutandis efficax in ipso scripturæ limine locus occurrit nobis Genes. 1. vbi scriptum est, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersaque terræ*, quod ita factum testatur Ecclesiastic. cap. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & dedit illi potestatem eorum quæ sunt super terram.* Hanc verò imaginis Dei rationem in homine per arbitrium huius liberum, & plenum suarum actionum dominium, & potestatem indifferentem ad vtrumvis solutam absolutam, neque ad alterum extremum ex oppositis determinatam, & ligatam recognoscunt vnanimes Patres: atqui præfinito antecedenter altero oppositorum extremo (& idem est prædeterminata ineluctabiliter ad illud voluntate) soluta, & absoluta eius potestas ad vtrumvis non est: sed pro signo potestatis operandi in actu primo ex anteriori illo præfinitionis necessariò antecedenti signo naturæ, & causalitatis

litatis determinata, & necessitata, vt sic loquar, ad alterum extremum; & ligata, atque impedita, ne eat in alterum oppositum: ergo præfinitione Thomistica & hominis libertas, & arbitrij perit, & Dei imago in illo aboletur. Maior concors est Patrum doctrina. Irenæus 4. aduers. hæres. cap. 9. *Homo rationabilis, & secundum hoc similis Deo liber in arbitrio factus, & sua potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum* (Dei horreo,) *aliquando autem palea*, (gehennæ) *fiat*, iuxta Luc. cap. 3. & eodem lib. cap. 27. ait. *In nobis esse facere & non facere: atque libera sententia esse hominem: sicut libera sententia est Deus, cuius ad similitudinem factus est.* Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. prope med. *formatus est ad similitudinem Dei: propterea, quod, quemadmodum Deus, sui iuris est, & quod vult, facit.* Cyril. Hierosol. Cathec. 4. libro de statu hominis sub init. *In libertate sui iuris, & per Dei gratiam habente potestatem facere, quæ velit.* Basilius Magn. homil. 10. exhamer. Similiter imaginis rationem formalem *in potestate hominis ad libere eligendum, quæ velit*, seu (vt longè, ante med. ait: *in affluenti rationis copia, quæ coorientem intemperiem vitiosarum affectionum supprimeret & moderaretur*) sitam censet: similitudinem verò per liberam imitationem Dei acquirendam bono vsu potestatis illius à Deo, & gratiæ ipsi factæ: & concludit. *Nunc, quando potentia quidem nos similes Deo fecit largitus potestatem in hoc, vt assimilemur Deo: reliquum erat, vt nos sineret cõoperari isti gratia similitudinis ad Deum nobis potentia prærogata*; & post pauca, *quo igitur similitudinis huius admirabilis, & solida laus vni mihi cederet, non item alteri* (quoad physicam formalem determinationem) *penes me esse voluit: & liquit arbitrarium, ad Dei, vt possim pertingere similitudinem.* Eadem distinctione, & sententia eum locum explicuit 6. exhamer. cap. 8. & lib. de dignit. humanæ condit.

2. Neque absimili distinctione imaginis, & similitudinis Dei in homine recens creato vsus Philo carpath. in Cant. ad id: *terribilis, vt castrorum acies ordinata* (nisi quod similitudinem per gratiæ dona indita intelligit) in eandem scribit sententiam: *Anima ad imaginem, & bonitate ad similitudinem creatoris nobilissime formatus, homo, ac liber, relictusque in manu consilij sui bono sibi, malique appositis* &c. Greg. Nyssen. orat. de dormientib. longe à med. *Homo Diuina forma præditus fuit, & beatus sui potestate, & arbitrio honoratus: sui enim potestatem habere, & alterius dominatui obnoxium non esse proprium diuinæ beatitudinis.* Et infra: *cum deitate namque comparanda res est propria sui potestas.* De anima, & resurrect. longe à med. *libertas est assimilatio, ac æquatio cum eo, quod dominum non habet, ac sui iuris, & in sua potestate est, quæ libertas ab initio quidem nobis à Deo data est.* Damascen. 2. fid. cap. 12 sub init. *id ad imaginem intellectualem tendit, & libera voluntatis, arbitriique potestatem.* Quo etiam pacto imaginis Dei rationem explicat lib. de prima institut. c. vlt. & toto libro, cui titulus *quod ad imagin. Dei facti sumus.* Vt inde humanæ etiam Christi voluntatis libertatem, & potestatem ad vtrumvis probet Hieronym. epist. 146. prope fin. *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit; cætera, cum sint liberi arbitrij* (*iuxta quod homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est*) *in vtramque partem possunt suam flectere voluntatem.* Et epist. ad Philemonem, potestate liberi arbitrij ad boni, & mali electionem imaginem & similitudinem Dei homini datam, asseruit. Cui etiam interpretationi & sententiæ consentiunt Tertullian. recitandus. Bernar. serm. 81. in cant. prope med. & de grat. & liber. arbitr. post med. & lib. de anima, seu de meditationib. humanæ condit. c. 1. Theodor. quæst. 20. in Genes. de imag. vers. fin. Ruper. Genes. 1. vbi ait, etiam amissa similitudine Dei (quam in gratia iustificante constituit) per peccatum, imaginem in potestate arbitrij, & facultate rationis audiendi, & sequendi reuocantem restauratorem in nobis persistere. Quod adeo verum, & certum à nonnullis Patribus putatur, vt ea potestate absoluta ad vtrumvis, vel sublata, vel non absolute expedita in nobis imaginis rationem perire, atque à nobis aboleri fateantur. Quæ sententia non quidem maiorem solam, quam ipsorum esse diximus, sed integrum argumentum, suum esse testantur.

3. Nec obscurior est in recitatis testimoniis Patrum, & aliis iam recitandis à num. 4. eiusdem discursus minor. Fere enim omnia illa rationem imaginis Dei in nobis constituunt penes arbitrij nostri potestatem eligendi, agendive, quæ velimus, qua scilicet nostri iuris, & potestatis simus, sicuti Deus, in voluntatis nostræ liberis operationibus, nulliusque potestati, & dominio subiectis. Hæc autem omnia cum Thomisticis præfinitionibus in arbitrio nostro stare nõ posse è quidditatiuo conceptu eorum & præfinitionum, seu cuiusuis principij necessarij ad operationes irresistibiliter, siue ineluctabiliter à voluntate edendas, constat aperte. Posita siquidem præfinitione, similive alio ex parte actus primi, & potentiæ operandi, non vtique nos arbitrio nostro agere possumus, quæ velimus, neque in alterutram partem nostram flectere voluntatem: ea vero sublata cum principium necessarium sit, absolute potestas non sit ad operationem præfinitam. Item quo modo suæ potestatis, & iuris voluntas nostra vere, & physice erit, si non aliter, quam ex alterius præfinitione possit operari? quo etiam pacto non ex alterius dominio, à cuius præstitutis nequit in electione discedere? aut quomodo in eius potestate est electio agendorum, cum non in eo, sed in alio agendorum est præfinitio, & determinatio? æstimo, hæc vt conuincant, sola vocum, & significationis earum intelligentia opus esse, atque ad Calepinum, aliudve dictionarium remittendos, qui de ea vocum harum præfinitionis Dei de mea operatione, & potestatis meæ ad illam, vel oppositam pro libito, & ex mea electione agendam. Recte enim Ennodius quæst. 3. recitandus: *quare electionem nominet vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam?* Ergo hæc simul asserere præfinitionem, aut quodvis aliud ante vsum electionis à voluntate nostra, alterius appositis, & voluntatis nostræ absolutam eligendi potestatem vocum, vel ignoratio est, Calepino corrigenda, vel voluntarius abusus. Implicant enim termini: potestas nostra absoluta ad vtrumvis, & ad alterum ex nostra electione apponendum, & præfinitio, ac determinatio alterius partis, ab alterius potestate, & irresistibili à nobis voluntate solutiones de sensu composito, & diuiso duplici Thomistarum sensu, aliaque effugia in sequentibus præsertim quæst. 3. & 6. ex instituto obturabimus. Nunc autem argumentum ex his Patrum testimoniis pro eiusdem minoris probatione confirmo. Etenim nullus moraliter, & ciuiliter (vnde eæ Patrum locutiones ad physicam arbitrij nostri, & alterutrius agendi, & eligendi potestatem explicandam desumptæ sunt) sui iuris, & potestatis, neque alterius dominio & potestati subiectus dicitur, qui moraliter, & ciuiliter ex alterius potestatis, & iuris, seu iurisdictionis præscripto agere necessario debet: ergo nec physice sui iuris, & potestatis physicæ in operando absolute, & simpliciter erit, qui non, nisi ex alterius iuris, & potestatis physicæ præscripto, & præfinitione operari physice potest. Confirmatur vlterius ex dominio physico absoluto sui, suarumque operationum hominibus per arbitrij potestatem attributo à Patribus. Dominium enim ciuile, & iuris, est absoluta potestas vtendi re pro libito sine iniuria alterius independenter à voluntate, & consensu illius: nec, qui alterius consensum, vt re vtatur expectare debet illius dominium habet, habereve potest censeri: ergo, qui alterius determinatione, & præfinitione, ita, vt operetur, physice pendet, vt nequeat operari, nisi eius de hac operatione ab ipso exercenda, & elicienda præfinitio, & determinatio præcedat, sui, suarumque operationum physicum dominium neque habet, neque habere vllatenus potest. Hæc pro testimonis aliis Patrum iam iam, & quæst. 3. similium locutionum expendendis semel hic dicta sint, ne ad legentium tædium per testimonia singula repetantur.

4. Illis etiam eius loci verbis. *Et præsit piscibus maris, & bestiis vniuersaque terræ*, quæ de arbitrij nostri, tam ad boni, quam ad mali electionem, potestate Petrus Apostolus interpræratur apud Clementem Roman. 1. Recognit. pag. 9. sic factus. *sic cuncta præparata sunt vt hominibus, qui habitarent in ea* (terra) *esset facultas hæc omnibus pro arbitrio vti: id est, siue ad bona velint, siue etiam ad mala.* Cui Apostoli sententiæ subscribit idem Clemens lib. 3. de offic. sacerdot. colum. 3. &

& Concil. Nizen. lib. 2. actor. ante decretorum constitutionem vbi cuiusdam Philosophi argumento proposito per Eustachium Episcop. Antioch. ita respondet, *iis omnibus (quibus ipse in terra præsidet, & sunt) hominem secundum Præsidem fecit*: eoque ad Dei imaginem hominem factum ait. In iis verò quibus Deus præsidet humanæ etiam operationes sunt. Athanas. quæst. 88. è suis. *Sicut in toto mundo Deus Rex est, & Imperator, & potestatem exercet in omnia*, &c. *sic etiam homo Princeps, & Rex constitutus est super omnes res terrestres: qui libera sua voluntate facit, quod vult, sicut ipse Deus, & hoc est quod dicitur secundum imaginem,* Lactan. Firmian. de ira Dei cap. 13. post med. ait: hominis ratione donati (sui nimirum imaginis) Deum omnia imperio subiugasse. *Proposuit ei tamen bona, & mala, quia sapientiam dedit, cuius omnis ratio in discernendis malis, ac bonis posita est. Non potest enim quisque eligere meliora, & scire quid bonum sit, nisi sciat simul reiicere & vitare quæ mala sunt.* Vbi eligendi potestatem circa apposita æstimatione, & iudicio instrui, ac dirigi docet. Similiter Euseb. Cæsar. 4. præparat. capite sexto, sub fin. *Idcirco*, inquit, *quod per rationem ad imaginem Dei fuit factus, Principem, Regemque omnium, quæcumque in terra sunt, animalium constituit hominem, eumque liberum, & sua ipsius potestatis dimisit: qua, & ad boni contrarium ferri posset. Hic vero non bene sua ipsius potestate vsus*, &c. Particula *&* tantundem, atque *etiam* valet: quare ea potestatem etiam hominis ad bonum asserit: sicuti non bono eius potestatis vsu in mali prosecutione; abusus enim potestatis ea prosecutio non esset, si ad malum solum esset potestas. Chrysostomus postquam homil. 8. in Genes. imaginis rationem in potestate vtendi rebus pro libito, & imperio in omnia declarauit: Inde homin. 9. Potestatem in actus, & affectus nostros ita probat. *Leonibus imperamus: & dubitas, num mentis ferocitatem in mansuetudinem mutare possis? qui bestiis id, quod natura eis inest, auferre, & quod naturæ earum adversum, inserere potes: id quod natura tibi præstitit conseruare non potes*: subinferius. *Ne igitur prætextus, & excusationes affer: potes enim, si vis, mansuetus esse, & æquus.*

5. Eidem interpretationi imaginis Dei in homine insistens homin. 23. column. 7. ait, in eius imperio stare, *vt imperet visibilibus omnibus, & passionibus suis*, cui consonus Augustin. 1. de Genes. contra Manichæ. cap. 22. init. scribit, *saluo intellectu, quo manifestum est omnibus his animalibus hominem imperare, recte tamen intelligitur etiam spiritualiter: vt omnes affectiones, & motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, & eorum dominaremur.* Damascen. de duabus Christi voluntat. post med. nostrum animum ab Angelo discriminat, quia non Angelo, sed animo datum est. *Vinificare, liberequæ sub arbitrio, id est voluntate, mouere, ac impellere corpus, appetitumque rationis expertem, vt iram, vt cupiditatem, & eum, qui habet impetus suos motum; naturalique imperio corpori, in quo est, vt seruo sibi à natura dato præesse. Itaque magis ad Dei simulacrum homo effectus est, quam Angelus. Angelo enim non est à natura seruus datus, nec dominatio.* Hoc verò hominis in suos actus dominium, & potestatem ex imperio ei in cuncta corporea dato eleganti argumento deducit, vel potius inclusam probat, profundus Tertullian. 2. contra Marcion. capite fecto, his verbis: *Oportebat imaginem, & similitudinem Dei liberi arbitrij, & suæ potestatis institui; aliàs, quale erat, vt totius mundi possidens homo, non in primis animi sui possessione regnaret: alio rum dominus, sui famulus.* In idem ex eodem loco argumentum contra eundem Marcionem cecinit, vel potius tenuit. Prudentius in sua Hamartigenia.

An, cum te Dominum cunctis, quæcumque creauit,
Præficeret: mundumque tuis seruire iuberet
Imperiis; cumque arca, polum, mare, flumina, ventos
Dederet: arbitrium de te tibi dedere auarus
Nollet, vt indigno, libertatemque negaret?
Quale erat electus, magni Rex orbis, vt esset,
Non Rex ipse sui, cuncto fadatus honore?

Denique Basilius citata hom. 10. exhamer. multo ante med. Postquam imaginem Dei, & vniuersale orbis imperium in homine positum dixit: *in affluente rationis copia, quæ coorientem intemperiem vitiosarum affectionum supprimeret, & moderaretur*: docet nos eis prauis affectionibus, in quas imperium nobis datum est, misere seruire; *sciuit te*, inquit, *& iussit Deus in creaturis principem locum tenere: & ecce tanti principatus natura delati dignitatem à te excutis, ac refellis.*

6. Neque verò ad rem præsentem mysterio vacat paradisi, in quo (Dei per arbitrium, & imperium imago) homo collocatus à Deo fuit, situs, in terræ scilicet medio, vt Patres docent, & ratio suadet: in medio quippe orbis, cui præerat statuenda curia hominis fuit. Eo quippe hominis in medio terræ loco medium, quod inter extrema eius arbitrium, liberaque potestas tenet, aptissimè significatum recognoscit Philoxenus Episcopus Mabugens. sermon. de contempl. arbor. vitæ cuius hæc, inter alia, refert, & laudat Moses Barzephas, Episcop. Syrus comment. de paradiso parte 1. capite 8. à medio. *Quippe qualis erat conditio, compositioque hominis, talem oportebat esse locum, in quo erat ille ponendus: illa verò eius erat modi, vt in hominis esset posita arbitrio, & boni, & mali electio. Iam verò, qui sic habet, is inter vtrumque medius est: nec ex bono totus, nec rursus totus ex malo constans; sed pro suo pote arbitrio ad vtrumvis iuxta se habens.* Id ipsum è situ arboris scientiæ boni & mali arbitrij liberi symboli aptissimi, quæ in medio paradisi fuit Genes. 2. numero 9. his Eucherius in Genes. ostendit. *Lignum scientia boni, & mali proprium voluntatis arbitrium: quod in medio est positum ad dignoscendum bonum & malum.* Cum insuper lignum etiam vitæ Genes. 3. numero 3. in medio paradisi fuerit, & subinde ligno scientiæ boni, & mali vicinum, in quorum altero æternæ vitæ præmium, in altero verò æternæ mortis supplicium figurabatur: distantia autem localis difficultatem, propinquitas verò facilitatem ab vno in alium locum declinandi in scriptura significet Deuteron. 30. & ad Roman. 10. nullo sane emblemate aptiori hominis in medio paradisi, & prope vtramque arborum collocati ad pœnam, præmiumve sibi pro libito parandam absoluta, & expedita potestas, & liberi arbitrij facultas, imo & facilitas potuit significari.

CERTAMEN III.

Ex Ecclesiastici capite decimo quinto eædem præfinitiones absolutæ futurorum absolutè contingentium apertius refelluntur.

1. SEcundus (efficacia verò ad rem præsentem conuincendam primus) locus est ex capite 15. Eccles. vbi de hac hominis creatione, atque in suo arbitrij, & libertatis iure, & potestate constitutione hæc habentur. *Deus ab initio constituit hominem, in manu consilij sui: adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum:*

quod placuerit ei dabitur illi. Ad quæ Augustin. de lib. arbitrio capite secundo, *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ex eoque loco bene à Pelagio arbitrij nostri libertatem probatam fatetur laudatque Palæstina Synodus apud Augustinum capite tertio, de gestis Pelagij. Cum autem à Deo expresse de arbitrij nostri libertate eo loci agatur singula eius verba excutienda sunt. Æstimo enim nullum ex eis esse, quo non expedita, & omni antecedenti necessitate, & determinatione ad vnum extremum soluta, & indifferens ad vtrumvis liberi arbitrij nostri ostendatur potestas. Et, vt à primis ordiamur, dum homo sibi, siue in propria manu à Deo relictus suæ omnino solutæ plenæ, & absolutæ potestatis in se, seu in suas actiones declaratur illis verbis. *Reliquit eum in manu consilij sui.* Quidquid enim in manu alicuius constituì, relinquive dicitur plenum eius, & absolutum dominium, ac solutam omni impedimento potestatem in illud, illiusque pro libito vsum, declarat Genes. 16. Abraham ad Saram. *Ecce ancilla in manu tua est,* 1. Reg. 24. *Tradiderit te Deus in manu mea,* capite vigesimo sexto, *Concluſit Deus inimicum tuum in manu tua:* Iosue, Gabaonitæ ad ipsum: *in manu tua sumus: quod bonum tibi, & rectum videtur fac nobis,* & Iob 1. plena faciendi pro libito de illius bonis potestas sataneæ facta his verbis fuit. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Deinde in eius corpus capite secundo, similibus. *Ecce in manu tua est; verum tamen animam illius serua.* Quæ limitatio confirmat in reliqua à vita datam sataneæ absolutam, in corpus etiam Iobi, verbis illis facultatem, ea limitatione impediendam. Neque aptiori phrasi plenam omnium, & in omnia potestatem, quam de se Christus Dominus testatur Matthæi. 28. illis verbis. *Data est mihi omnis potestas,* explicuit Ioannes capite 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Imo neque suprema Dei potestas locutione explicatur aptiori Psalm. 30. *in manibus tuis sortes meæ.* Et Eccles. 33. *Quasi lutum in manu figuli,* &c. *sic homo in manu eius, qui fecit illum:* quin apud omnes nationes æquiualenti phrasi ea, quorum habemus absolutam, atque expeditam potestatem significamus: quare vulgus. *Esto esta en mi mano, o en tu mano,* sin secus: *No esta en mi mano, no esta en tu mano.* Confirmatur ex verbis ibi adiunctis, *Et reliquit eum,* &c. quæ cum non significent hominem Dei prouidentia, & gubernatione destitutum, solum significant finere Deum in manu, & potestate hominis totam ab eo agendorum determinationem, malique, & boni optionem permittere. Sic hispane etiam vulgo dicitur. *Yo dexo todo este negocio en vuestras manos.* Cum super eo decernendi, & statuendi alicui facimus potestatem: quem sensum eis verbis contineri Anastas. Nizen. quæstione 10. in scripturam ita docuit. *Est in nostra potestate, & libero nostro arbitrio salus nostra, & interitus, vt scriptum est:* verbis, quæ expendimus: Author etiam Hypognostic. apud Augustin. lib. 3. sub init. *Quid est autem reliquit illum in manu consilij sui, nisi dimisit illum in possibilitate liberi arbitrij? in manu quippe possibilitas* (potestas) *intelligitur,* quo verbo *relinquendi,* ad idem significandum vsi sunt Patres aliqui recitati certam. 1. & plures recitandi in sequentibus.

2. Sed *consilij sui,* in cuius manu relictus dicitur, constitutusque homo, indifferentem ad vtrumvis, neque ad vnum antea, quoquo modo, determinatam &, vt sic loquar, necessitatam voluntatis nostræ potestatem apertius ostendunt. Consilium quippe, quod in rationum pro vtraque parte inquisitione, vt altera tandem eligatur consistit, determinationi antecedenti cuius ad alteram ex illis contradicit. Hinc Arist. 1. Rethoric. capite quarto, *Consiliarius non consulit de omnibus rebus, sed de his, quæ possunt fieri, & non fieri, & quorum origo in nobis est.* Et 3. Ethicor. capite tertio, *Consilium esse,* ait, *de his rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate,* quod sufficienti causarum enumeratione statim probat. *Causæ namque videntur esse natura, necessitas, fortuna, & mens insuper, ac omne, quod per hominem efficit: quisque autem de his consultat, quæ agi per ipsum possunt.* Vnde 2. Rethoric. capite quinto, ait, *consilium de impossibilibus non esse.* Et capite quinto, eius libro tertio, Ethicor. explicans quid sit aliquid in nostra potestate esse, ait, *Quæcumque in nostra potestate est agere, est & eadem non agere.* Et 6. Ethicor. capite primo, *Nemo de his rebus consultat, quæ aliter se habere non possunt.* Et capite secundo, sine ait, *Neminem consultare, nisi de futuro contingenti,* sibi nempe, & à se contingentur agendo, non ab alio: de agendis enim ab alio non, nisi stolide, consultatio practica propria proxima esse posset; etsi esse possit speculatiua, tanquam materiæ, & occasionis aliquid agendi, si ab alio hoc, vel illud contingens apponatur. Hinc Damascen. 2. de fide capite vigesimo quinto, *Ad quid vitur homo consilio, si nullius actionis dominus est* capite vigesimo sexto, *proprie in nobis sunt omnia animæ, de quibus consultamus. Consilium autem eorum est, quæ adæque susque deque contingent. Adæque verò contingens est, quod idem possumus, & eius oppositum* capite vigesimo septimo, sub init. *Omnis, qui consultat, vt electione agendorum in seipso, suaque potestate existente consultat, vt, quod iudicio prælatum fuerit, eligat,* quæ Consilium definitio à se datæ capite vigesimo secundo, concordat: *Consilium est appetitus inquisitionis de his rebus agendis, quæ in nobis sunt.* Nemesius Episcop. Emisen. capite trigesimo quarto, Philosophiæ Nysseno tributæ ante med. *de his nos consultamus, quæ in nobis sita sunt, & de his tantum, quæ in nostra sunt potestate existente electione, de operabilibus consultat: vt quod per consilium decernitur, eligat, & eligens faciat. Necesse est igitur eum, qui consultat, dominum esse actionum. Si enim non fuerit dominus actionum ex superfluo consultat.* Inde è consilij nostri de agendis hoc loco facta adeo copia, & potestatem ad vtrumvis, & totam ad alterum determinationem integram homini à Deo relictam probat Cyrillus Alexan. 8. contra Iulian. sub fine dicens: *vt nos ad quodvis bonum sponte incederemus consilio, non coacte viuere super terram hominem permisit Deus, & ita fuit ab initio. Arripuit enim sua voluntatis habenas: & suorum ius suum momento in vtraque fertur, in bonum inquam, & in malum.* Quinimo, vt Dei ad agendum, & non agendum supremam, & omnino absolutam Paulus ostenderet potestatem ex consilio illum operari, Statuit ad Ephes. 1. *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Hoc sane argumentum ad probandam indifferentem potestatem arbitrij, nullatenus antecedenter determinatam, neque ex necessitate vlla antecedenti operaturam consilio de agendis nostro incluſum fatetur S. Thom. in 3. Ethicor. capite tertio, lectione 7. litt. 1. vbi docet: quæ ex consilio, nullatenus ex necessitate fieri, & quæstione vigesima quarta, de veritat. articulo primo, §. *Sed contra,* argument. 4. ait, *consilium non esse, nisi de actibus, qui in nobis sunt, & quorum sumus Domini,* quam sententiam, refert quæstione sexta, de malo articul. vnic. med. & 1. 2. quæstione 14. articulo tertio, ex Nyssen. 5. philosophiæ; ex quo vtrobique infert de his, quæ necessitate fiunt, consilium non esse. Et quæstione quadragesima quarta, articulo tertio, ad 3. ex eodem principio cum Aristotele, vbi proxime, & 2. Rethoric. capite quinto, nec de rebus impossibilibus consilium esse posse deducit: & 1. parte quæstione 19. articulo tertio, argumen. *Sed contra,* probat Deum non moueri ex necessitate in creatis edendis, quia è consilio suæ voluntatis mouetur. Eadem de consilij materia, & docent, & inferunt Carthusian. in 2. d. 25. quæstione tertio, sine ex Albert. Bonauen. ibi partte secunda, articulo vnic. quæstione secunda, ad 2. Sanct. Anton. 1. part. tit. 4. capite 8. §. 1. Ægydius in 2. d. vigesima quarta, quæst. 1. art. 2. d. 25. articulo 3. dub. 1. & 2. litterali. Capreol in 1. d. 1. q. 2. concluſ. 9. articulo 2. & 3. argumentis, & solutionibus

contra

contra 9. conclusionem, & scholastici reliqui.

3. Id ipsum ex verbis sequentibus. *Adiecit præcepta, & mandata sua:* efficaciter probatur: siue præcepta stricte, siue late pro doctrina, consilio, exhortatione, ob quæ Magistri præceptores dici solent, usurpentur. Recte enim Augustin. de grat. & lib. arbitr. omnibus scripturæ præceptis, & monitis arbitrij nostri indifferentem ad vtrumvis, nec ad vnum antecedenter determinatam potestatem ostendi docet, & serm. de verbis Apostoli sub init. *illud* ad Ephes. 3. *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis*, &c. ita expendit. *Si responderent; quid nos petis: quod in potestate non habemus: nunquid non viderentur sibi iustum reddidisse responsum? Et tamen Apostolus, nisi sciret esse in eis voluntatis propriæ consensionem, vbi, & ipsi, aliquid agerent, non diceret peto: &, si diceret iubeo, nisi eos nosset adhibere posse iussioni suæ voluntatem, sine causa hoc verbum de ore eius procederet*, &c. *quia ergo voluntatis habetis arbitrium adimplendum, quod peto: quia verò vobis voluntatis non sufficit arbitrium adimplendum, quod peto. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, vt det vobis virtute corroborari.* Irænеus 4. aduersus hæresim. capite 72. circa med. *Si igitur non in nobis esset facere hæc, aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multo prius ipse Dominus, consilium dare quædam quidem facere, à quibusdam verò abstinere? quam* ipsam ad obediendum, vel secus potestatem ad quæuis præcepta supponi docet Tertullian. 2. aduersus Marcionem capite quinto, *Non enim poneretur lex ei, qui non habet obsequium debitum in sua potestate*, Petrus Apostolus apud Clemen. Roman. 3. recognit. pag. 3. in id Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei*, &c. dixit: *Præcepit, vt voluntatem eius, iustitiamque perquirerent: sciens, quia in hominum arbitrio positum est, vt hoc quærentes inueniant, & faciant.* Clemen. Alexan. 7. Strom. vers. medend. *Præcepta homo accepit, vt ex se moueri, & incitari possit ad virtutem velit*, Damascen. 2. fide capite vigesimo sexto, Nostræ voluntati contingentia, & arbitrij potestati recensens concludit. *Et omnino ea, quæ sequitur laus, & vituperatio, & in quibus prævaricatio cadit, & lex, in nobis esse.* Nazian. de Christi natiuit. circa med. *Adamo præceptum, quasi materiam libri arbitrij, (quod parem in vtramque partem motum habere aiebat, sicut orat. 1. seu apologet. colum. 8.) peruigil Deus*, orat. 42. in pasch. prope fin. *Mandatum accepimus, vt eo seruato gloriam assequeremur. Non quod Deus id, quod futurum erat, ignoraret, sed, quod arbitrij libertatem lege sanciret*, vel, vt in commento Nizetas, *sed, vt arbitrij libertatem, quasi lata lege promulgaret* Moys. Barceph. Episcop. Syrus 3. par. comment. de parad. cap. 2. tit. 1. Biblioth. *Ad hoc data lege certorem reddit Deus Adamum, & reliquos homines ratione præditos se arbitrij libertate ipsos donasse, dum conderet: qua freti possent, vel obseruare, vel transilire legem præscriptam.* Et fine. *Leges nobis dedit, seu liberis, & libero arbitrio præditis, vt, quod luberet, id ageremus. Nos verò pro sua quisque libertate erga leges, aut frangendo, aut obseruando eas nosmet gerimus.*

4. Sed, & quæ proximè succedunt haud debilius antecedentem euincunt. *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te.* Quibus pactum Dei de reddendo nobis vitæ æternæ præmio, si præcepta seruemus (de quo Genes. 4. *Nonne si bene egeris* (siue vt plerique Patres: *si volueris*) *recipies? si autem male statim in foribus peccatum tuum aderit? sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius,*) continetur. Et quidem præter potestatem, & dominium nostrum in nostras actiones à postremis verbis datis ex Genes. 4. recognitum à Patribus apud Ruiz d. 59. section. 2. numero quinto, pactum hoc conditionale nullum irritumque, & illusorium erit, si in potestate nostra non sit omnino absoluta, & expedita, vel præcepta obseruare, vel transgredi, & non obseruare illa, quin antecedens Dei præfinitio, vllave necessitas, & determinatio ad partem alteram requiratur. Cum autem pactum hoc Dei, & similia conditionata sub conditione ab homine apponenda sæpius in scriptura occurrant Exod. 19. Deuteron. 29. & 30. Ioann. 8. 10. 12. Apocalyp. 3. circa fin. Paralip. 15. Psalm. 80. 84. & 131. ea omnia, & plura similia loca vana, & illusoria ex antecedenti quavis necessitate, & præfinitione nostrarum actionum reddentur. Probatur assumptum: quia, si ad actiones nostras præfinitio earum, quodvisve aliud alteram partem antecedenter determinans principium requiratur, pactum quodvis Dei de aliquo præstando sub conditione alicuius nostræ actionis habebitur à Deo, vel sub conditione actionis à nobis præstandæ ex suppositione præfinitionis, similive alterius antecedenter necessitantis, & determinantis illam: vel ex suppositione negationis præfinitionis, &c. Si primum: conditio est necessarij euentus: ac proinde pactum illusorie conditionatum est, reque vera solummodo absolutum: vt de omni pacto, licet sonorenus conditionato, cui tamen conditio necessaria apponitur, statutum definitumque merito est *l. si pupillus* 9. §. *qui sub conditione*, ff. de nouationib. *l. Impossibilis* 7. ff. de verb. obligat. Si autem dicas secundum: cum ex suppositione negationis præfinitionis, & similium prærequisitorum determinantium antecedenter iuxta aduersariorum doctrinam, ad obseruationem præceptorum, vel quempiam alium nostrum actum sit, hic impossibilis fiet plane & pactum esse prorsus nullum illusoriumque, vbi de omnibus pactis conditionatis de conditione impossibili à paciscente cogitata (vt in præsenti à Deo cognoscitur) decernitur citata *l. Impossibilis* 7. illis verbis: *cum nihil agi existimet apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. l. Non solum* 30. ff. de act. & oblig. §. *Impossibilis*, Inst. de inutil. stipul. Nec dici potest, pactum esse, si præfinierо, aut prædeterminauero obseruationem, dabo vobis vitam æternam. Sic enim Deus nihil nobis cum paciscitur; sed pure enuntiat, quid ipse independenter à nostris liberis voluntatibus facturus sit; cum tamen eis locis Deus nobis cum sub conditione liberæ nostræ obseruationis expressè paciscatur. Si autem dicas, conditionem esse conflatam ex præfinitione, & obseruatione vrget vtraque difficultas: est quippe pactum quatenus ex parte nostra est necessariæ conditionis, scilicet *si præfiniero obseruationem, & obseruaueris*, quod postremum solum ex parte nostra est, atque ex præfinitione necessarium. Quare sola præfinitio, quæ altera pars hypothesis, libera est, atque adeo pacto conditionali apta, Dei paciscentis est: subindeque ad pactum Dei conditionatum nobis cum inepta. Nec tandem præstat in eo pacto ex parte conditionis, *si seruaueris*, abstrahi à præfinitione, vel eius negatione. Cum enim de obseruatione, vel transgressione exercite in rebus apponenda sit sermo, neque altera absque præfinitione, altera verò absque eius, vt minimum negatione, poni exercite iuxta aduersarios queat: etsi voces pacti illam non sonent, tamen illam, sicut & concursum generalem Dei supponunt: quia absque illis poni exercite nequeunt, imo neque à voluntate præcisè sumpta sunt, quoad positionem, ponibiles.

5. Simile argumentum continent illa Isaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, gladius vos deuorabit.* In eis quippe simile Dei cum Israelitis pactum habetur. Inde Chrysostom. sermon. in ea verba nostram ad vtrumvis indifferentem absolutam, neque ad alterum determinatam à Deo potestatem sic colligit: *Si velle, aut nolle nostrum non esset: Hoc est, si viuendi recte an secus libertas adempta nobis fuisset: nec bonus vnquam cæleste munus digne perciperet, nec malus supplicium competens inueniret; sed totum Deo deputaretur authori: qui alios impingeret in contemptum; formaret alios in obsequium.* Et ibi optionem alterutrum eligendi nobis factam ait: *vt iudicio hominis Dei iudicium celebretur.* Eodem item loco in 1. Corinth. 4. homil. 14. ante morale, & sermon. 2. de fato, seu prouid. circa med. optionem & potestatem

ad vtrumvis ait, vel Regnum, vel gehennam, nobis datam. Idem etiam ex eodem loco colligunt Cyrill. Alex. 2. in Ioann. cap. 54. Ad id: *dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et Clemens Alexand. 1. Strom. med. *in nobis esse si tum arguens*, eo loco Deus, *& eligere, & declinare.* Epiphan. hæresi 16. post med. inde probari, *quod homo possit peccare, & non peccare: quare, & esse dignum laude, vel supplicio: imo, & manifestum fieri, & clarum, ac minimè ambiguum, quod liberum arbitrium exhibuit nobis Deus per seipsum locutus. Si volueritis, &c. quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere.* Idem etiam argumentum continetur illis Hier. 26. *Si non audieritis me.* Ezech. 33. *Si me dicente ad impium,* Et toto cap. 18. præcipuè à versu, *Si fuerit iustus*, vt eis loc. obseruat. Hieronym. postea recitandus. Item 1. Paralip. cap. 18. *Si quæsieris eum, inuenietur tibi; & si dimiseris eum repellet te in perpetuum:* Idem argumentum includitur: *Eoque declarari liberum voluntatis arbitrium,* docet Augustin. de grat. & lib. arbitr. c. 5. med. & quamvis illis verbis Isaiæ 21. *Et dixit custos: venit manè & nox: si quæritis quærite: conuertimini, & venite.* Simile & pactum conditionale, & argumentum non insit (vt sonotenus videbatur) quia idem pro sui ipsius conditione ponitur: attamen efficacius argumentum inde pro libertate, & potestate ad vtrumvis arbitrij nostri desumitur. Cum enim suppositio Dei hortatu, & vocatione (vt ponitur) eadem voluntatis nostræ quæsitio, & ad Deum vocantem accessus pro conditione sui ipsius apponitur aperte significatur, nihil aliud, vt Deum vocantem quæramus, atque accedamus ad ipsum, præter nostræ voluntatis actum, quo quærit, & accedit, ac determinationem requiri: ac proinde nullam ab alterius voluntate determinationem antecedentem prærequiri. Æquo insuper robore pro eadem arbitrij indifferenti, nec antecedenter ad alterum necessitata, potestate militat græca eorundem verborum Ecclesiastici versio, quam sequitur Augustin. de grat. & lib. arb. cap. 15. fine. *Si volueris seruabis mandata, seu conseruabis.* Quibus ostenditur ad contingentem mandatorum obseruationem voluntati à Deo sufficienter instructæ nullo alio, quam propria determinatione, seu volitione, & velle suo opus esse, vt ibi Augustin. ita docet. *Vt homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat: & oret, vt habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata: sic quippe adiuuatur, vt faciat, quod iubetur. Tunc enim vtile est velle, cum possumus: & tunc vtile est posse, cum volumus. Nam quid prodest, si, quod non possumus volumus: aut si, quod possumus, nolumus?* Quibus postremis verbis potestatem ad volendum, tunc etiam, cum nolumus, voluntati nostræ adesse fatetur.

6. Clariora adhuc pro eadem veritate sunt sequentia Eccles. verba: *Appositit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam.* Quibus electio (quæ, nisi eorum, quæ nostræ sunt omnino absolutæ, & expeditæ potestatis non est) expressè voluntati nostræ defertur: vt ad ea verba obseruant Chrysost. serm. 2. defato, seu prouid. post med. Gaudentius Brisien. serm. 13. de natali Domini circa med. & reliqui. Id quod ad alia scripturæ loca, quibus nobis electio datur sæpè ipsi Patres obseruant. Exod. 30. prope fin. *Testes inuoco cælum, & terram, quod proposuerim vobis, vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem elige ergo vitam, vt tu viuas, & semen tuum.* Ex quo Cyprian. 3. ad Quirinum cap. 52. probat, *credendi, & non credendi libertatem in arbitrio positam esse.* Sicuti & Origen. in cap. 16. Ieuit. hom. 9. fine, item Iosue 24. *Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui seruire debeatis:* electoque ab eis Deo, vt eos in Dei obsequium obstringeret. *Testes vos estis, quia ipsi eligeritis vobis Dominum.* Vtique propria voluntate: *ipsi vobis*; non alterius ita ineuitabiliter statuentis, ex qua electio propria esse nequit. Quoad argumentum satis præferunt Hilar. in Psal. 118. ad ea, *fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata elegi.* Anselm. sæpè cap. 1. & 2. concordiæ prædest. cum lib. arbit. & Nazian. orat. 38. de Christi natiuit. circa med. dicens: *Hominem arbitrij libertate donatum (vt bonum, non minus illius esset, qui elegisset, quam eius, qui semina prabuisset) in paradiso collocat.* Id quod desumptum ex Ecclesiastici proximis verbis Nicetas ibi notauit, eandem ad vtrumvis potestatem ad eligendum necessariam recognoscunt in verbis 1. Corinth. 4. fine, *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis,* Chrysost. hom. 14. fine commentarij ante morale scribens: *quid vultis? vestra* inquit, *est optio. Etenim nos, & huius, & illius habemus potestatem; vt scilicet, & in gehennam incidamus, & regnum assequamur,* &c. & loco Ecclesiæ præsenti confirmat œcumen. *Nam in vestra,* inquit, *Apostolus, situm est potestate, vt hæc faciatis, aut, vt segnes effecti me ad iram, & vltionem prouocetis,* &c. *aut, vt studiosè agentes, & vigilantes ad charitatem, ac lenitatem me excitetis.* Potrò electionem esse non posse, nisi ab eo, qui habet ad vtrumvis indifferentem, neque ab alio ad alterum determinatam potestatem lumine naturæ notum est. Nemesius Emissen. lib. de natura hominis à cap. 33. ad 41. sæpe docet, *electionem esse eorum, quæ sunt in nobis.* & c. 37. *Optio rerum agendarum posita est in nostra potestate:* eamque potestatem nostram ad vtrumvis esse docet cap. 40. & 41. *Omnis vis eligendi oppositorum est.* Clemens Alex. 2. de fide cap. 26. cum docuisset ea, quæ in nostra potestate sunt, ita esse contingentia, vt illa facere, ac non facere possimus concludit. *Est autem opera pretium cognoscere electionem agendorum semper in nostra potestate esse.* Arist. 3. ethic. cap. 2. docet, *electionem circa ea solum esse, quæ sunt in nostra potestate, vt fiant, vel secus.* & cap. 5. quia ex nostra electione procedunt, probat vitia, & virtutes in nostra esse potestate. Inde etiam 5. Ethicor. cap. 8. & lib. 6. cap. 2. sola contingentia sub electionem venire docet S. Thom. 1. 2. quæst. 13. artic. 5. asserit electionem non esse rerum impossibilium, & art. 6. Neque eorum quæ ex necessitate fiunt. *Homo non ex necessitate eligit: quia quod possibile est non esse, non necesse est esse: est autem possibile non eligere, vel eligere.* Idque probat, quia potest homo velle, vel non velle; agere, & non agere. Eandem indifferentem potestatem electioni necessariam probat tota quæst. 6. de malo quæst. 24. de verit. art. 1. ad 1. & part. quæst. 82. art. 1. ad 3. ait, *sumus domini nostrorum actuum, in quantum possumus hoc, vel illud eligere.* Consentiunt, Duran. in 2. d. 25. quæst. 1. post med. Ricard. art. 1. quæst. 1. Ægyd. qu. vnic. art. 3. later. 1. & 2. & art. 4. §. *Propter argumenta*, & d. 24. par. 1. quæst. 1. artic. 2. Ferrara 1. cont. gent. cap. 88. à med. Capreol. in 1. d. 1. quæst. 2. artic. 1. concl. 3. & 4. art. 2. & 3. in argument. & solutionib. & in 2. d. 24. qu. vnic. art 3. sub init.

7. Eandem ad rem præsentem energiam habent verba immediata. *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei dabitur illi*, vbi & boni, & mali electio, & subinde præmij, & pœnæ electio hominis arbitrio, & quasi iudiciariæ, eius (re integra, neque à supremi iudicis sententia præoccupata) absolutæ potestati committitur: quia ad bene, maléque operandum plena ibi, & absoluta committitur illi potestas. Ideo ex hac sententia ita concludit Tertullian. exhortat. ad castit. *Iam nobis est voluntas eligendi alterum, & ideò non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse, & velle, qui malum non vult.* & ex Clem. sententia 2. contra Marcionem à c. 5. liberam nobis: eligendi potestatem sui dominam, atque omni necessitate solutam probat; sicuti & lib. de Monogam. *Posse te*, ait, *si velis, ostendit: quia suo arbitrio vtrumque proposuit. Non potes, quia non vis*, Ambros. in Psalm 40. med. ad id. *Homo pacis meæ, in quo speraui*, inquit, *Bene*, ait, *speraui: quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur. Posui inquit ante te,* &c. *si malum elegeris, non natura deliquit, sed electionis effectus.* Iustin. Mart. apolog. pro christian. sub med. ait. *Relictum esse in hominum potestate, vt pro arbitratu suo possint homines turpia fugere, & honesta sectari: didicimus autem hoc à sancto prophetico spiritu*, &c. *Ecce ante faciem tuam bonum, & malum.* Et sanè rei ante nos, & conspectum, seu in conspectu nostro, seu coram nobis positione plenam nostram de re pro libito faciendi potestatem scriptura significat. Deuter. cap. 11. *Ecce propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictio-*

Iedictionem. Benedictionem; si obedieritis, &c. *Maledictionem, si non obedieritis*, quæ cum his Ecclesiastici ad institutum præsens adducit Anastas. Nizen. qu. 59. in scripturam sub init. Deuter. 30. *considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem, & malum.* Ad quæ Philo Alex. fragmento libri allegor. apud Turrian. lib. 4. pro epistolis Pontific. post med. *Beata res est, quod, cum utrumque Author proposuerit: quod melius est anima potest suscipere. Beatius autem est, quod non ipsa ex se* (gratiæ auxilio nempe destituta) *eligat; sed author eam adducat, & meliorem faciat:* quia tunc gratia non solum excitat, & tribuit posse, sed operatur in nobis, & cooperatur nobiscum; estque proinde efficax, ac secum, actum bonum, & à mali infelicitate libertatem morali æstimatione devoluens: ac proinde Deo, tanquam illum in eo auxilio, quo nostræ præuenit libertatis vsum, moraliter danti, & principaliori authori tribuitur. Quod si absque libera nostra determinatione ex gratiæ præfinitione, & prædeterminatione necessariò actum bonum nobis author daret, quomodo nos meliores faceret actu, qui nobis honestus, & laudabilis non erat? Hierem. 21. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaueris in vrbe hac morietur*, &c. *qui autem transfugerit ad Chaldæos viuet.* Vtque potestatem absolutam in vniuersam Ægyptum Iosepho Genes. 41. à se factam Pharao Patri Iosephi, & fratribus, iam Ægypti incolis, iterum declararet cap. 47. ita illum affatur. *Terra Ægypti in conspectu tuo est.* Ad quæ Lyra. Ac si diceret, *vbicunque placuerit tibi fac eos habitare.* Sic etiam, vt refertur Hierem. 40. ad Iosephum eundem iam carcere, & catenis solutum militiæ princeps aiebat. *Si placet tibi, vt venias mecum in Babylonem veni*, &c. *Si autem displicet tibi venire mecum in Babylonem, reside. Ecce omnis terra in conspectu tuo est, quo elegeris, & quo placuerit tibi, vt vadas, illuc perge:* eidem absolutæ potestati eligendi pro libito similes aliæ scripturæ locutiones inseruiunt scilicet: *quod bonum videtur, vel est, in oculis, in conspectu tuo hoc facito*, vti frequenter apud libros præsertim Regum habetur lib. 1. cap. 3. n. 18. lib. 2. cap. 10. num. 12. cap. 15. num. 16. ac pluries, & Zachariæ 11. *Si bonum est in oculis vestris, auferte mercedem meam; si non quiescite.* Ad quæ Hieron. *si vobis placet: hominis enim est: semel libero arbitrio vos creauit.*

8. Enostra insuper deliberatione, quæ omnem nostram perfectam, plenamque electionem præcedit, similie pro nostra absoluta, & plena eligendi, vel non eligendi potestate ducitur argumentum. Deliberatio siquidem non est, nisi eorum, quæ sunt in deliberantis potestate. Asseritur verò hominum deliberandi plena, & absoluta potestas, cum recitatis verbis de consultatione, & electione, tum 2. Reg. 24. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris, vt faciam tibi.* & Statim. *Nunc ergo vide, & delibera, quem responsum dem ei, qui me misit, sermonem.* Euseb. Cæsar. 6. præpar. euang. cap. 7. fine ait, *solum de his, quæ agere possumus*, (potestate etiam indifferenti ad non agendum, cap. 6. & 7. præmissa) *deliberationem procedere.* Estque Philosophorum, & Theologorum, lumine naturæ nota etiam doctrina Arist. inde illam probat 1. Rethoric. cap. 4. quia consultatio, sine qua deliberatio esse nequit, *eorum, quæ fieri, & non fieri in nostra potestate sunt, omnino est*, & subdit. *Ad hoc vsque deliberamus, quousque possimus ne, aut non possimus agere inuenerimus.* & 5. Ethicor. cap. 8. *ea cum electione agimus, quæ antecessit deliberatio: ea sine electione, quæ non antecessit deliberatio.* Nihil autem electione nostra fieri, quod in nostra potestate non sit facere, vel non facere docuit locis pluribus supra citatis sicuti S. Thom. de materia omni consultationis, & electionis nostræ eius doctrinæ insistens docebat, vt vidimus, & cum eo, & Magistro Theologi reliqui. De materia verò deliberationis sic fatur 1. 2. quæstione 1. articulo primò, corp. *Homo est Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem. Illa ergo actiones propriè humana dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* & quæst 6. art. 2. ad 2. probat dominium hominis in suos actus, *quia ex eius deliberatione procedunt.* Qua doctrina consonat Magistro in 2. d. 25. quem etiam sectantur S. Bonauen. ibi p. 2. art. vn. quæst. 2. corp Ricar. art. 3. quæst. 2. & scholastici reliqui: asserentes, deliberationem de re deliberanti necessaria, aut impossibili esse non posse; sed solum de ita ipsi contingentibus, vt fieri ab illo, vel non fieri omnino queant: quare, cum præfinitio Thomistarum recentium, omnem vsum libertatis nostræ antecedens, atque ab illo independens sit, actumque præfinitum necessarium, & ex antecedenti necessitate à voluntate apponendum faciat, & non præfinitum impossibilem, etiam antecedenter, ex defectu principij essentialiter ad omnem nostrum actum requisiti, omnibus & singulis testimoniis ecclesiastici hactenus à nobis perpensis præfatas præfinitiones excludi perspicuum est. Id quod cum Lutherus, Caluinus, & assectæ viderent, tam locum Geneseos, quam hunc ecclesiastici (qui gestorum in hominis creatione, historia est) de primo homine in statu innocentiæ originalis intentum evincere, atque adeo in eo præfinitionibus suis antecedentibus, omninoque ab vsu liberi arbitrij independentibus locum cum integra & illæsa arbitrij libertate minime fuisse fatentur; at vero nec de Adamo, nec de nobis in statu naturæ lapsæ (in quo per peccatum, & sibi, & nobis liberum ille arbitrium perdidit) nullatenus eis locis esse sermonem. Quod autem voluntatis nostræ libertas, seu liberum nostrum arbitrium fuerit peccato deperditum: nonnullis Patrum distortis à proprio sensu testimoniis probare contendunt.

9. Et vero, licet hæc hæreticorum damnata, & infelix solutio, se ipsa labascat, & corruat; ne tamen sua facilitate incautos aliquos catholicos se ducat ex Patribus, consiliis, & rationibus disiicienda hic summatim erit: atque ab impostura Patres vindicandi: quia id prolixius præstiterè Bellarm. 5. de grat. & lib. arbitr. à c. 24. Soar prologom. 4. de grat. à cap. 7. Ruiz de Montoia d. 39. sect. 9. confutatur 15 error primo, quia ecclesiasticus, etsi occasione historiæ primo conditi hominis in statu innocentiæ, ad præsentes, & futuros homines, (scilicet in statu naturæ lapsæ existentes, & extituros) sermonem habebat: atque ad bonum liberi arbitrij sui vsum hortabatur: esset autem omnino ineptus sermo, & adhortatio iis, qui liberum arbitrium non haberent: quia aliquando illud eorum vetustissimus progenitor habuit: non secus ac si pauperrimum Codrum horteris, vt Atabi, qui decoxit demum, diuitiis vteretur. Secundo, quia subdit ecclesiasticus omnes peccatores redarguens. *Ne dicas per Deum abest*, quominus præcepta seruem. *Non dicas ille me implanauit*, impulit, vt caderem, ac deiecit. Ex libero autem arbitrio aliquandiu in Adamo, non proprio peccatoris male probaret, non Deum præfinientem, sed peccatorem ipsum sui peccati causam libertate sua esse. Tertiò; quia Patres omnes de nostri omnium libero arbitrio locum ecclesiastici intelligunt: atque ex eo potestatem nostram ad operandum, vel non operandum deducunt: sicuti, & ex loco Genes. 1. Quarto, quia rationes causæ primæ, & subordinationis causæ secundæ ad illam, atque indigentiæ causæ de se indifferentis determinatiuo aliquo, vt operetur æque, vel probant, vel non probant necessarias præfinitiones diuinas humanarum actionum in natura innocentis, atque lapsæ statu. Quinto quia Patres, vt dogma indubitatum docent: liberum arbitrium peccato, nec periisse vnquam, neque vsquam perire. Augustin. lib. 1. ad Bonifac. cap. 2. *Quis nostrum dicit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Eadem repetit ad verbum 1. contra duas epist. Pelagianor. addens. *Nam liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent homines: maximè* &c. Greg. Nyssen. de Opific. hom. cap. 16. fine. *Nihil inter hominem creatum in prima rerum fabricatione, & eum qui in extremo nascetur interest: æquali enim ratione imaginem Dei* (quam in arbitrij libertate sitam dixerat) *vterque gestat.* Prosper. 1. de vocat. gent. cap. 8. alias 3. *Nec, quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod nec tunc perdidit, quando diabolo voluntate se dedit: à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum.* Similia in eandem sententiam habet cap. 38. contra Collator. fine, & epist. de lib. arbitr. pag. penult. Anselm. dialog. de lib. arbit. cap. 3. init. *Licet peccato se subdidissent, libertatem tamen arbitrij in se naturalem in se interimere nequiuerunt.* Repetit senten-

tiam in elucidario (si eius author ipse est,) prope med. quam etiam tradiderat Chrysost. hom. 24. de variis. Matthæi locis, Dominica 1. aduentus col. 2. quibus alij Patres concordant. Hugo, & Ricardus Victorinus iam citandi Cœlestinus Papa epist. ad episcopos Galliæ, definitaque hæc veritas est in Concilio Arausicano 2. can. 8. Valentino sub Lothario imperatore cap. 6. Trident. sess. 6. can. 5. damnante dicentes. *Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse.*

10. Videamus tandem, quam inanes pro suo errore allegationes ex Patribus, Hæretici producant. Primò allegant Authorem Hypognosti. lib. 3. sub initium apud Augustinum; deinde Augustinum eundem cap. 30. enchirid. Tertio S. Thom. 1. 2. quæst. 109. artic. 9. fine. Cæterum libertatis voce æquiuocè abutuntur. Est quippe celebris apud Augustinum eis, aliisque locis, Bernard. de lib. arb. à col. 3. aliosque Patres, & apud Magistrum, & scholasticos in 2. d. 25. triplicis nostræ libertatis mentio, atque diuisio pro seruitute triplici, à qua liberi esse possimus, scilicet libertas à seruitute pœnæ, & miseriæ, quæ *libertas gloriæ* dicitur, in qua solum miseriæ, & pœnæ subiecti non erimus, & obnoxij, vt dicitur ad Rom. 8. *Tunc, & ipsa creatura liberabitur à corruptione in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Eam proinde libertatem nobis in patria seruari Bernardus ait. Alia libertas est à seruitute peccati: quæ *libertas gratiæ*, ideo nominatur, quia per Dei gratiam, qua peccatum propellitur, nobis donatur, vt habetur ad Roman. 6. *liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Hac nos Christus redimens, suisque meritis gratiam infundens donauit, ac proinde & *libertas redemptionis*, appellatur. Tertia demum libertas est physica, physicæ scilicet potestatis ad operandum opposita, siue ad operandum, & non operandum: & hæc sola, & tota est arbitrij libertas, quam præfinitionibus diuinis, quas admittunt, absolutè euerti hæreticè fatentur; eisdem verò admissis absolutè euerti negant Thomistæ Recentiores, quos ex libertate arbitrij impugnamus. Allegati igitur Patres solum docent libertatem secundam, à peccati scilicet seruitute, esse deperditam, vt allegatis locis ex Authore Hypognostici, & S. Thom. compertum est: Imò, & ex testimonio ipso Augustini, quod sonotenus difficilius reliquis est, sic enim habet c. illo 30. Enchiridij, *libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum: sicut enim, qui se occidit, vtique viuendo se occidit; sed se occidendo non viuit: nec se ipsum potest resuscitare cum occiderit: ita, cum libero peccaretur arbitrio victore peccato*, &c. sed certè cum eodem modo seipsum; atque liberum arbitrium perditum ab homine peccante dixerit: seque ipsum non destruxisse peccato ipso certum sit: nec suum liberum arbitrium ab illo destructum, & abolitum docet Augustinus; sed multo vtrumque deterioris sortis effectum per seruiturem peccati, vt vulgo latine, & hispane etiam, dicimus ob deterius alicuius accidens. *Perdiose, queda perdido*: & quamvis peccati seruitutem libertate arbitrij incurrerit: abiicere tamen, atque in gratiæ, & filiorum Dei libertatem à peccato in statu innocentiæ habitam sese reuocare, arbitrij libertate, & potestate nuda nequit: sicut qui viuens se occidit, occisus nequit se resuscitare; sed gratia redemptionis opus est, cum vt potestas resurgendi constituatur, tum, vt iustificetur, & formaliter à peccati seruitute sit liber. Sic enim ait Augustinus à capitis eius nomine. *Vade ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato* (omnem Dei gratiam, & beneficiũ demerente) *liberatus esse iustitiæ cœperit seruus.* & clarius ante recitata verba & cap. 2. contra duas epist. Pelagian. *Libertas quidem periit per peccatum: sed illa) quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Propter quod natura humana indiget gratia: dicente Domino: si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Vtique liberi ad bene, iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque adeo*, &c. sic Catholicam doctrinam tenẽs interpretatur Augustinum Hugo Victor. 1. 3. tract. 3 sum. sentẽn. c 9 & Ricardus victor. in p. 1. tract. 1. c. 13. 14. 21, 22. ac de erudit. interioris hom. p. 1. lib. 1. cap. 30. docet peccato non liberum arbitrium, sed eius robur, & sanitatem periisse.

CERTAMEN IV.

Pro exclusione præfinitionum earundem, alia scripturæ testimonia pugnant robuste.

1. PRimum esto ex Ioann. cap. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, ea autem potestas, licet à Deo, cum tamen hominum eius beneficio, indifferens ad ipsum, & eius oppositum, nec ad vnum determinata, & ligata esse debet: dicente Aristotele 3. ethicor. cap. 5. init. *Quibus enim in rebus in nostra potestate situm est agere, in iis, & non agere. Et in quibus non agere in iis est, & agere:* vbi S. Thom. lect. 11. init. *Si operari est in nostra potestate: oportet etiam, quod non operari sit in nostra potestate: si enim non operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos non operari: ergo necesse esset nos operari: & sic operari non esset ex nobis, sed ex necessitate. Et similiter dicit, quod, in quibus rebus non operari est in potestate nostra, per consequens etiam operari sit in potestate nostra. Si enim operari non esset in potestate nostra, impossibile esset nos operari: & sic non operari, non esset ex nobis, sed ex necessitate. Sic ergo dicendum est: quod in quibuscumque rebus affirmatio est in nobis, & negatio: & è conuerso.* Idem docet Augustinus de spiritu, & lit. c. 31. med. vbi, vt probet fidem in nostra esse potestate ait. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit: si non vult non facit.* Concludit inde. *Vide nunc vtrum quisque credat, si voluerit, aut non credat si voluerit? Nempe credere, quod* (postremum) *si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur? consensio autem vtique volentis est) profectò fides in potestate est.* Et sanè ea potestatis nostræ voce indifferentem arbitrij nostri ad vtrumvis, ad neutrumque determinatam potestatem in scriptura significari constat ex cap. 9. ad Roman. *Non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Et Marci 13. de proficiscente è domo homine dicitur. *Dedit seruis suis potestatem cuiuscumque operis*, etiam alterius alteri contradictentis, quod clarius fiet cum certam. 5. parabolam enucleemus Iob. 34. *Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium*: quia vtique non venire in eius potestate non est, vt acute, & profundè Hieronymus dicens, *id est, si habuerit potestatem vt veniat, potest habere, vt non veniat.* In quam sententiam eum locum interpretantur etiam Niceras, & Olympiodorus apud Comitolum in Catena Græcorum Patrum in libros Iob his verbis. *Neque enim rei gerendæ optionem daturus est amplius*: quia nimirum necessariò, velint nolint in iudicium venient ad Deum. Cui interpretationi consentiens Gregor. Mag. lib. 25. Moral. capit. 6. nos, vt nunc, cum in nostra potestate est ad Deum per confessionem in iudicium venire, quia venire, ac non venire possumus, veniamus per nostram de peccatis nostris accusationem, hortatur vt referemus quæstion. 3. certam. 2. num. 6.

2. Sed de ipsa speciali potestate indifferenti, nec ad alterum determinata, vt credentes filij Dei pro libito fiant, vel non fiant, hoc loco asserta Patres loquentes audiamus Basil. in Isa. 14. med. ad id *semen reprobum parat filios*, ait. *Ex quo ipsius proposito, & libera voluntate vnusquisque esse potest semen sanctum, aut certè in diuersum abire. Audi Paulum*, &c. & illud *quicumque receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Macar. Senior. hom. 27. med. *versatilis enim est natura nec, si quis velit euadit filius Dei; sin contra filius perditionis.* Olympiodor. in Eccles. cap. 3. sub init. *corporaliter quidem nasci, ac mori in nostra potestate non est, sed arbitrio Dei; & generamur, & morimur; spiritualis verò natiuitas, & interitus pendet à nobis. Opus enim est cum diuina operatione, & gratia, nostra quoque electione, vt moriamur quidem peccato, nascamur autem iustitiæ.* Pende illa,

non est in nostra potestate, sed arbitrio Dei. Statuentis inexcitabiliter à nobis, quibus, Dei ita statuentis independenter à nostra electione, & libertatis vsu decretum potestate arbitrij nostri contradicere, docet ac subinde libertati. Cyril. Hierosol. Catechesi 7. in med. & fin. *Non enim ex necessitate, sed voluntate in sanctam adoptionem deuenimus,* sub inferius. *Quod voluntaria* (perfecte, seu libera) *etiam Ioann. dicit, quicumque receperunt eum dedit eis potestatem,* &c. *Non enim ante fidem, sed ex fide, sponte filij Dei fieri, facti sunt.* Ambros. 4. de fide cap. 4. sub init. *quotidie Christum habere filios,* ait: *sed ea generatione, vel potius regeneratione, quæ potestatis est, natura. Adoptio enim potestatis est: generatio proprietatis. Quod ipsa scriptura nos docuit: dicit enim Ioann. &c. didicimus itaque potestatis* (nostri, quibus eam dedit) *esse quod filios Dei nos fecit.* S. Thom. in locum Ioann hunc lect. 6. *In datione gratiæ requiritur in homine adulto ad iustificationem suam consensus per motum liberi arbitrij. Vnde, quia in potestate hominis est, vt consentiat, & non consentiat, dedit eis potestatem:* per externam propositionem, & internam motionem inquit. Hilar. 1. de Trinit. post init. ait, *nostra esse potestatis; quia proposito vniuersis, Dei munere, non natura pignentium asseratur, voluntas præmium consequatur.* Gregor. Nyssen. in vita Thaumaturgi sub init. *Vna generis amplitudo est propinquitas cum Deo: quæ non casu fortuito, ac temere cuique contingit, nec aliter: quam libera electione adquiri potest; quotquot enim receperunt,* &c. Augustinus 1. retract. c. 22. fine. *In potestate hominis est mutare in melius voluntatem. Sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur: de quo dictum est: dedit eis potestatem,* &c. *Cum enim hoc sit in potestate, quod, cum volumus, facimus: nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: sed præparatur voluntas à Domino eo modo ergo dat potestatem.* & 1. contra duas epist. Pelagian. capit. 2. fine, *quid est, quod iste libero arbitrio vult bene viuendo tribuere potestatem? cum hæc potestas non detur nisi gratia Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum: dicente Euangelio: quotquot autem,* &c. capit. 3. med. *Datur ergo potestas, vt filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur, vt credant in eum, quæ potestas, nisi detur à Deo, nulla esse potest.* Chrysost. homil. 9. in Ioann. med. Theophilact. & Euthym. ad 1. Ioann. *rogant cur non fecisse, sed dedisse potestatem filios Dei fieri dicatur Deus?* Respondet Chrysost. *Gratiam* (adoptionis, de qua sermo) *non temere, nec sine labore nostro in nos infundi significatur; sed cum ipsi volumus, tum eam inquirimus in nostra enim potestate est filios Dei fieri.* Euthymius illud *fieri* pro conseruari in Dei adoptione habita, cum Chrysost. ante data verba, accipiens ait. *Ne per ignauiam perdant gratiam, sed dedit eis potestatem, quo diligentiores reddantur,* inferiuscule: *ipsius Dei est dare potestatem: ipsorum vero vti ea.* Cui quoad conseruandi potestatem datam consonat Theophylactus, & addit. *Fortassis autem quis etiam hoc dixerit: quod multi recipiunt eum per fidem, per hoc, quod solum credunt, quales sunt, qui discuntur Catechumeni: nondum autem facti sunt, Filij Dei. Potestatem autem tunc* cum filij Dei non fiunt, nec aliqui eorum vnquam fient) *habent cum voluerint baptizari.*

3. Hoc loco adeò irresistibiles, & independentes à libera nostra voluntate præfinitiones suas conuelli vidit Caluinus, vt *dedit eis potestatem*, per Papistarum corruptelam, & legi, & intelligi si legendumque posse. *Dedit ei sibiius Dei fieri*: clamet, apud Staplet. in antidoto Euang. Ioann. 1. num. 12. *Hunc enim locum* (sunt Caluini verba) *pessime corrumpunt: quia intelligunt optionem tantum* (formaliter, non in radice: sic enim, & filiationem dari Catholici fatemur) *nobis dari: siquidem hoc beneficio vti libuerit: quia Euangelium non dicat facere filios Dei, sed dare potestatem vt fiant.* Hinc ergo colligunt, *nobis gratiam hanc solum offerri: in arbitrio nostro esse eius fruendæ, vel non fruendæ facultatem.* Sed inde vel maxime vulgata lectio, & intellectio securius, firmiusque tenenda Catholicis erit quod omnium pessimo, & perditissimo Hæresiarchæ displiceat: cauendumque, ne ita cum eius præfinitionibus nostrarum actionum conueniatur, vt eius loci lectionem, & intelligentiam adeò vulgarem, & apud Patres vulgatam, vel animo, auersari opus sit. Ioannis item 6. alia Christi Domini verba satis ad rem præsentem accommoda extant: *Nunquid, & vos vultis abire?* quæ dicta Ciprian. recitandus quæst. 3. cert. 2. num. 3. *vt nostræ voluntatis esse ostenderet.* Epist. 3. ad Cornel. sub init. ait: iuxta Chrysost. Euthym. Theophylact. Æcumen. S. Thom. ibi lect. 8. & alios adeo indifferentem, & absolutam, atque expeditam remanendi, & abeundi facit discipulis potestatem, vt non solum absoluta, & simpliciter tali necessitate remanendi, sed & necessitate secundum quid ex verecundia, aut pudore solutam esse velit, vt ex ipsis quæst 3. recitabimus. Sunt autem ad intentum vrgentiora, quæ eo capite sexto, Christus dominus adnectit. *Nonne ego vos duodecim elegi; & vnus ex vobis diabolus est?* Ad quæ Cyril. Alexan. 4. in Ioann. capite 30. *Sed rapuit vnum auaritia deceptum Diabolus: liberum enim homo animal est, & potest, siue dextrum, siue sinistrum velit iter (virtutem dico, aut vitium) eligere.* Chrysost. homil. 46. in Ioann. longe à med. ait: ex Iudæ, & similium vocatorum perditione ostendi, vocatione nulla consentiendi necessitatem vocatis imponi. *Quam ob rem constat in nostro esse arbitrio, an saluemur, an perdamur.* Theophylactus ad ea verba monstrari docet Dei electionem, vim aut necessitatem nobis non inducere. *Sed electio quidem fit à Deo, qui adhortatur nos ad bonum, & suam nobis impertit bonitatem, in mente autem nostra, & voluntate situm est saluari, & digne ad electionem ambulare, vel è diuerso.* Euthym. ibidem *in nullo mea adiutus electione (quæ ad malum non est) vt pote liberum habens arbitrium ad virtutem, & vitium diabolus est: signat itaque in voluntate, ac electione hominis positum esse, vt saluetur, aut pereat.* Etiam Dei electione supposita S. Thom. in eum locum lect. 8. circa fin. *quia per hanc electionem non aufert arbitrij libertatem, neque aufert possibilitatem peccandi: sic dominus elegit Iudam non tanquam malum tunc: neque tamen per electionem ablata est ei possibilitas peccandi.* Porro, cum Dei electione, quæ Iudæ adfuit, potentia absoluta, & expedita & possibilitas, vt S. Thom. loquitur, non peccandi, & salutis consequendæ proculdubio adfuerit; & tamen ita electus peccauerit, atque absolute ab Apostolatu defecerit, voluntatis, & libertatis suæ argumento ab actu ad potentiam affirmatiuo (quod efficacissimum est) aperte demonstratur. Ex quo etiam è Dei voluntaria, independenti abusu libertatis Iudæ, eumque antecedenti electione nullam eiusdem libertatis vsum necessitatem permanendi, ac non peccãdi necessitatem, peccandive ac discedendi impossibilitatem eius voluntati inductam, siue intrinsecus, siue extrinsecus esse, cum tamen fuerit ipsi plena ad vtrumvis, atque absoluta potestas, quæ proinde decreto prædeterminatiuo vt non peccãdi nõ adfuit, ad absolutam & expeditã potestatem non requiritur.

4. Quod ipsum argumentum ex pluribus aliis scripturæ locis instruitur: quibus potestas hominum faciendi, quæ de facto non fecerunt, sed eorum potius opposita expressè asseritur Eccl. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona eius in domino.* Vbi obiter nota nullius bona stabilita, fixaque ante indifferentis potestatis, & libertatis suæ vsum adhuc in domino fuisse; sed ambigua, fluxa, & lubrica: quod cum præfinitionis irresistibilis de bonis nostris necessitate minimè consistit: sed ad præsens argumentum sapienter ex hoc loco nos hortatur Bernardus de grat. & lib. arb. prope med. vt libertate nostra, siue vtriusque partis potestate non abutamur. Et serm. 81. in Cant. circa med. *Vt merito laudatur, non is tantum, qui potuit facere mala, & non fecit; sed, & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala, & fecit, quam qui potuit facere bona, & non fecit.* Eandem Ecclesiastici sententiam arbitrij sui exemplo, & viuida in senio virtute declarauit veteris legis robustus, & senex Martyr Eleazarus 2. Machabeor. 6. sic in cruciatibus locutus. *Tu scis, quia eum possem à morte liberari, duros corporis sustineo dolores.* Genes. 31. Labam Iacobum generum fugientum assecutus. *Nunc valet manus mea reddere tibi malum,* quod tamen Dei monitu non reddidit. lib 3. Reg. capite 3. Salomoni facta à Deo potestate perendi quid vellet, petenti autem sapientiam sic loquitur Deus. *Quia postulasti verbum hoc, & non postulasti diuitias.* Potuit autem generali illa facultate diuitias petere; quasi petere

tunc

tunc, cum non petiit, nequiret nihil in eis non petendis tanta laude, & præmio egisset. Tertio. Potestas conuersionis & penitentia Tyriorum, sidoniorum, aliorumque plurium, quos sæpe scriptura reprehendit, quod non eos penituerit: quia reprehensione immeriti omnino essent, si tunc, cum eos non pœnituit, pœnitere absolute non posset. Quarto ad hoc argumentum faciunt, quæ de iuris potestate ad ea tunc facienda, cum non fiunt iuris quippe potestas physicam facti, seu agendi potestatem includit, vel supponit, ne inanis, & ridicula sit, vt patet, damnatis ad triremes quibus, etsi naturalis iuris potestas sit, quia tamen eis, dum compediti, catenatique sunt physica facti potestas absoluta, & expedita ad fugam, capessendam non est, quod tunc non fugiant, laudi verti minime potest.

5. Sunt autem de hac iuris potestate lata 1. Corinth. 9. vbi Apostolus de se, ac Barnaba ait posse iuris potestate (secluso scandalo, & idolorum cultu) de idolothitis, seu carnibus idolis sacrificatis comedere, de quo cap. 8. egerat; item vxorem habere, sicut alij Apostoli, & Zephas. insuper fidelium, quibus prædicabant, eleemosynis victitare, quia nihil eorum lege erat tunc prohibitum; & tamen subdit numer. 15. *Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me. Bonum enim mihi magis mori, quam, vt gloriam meam quis euacuet.* Quibus, dum de non vsu in domino gloriatur, ac non in se, potentiam physicam vtendi, cum non vtebatur, quo iure poterat asserit: alioqui de physice sibi impossibilis vsus abstinentia inaniter, vt dixi, in domino adhuc gloriaretur c. verò 6. dixerat *Omnia mihi licent; sed non omnia expediunt*, vbi simili potestate iuris ad ea facienda, quæ, quia conuenientius erat, tunc omisit, potestatem physicam etiam suam ad illa profitetur. Deliberatio enim, & consultatio de alterius conuenientia maiori ad vtrumque, ni stolidi, & inepta sit, supponit potestatem: quare ex hoc loco physicam Apostoli ad ea, quibus abstinuit potestatem absolutam deducunt Theophylact. ibi Iræneus 4. aduersus hæres. cap. 62. Insuper Actor. 5. Petrus ad Ananiam, & Saphiram. *Non ne manens tibi manebat? venundatum in tua erat potestate:* ad quæ Chrysost. homil. 12. col. 2. *Neque vendere coegimus: neque pecunias, postquam vendidisti, dare. Tu verò ex tua voluntate hoc fecisti.* Cum iuris, & facti potestate posses non facere, *cur igitur furatus es de sacris pecuniis?* quod poteras physice non facere, & potestate iuris facere iam non poteras. Huc aduoca totum c. 30. vbi Paterfamilias vxoris, & filiarum audiens, nec contradicens, vota rata habere censetur. Ea vero quæ nescivit eius arbitrio, vt probentur; aut reprobentur omnino permittuntur: ac proinde cum earum votis non contradicit, tam physica, quam iuris potestas in Patrefamilias contradicendi asseritur. Denique Tobiæ 1. Salmanasar Tobiæ dedit potestatem, quocumque vellet ire habens libertatem quæcumque facere voluisset. Nulla vero alia ratione Rex potestatem dedit, nisi non ligando ciuiliter prohibitione, quam Tobias habebit quoquo pro arbitratu suo eundi physicam potestatem.

6. Ex vsu stricte, ac proprie, nec solum pro cuiusvis facultatis operatione, accepto, quem nobis scriptura tribuit eadem indifferens ad vtrumvis, neque ad alterum ligata, & antecedenter determinata arbitrij nostri potestas exprimitur Genes. 6. vt Abraham sanæ faceret ancillæ puniendæ, à timore etiam, expeditam facultatem ait. *Ecce ancilla in manu tua est: vtere ea, vt vis* 1. Corinth. 7. *seruus vocatus es non sit tibi curæ. Sed, etsi possis fieri liber, magis vtere.* Rursus, *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*, cap. 9. *sed non vsi sumus hac potestate.* 1. ad Timoth. 1. *Scimus, quia bona est lex: si quis ea legitimè vtatur.* 2. Corinth. 3. *Habentes igitur talem spem magna fiducia vtimur.* Sap. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus: quo, qui vsi sunt.* Eccles. 13. *vtere, quæ si homo frugi, his, quæ apponantur tibi*: vti autem proprie dictum ex scholasticis omnibus ab August. edoctis 10. de Trinit. cap. 11. *est assumere aliquid in facultatem voluntatis ad finem.* Id quod, nisi à libere, & ex potestate indifferenti, nec ad vnum determinata, fieri nequit. Vnde idem August. quæst. 30. ex octoginta tribus med. ait, *vti aliqua re non posse, nisi animal, quod rationis est particeps: scire namque, quo quid quam referendum sit, non datur rationis expertibus: sed neque ipsa rationalibus stultis.* Et S. Thom. his consonans 1. 2. q. 16. art. 1. corp. init. ait: *vsum rei alicuius importare applicationem rei illius ad aliquam operationem. Vnde, & operatio, ad quam applicamus rem aliquam dicitur vsus eius,* & art. 2. corp. init. reperit: *vti est applicare aliquod principium actionis ad actionem: sicut consentire est applicare motum appetitiuum ad aliquid appetendum.* Siue igitur vsus in actu voluntatis diuerso ab electione, siue in electione ipsa, siue in rei per electionem, quovis gradu, ad finem ordinatæ operatione consistat? necessario ad vsum electio voluntatis, & indifferens huius, ac non determinata potestas requiritur. Secundo. Hæc electio, qua re applicita per ipsam ad operationem vtimur in aliquem finem, determinatio est, quæ essentialiter in determinationem, & indifferentiam potestatis nostræ supponit, ob inde S. Thom. citatus art. 1. ait. *Vnde manifestum est, quod vti proximo, & principaliter est voluntatis, tanquam primo mouentis: rationis, tanquam dirigentis: sed aliarum potentiarum tanquam exequentium.* Ecce primus ad vsum rerum motor, & determinator voluntas nostra, libertasque arbitrij nostri est: ac proinde Deus anterior, & prior vsus rerum præfinitor, & determinator iuxta S. Th. esse nequit: cum nihil primo prior in eodem genere, & linea esse possit. Similiter discurrit in 1. d. 1. quæst. 1. art. 1. corp. & ad 4. asserens potentias alias referre operationes ad finem executiue solum, voluntatem verò intentiue; ita vero, *quod intendens se moueat, aut determinet ad illam intentionem. Aliter enim intendens finem non refert proprie loquendo aliquid in finem intensionaliter; sed ille ipse, qui illud determinauit ad talem intentionem.* Huic doctrinæ consentiunt Albertus Magn. 1. part. quæst. 8. m. 2. docens facultatem vtendi debere esse promptam, & expeditam ad agendum, & non agendum. Duran. in 1. d. 1. quæst. 3. & 4. par. Bonau. ibi art. 1. quæst. 2. corp. & ad 2. & reliqui scholastici aiunt, *vti esse applicare res ad operationem cum dominio, & potestate non applicandi illas præsertim,* Capreol. ibi quæst. 2. art. 1. concl. 1. & 2. art. 2, & 3. conclusionib. & solutionib. argumentor. fusius Deza qu. etiam 2. art. 3. tribus notabilib. primis & art. 4. S. Antonin. 1. par. tit. 4. cap. 11. init. & §. 1. Est denique expressa Patrum doctrina Damasc. dial. aduers. Manich. post med. *in vobis situm est vti his, quæ nobis diuino munere concessa sunt,* Epiphan. hæres. 66. post epist. Marcelli pag. 3. *Deus ob eximiam suam bonitatem omnes, & omnia vtilissima esse voluit: & sua bona omnibus proposuit: iuxta permissionem vero liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit: vt quisque voluerit faciat.* Iustin. Mart. quæst. 46. ad gent. fine: *Mala vsu vicioso mala sunt, non natura; sed bene, aut male vti arbitrij nostri est.* Moses Barcepha comment. de paradiso par. 3. capit. 1. ait: *vsum, atque abusum in libero primorum parentum fuisse arbitrio positum: vt iam non ex ipsa arbore malum, sed ex arboris abusu existimandum sit.*

7. Aliis etiam modis loquendi hanc arbitrij, & voluntatis liberæ indeterminatam de se potestatem ad vtrumvis scriptura significat. Primus est. *Ponere aliquid in corde, eive cor apponere.* Dauid Psalm. 12. exilioribus entitative auxiliis suffultus, Deique consolationibus penè destitutus aiebat, *vsque quo Domine obliuisceris me in finem? quousque auertis faciem tuam à me? quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?* Prouer. 24. *Posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.* Eccles. 50. *Beatus, qui in istis versatur bonis: qui posuit illa in corde suo sapiens erit.* Ezech. 14. *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis:* frequens est in eo capite phrasis. Actor. 1. *Quare posuisti in corde tuo hanc rem.* Secundus huic æquipollens ad rem hanc modus loquendi scripturæ frequens est. *Cogitare in corde, siue cogitare, vel ponere in corde cogitationes* Eccles. 2. *Cogitaui in corde meo, vt abstraherem à vino carnem meam, vt animam meam transferrem ad sapientiam*: vbi etiam abstractio sui & translatio in aliud potestatem sui ad vtrumvis ostendit. Et Matth. 9. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Ponere autem vnum in alio, siue vnum alteri apponere, cui connexum de se non est, illius plane est qui poni, siue apponi huic, siue in hoc vnum illud determinati

terminat. Quocirca cum in corde suo ponere aliquid, &c, in eis locis dicitur, ipse se determinare potestate sua libera, ac non determinari ab alio declaratur. Et quidem clarius hoc argumentum est in locis scripturæ, quibus homines, vel proponere aliquid, vel in corde proponere dicuntur Sap.7. [Proposui pro luce habere illam.] cap.8. [Proposui ergo hanc adducere mihi ad combibendam.] Daniel.1. [Proposuit in corde suo ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius.] Ad Roman. 1. [Sæpe proposui venire ad vos.] Prologo Eccles. fine. [Qui secundum legem domini proposuerunt vitam agere.] Act.1. [Horrabatur omnes in proposito cordis manere in domino.] Proponere autem in corde, cordisve propositum circa ea tantum est, quæ sub nostram indifferentem, neque determinatam potestatem cadunt, vt docet Arist.1. magnor. moral.c.8. verbis hisce: [Propositum est eorum, quæ in nostra potestate sunt: & eorum, quæ nobis diuersam in gerunt ratiocinationem: hoc ne, an illud eligendum.] Subinferius. [Est igitur propositum in eis, quæ sub actionem cadunt: & eis ipsis, in quibus nostrum sit agere, & non agere: ita, vel non ita.] Secundo: quia summa Dei prædestinandis hominibus, vel non prædestinandis libertas, atque absoluta potestas, nulla alia, quam *propositi*, voce aptius significari visa Apostolo fuit. Ad Roman.4. [Secundum propositum gratiæ suæ cap.8. [Illis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti.] cap.9. *Vt secundum electionem propositum Dei maneret.* Quæ his etiam Apostoli verbis commentatur S. Thom. [Cuius vult misereatur, & quem vult indurat.] 2. ad Timoth.1. [Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam.] Ad Ephes. 1. [Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum gratiæ suæ.] Subinferius. [Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo.] Statim fere. [Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur secundum consilium voluntatis suæ:] ergo eis scripturæ locis, quibus de nobis, *propositum*, *proponere*, absolute, seu in corde, seu voluntate asseritur, eius absoluta libertas, indifferensque ad vtrumque, neque ad alterum ligata, & determinata potestas affirmatur: integrum dedit discursum. Iustin. Mart. quæst.9. ad Gent. verbis hisce. [Ad quæ proponitur nostrum agit nos, propter ea aut coronamur, aut plectimur. Nam ad agendum dedit nobis vires; sed eas subiecit potestati propositi.] Et quorsum precor nostrum propositum agendi ea, quæ velimus, nolimus, de Dei præfinitione agenda à nobis sunt?

2. Secunda item Petri epist. cap.1. pro indifferenti, neque ad vnum ligata arbitrij nostri potestate, ac subinde pro necessitatis antecedentis diuinarum de nostris actibus præfinitionum exclusione, suppetunt plura. [Vos autem, inquit, curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem.] Ad quæ S. Thom. [Sub Deo principaliter operante inferentes, & ei cooperantes. In omnibus enim principalis authoritas est gratiæ; secundaria liberi arbitrij.] Et sane cura nostra esset inanis, si aliter, quam præfinitum de nostris actionibus esset, agere, vel non agere non possemus. Inepta etiam ad hortationes esset, si cum sub illaturi curam essemus, non possemus absolute eam non subinferre. Pergit. *Hæc enim, si vobiscum adsint, & superent.* S. Thom. *per consensum liberi arbitrij.* Ambiguum, & dubium ob sui contingentiam, & libertatem, quæ particula *si* dubitatiua satis exprimitur. Inepte enim in conditionali propria aliquid absolute necessarium pro conditione apponitur, vt supra dicebamus cert.2.n.4. vrgentius subdit Petrus. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Etenim, vt dixi de præfinitis, aut non præfinitis inanis esset nostra solicitudo, ac subinde Petri ad illam adhortatio. Maxime, cum ex præfinitione, quæ etiam solicitudini nostræ necessaria ab his asseritur, non possimus non satagere; ex eius verò defectu satagere absolute non possimus. Secundo: ni vocationis, & electionis infallibilitas nostra bona opera instatu saltem conditionato, quem potestate antecedenti possumus absolute tollere, supponat, non apparet, quomodo per nostra bona opera certam vocationem nostram, & electionem facere possimus. Et sane, ni ea in voluntate nostra ad vtrumque flexibilis potestas Dei electione, & vocatione relinquatur, sed illæ efficaces ab intrinseco necessario omnem nostrum actum præcedant. Inepta etiam erit illa ad Ephes. 4. obsecratio, & adhortatio, *vt digne ambuletis vocatione vestra*; Et ad Roman 6. [Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.] Ex quo proinde loco Cyrillus Hierosol. Catech.4. de Statu inter homin. probat eum, *sui iuris esse: & per gratiam habere potestatem facere, quæ velit.* Sicuti & œcumen. in eum locum. Item, & adhortationes plures scripturæ redduntur inanes, & ludricæ. Eccles.c.6. vt torquibus, vinculis, compedibus, & iugo pedes, collum, nosque ipsos subiiciamus sicuti & cap.vlt. *Collum vestrum subiicite iugo: & suscipiat anima vestra disciplinam. In proximo enim est inuenire illam.* Vbi nota, *in proximo* non facultatem modo, sed, & facilitatem inueniendi illam in omnibus, quare & in eis, qui illa, ne quæsierunt quidem, denotari. Et illud: *Tollite iugum meum super vos.* Et quoniam longissimum esset omnes fere Prophetarum, & sapientiales, noui, imo & veteris testamenti, libros similibus monitis, & exhortationibus, & consiliis plenos transcribere: eos omnes eis præfinitionibus, & principiis necessariis efficacibus de se se, atque abusu nostræ libertatis independentibus cassari, inanesque, & ludricos reddi. Item increpationes omnes peccatorum in scriptura frequentes, vt Hierem.1. *A sæculo fregisti iugum; rupisti vincula: dixisti non seruiam.* Etenim iustissime ea omnia in diuinæ præfinitionis, aut principij alterius requisiti antecedenter defectum possent impij refundere, eamque ad omnia sua vitia promptū esset causari.

9. Adde loca, quibus per disiunctiuas particulas alterutrum disiunctim, licet non coniunctim vtrumque, faciendi potestas arbitrij nostri declaratur. Idem habetur Matt. 6. simili illo: *Nemo potest duobus Dominis seruire*: quia ad vtrumque coniunctim impos est homo. [Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.] Ecce potestatem ad vtrumvis. Ad Roman.6. [Quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, ferui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam.] Nota illud etiam, [cui exhibetis vos seruos. Ex nostra nimirum electione, & potestate non captiuantis nos alterius. Item 2. ad Timoth. 2. cum exemplo, vasorum è solo arbitrio Domini aliorum in contumeliam, aliorum in honorem summam Dei potestatem, & libertatem in vno præ aliis prædestinando explicuisset, subdit. *Si quis ergo se emundauerit ab istis,* (enumeratis vitiis) *erit vas in honorem sanctificatum.* Ad quæ Damasc.4. de fide cap.20. sub init. [Solus profecto ipse vniuersorum est Opifex: sed non ipse solus honorabilia, aut ignominiosa struit vasa; sed propria vniuscuiusque voluntate, & delectu & hoc dilucidum est ex his, quæ Apostolus,] &c. Perspicuum autem, quod voluntarie purgatio fit. Si enim quis,] inquit, [expurgauerit seipsum, & remaneat: reciprocaque sequelæ conuersio respondet. Si non expurgauerit, erit vas in ignominiam.] Et dialogo contra Manichæos vers. fin. [Nam, cum ita conditi simus, vt arbitrij libertas nobis insit, in nostra potestate situm est, vt vel nos ipsos, fœdissimus quibusque vitiis expurgemus, vel iisdem inquinemus.] Chrysost. in id caput hom.6. Statuta necessitate gratiæ ad quodvis pium opus sub init. discrimen hoc materialium à nostris spiritualibus vasis obseruat ibi. [Nempe, neque fictile vas aureum fieri poterit: neque hoc in illius naturam conuerti. At verò hic magna huius mutationis, & migrationis facultas volenti datur.] Ad idem etiam institutum ostendendum faciunt plura scripturæ testimonia, quibus homines sese à fide, & gratia subtrahere, aut non subtrahere dicuntur. Renuere insuper vocationi, Deique sermones, & consilia abiicere, reiicere, repellere; quorum nihil de eis dici poterat, ni ea omnia ex arbitrij sui expedita ad vtrumvis potestate, & libera absolute, per gratiam, & vocationem etiam præstarent. Ad Hebr.10. fine: [Quod si subtraxerit se, à fide, non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei, in adquisitionem animæ.] vbi S. Thom. lect.4. prope fin. *Quia in potestate habentis fidem est ipsam perdere, vel seruare,* c.12. *videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur:*

multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus. 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.* Prouerb. 24. *vocaui, & renuistis*, &c. *despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*, & huiusmodi sexcenta alia.

CERTAMEN V.

Parabolis, metaphoris, ac figuratis scripturæ locutionibus, præsimitiones, & reliqua principia antecedentia requisita, & determinantia ad liberas nostras actiones confutantur.

1. PRo eodem arbitrij nostri ad vtrumque, siue contrarietatis, siue contradictionis extremum expedita, atque ab omni antecedenti necessitate soluta, & absoluta potestate stant metaphoricæ paraboliceæ, & figuratæ scripturæ locutiones. Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in statera*: quia ad leuiora affectus lance deliuant. Nullo enim alio viuidius anceps in vtramque partem arbitrij expedita potestas, quam statere emblemate, poni ob oculos potuit. Accipe profundam Emphasim Tertulliani. 2. aduersus Marcionem capit. 6. huc alludentis *Vt ergo bonum iam suum haberet homo emancipatum sibi à Deo* (quasi nullum, præter nostrum) ius, & potestas, ad illud Deo in actiones nostras superfit: sicuti nec parenti in emancipati filij bona, & actiones ciuiles) *ex institutione adscriptæ est illi, quasi libripens emancipati à Deo boni libertas, & potestas arbitrij.* Clarius Cyril. Alexan. 8. contra Iulian. Ea metaphora rem explicuit. *Homo suorum ius suum momento in vtraque fertur: in bonum inquam, & in malum.* Basil. ad eum vers. *Statera quædam est à conditore apparata, per quam rerum naturam possis probe discernere*: quam boni & mali eligendi arbitrium esse ait. Et subinferius. *Quæ ad instituendam vitam eligenda veniunt per liberum arbitrium discernimus: quod & stateram nominauit: quod momentum æquale ad vtramliber possit capere.* Et ad id: *vt sciat reprobare malum*, &c. Eadem metaphora rem explicans ait. [Nostræ quidem naturæ inclinatio ad vtraque peræque propendet: & quidem plerumque ad id, quod malum est, deflectit; subinde autem, & ad id vergit, quod bonum est: vt contingit in statera. Nunc quidem anima se deminente ad suscipiendas perturbationes, affectionum; nunc autem ex diuerso eadem malo se auocat, & conuertit ad id, quod melius est.]

2. Dico alia veritatis eiusdem emblemata affinia habet Iacobus cap. 3. suæ epistolæ, vbi de moderante linguam ait. [Potest etiam fræno circumducere corpus suum. Sic autem equis fræna in ora mittimus ad consentiendum nobis: &, etiam, omne corpus illorum circumferimus: ecce, & naues, cum magnæ sint, & à ventis validis minentur circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.] Frænum autem, & gubernaculum adhibendæ, & contrahendas habenas, huc que, & illuc nauim, ac equum admouendos, amouendos, circumferendos, nisi ad eos omnes motus peragendos in eis vtente sit expedita omnino facultas, inania prorsus, & inutilia instrumenta sunt: quare, ne & arbitrij nostri ad omnes suos, ac cæterarum potentiarum motus expedita sit, aque omnino absoluta potestas, inutilis erit. Ad hoc explicandum ea metaphora vtuntur Didymus Alex. 1. 9. Biblior. in eum locum; in quem etiam glossa, & S. Thom. Innocent. Pap. epist. 26. ad Concil. Mileuitan. *Primum hominem, ita libertas ipsa decepit: vt dum indulgentius frænis eius vtitur, in prauaricationem præsumptionis incurrerit.* Quæ mutuati sunt Cœlestinus Pap. 1. epist. ad Episcopos Gall. Prosper. contra Collator. c. 9. & 10. Petrus Diaconus de incarnat. & grat. Iesu Christ. Author de Eccles. dogmat. cap. 32. apud August. Cyril. Alex. 9. in Ioann. cap. 10. prope med. *Rationali creaturæ liberam potestatem creator largitus est: & suæ voluntatis habenas cuique commisit: vt in eo sit, quidquid præhauerit, eligere.* Dialog. de adora. Spirit. S. col. 6. datam homini ait animam peccato, & affectionibus superiorem, mutationis tamen quo velit capacem. *Nam visum est rectum permittere illi suarum voluntatum gubernacula: & tribuere spontaneis motibus facere, quod placebat.* Damasc. lib. de duab. Christ. volunt. med. *Appetitio, quæ rationi paret, ac sui est arbitrij, vt libere quasi fræno ducat omnem motum naturalem, eumque effectoris legi subiiciat.* Hæ metaphoræ breui coniunctæ sunt. Prouer. 28. *Aurum tuum, & argentum tuum conflа: & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Vtrumque etiam coniunxit Cyril. Alex. recitatus cert. 2. n. 2. illis verbis 8. contra Iulian. sub fin. *Arripuit enim suæ voluntatis habenas, & suorum iussuum momento in vtraque fertur.*

3. Id ipsum singulari metaphora Christus dominus explicuit, ita Ioann. vlt. Petrum allocutus. *Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris extendes manus tuas: & alius cinget te, & ducet, quo tu non vis.* Primò enim *cingebas te*: cum discinctus, laxiorque esse posses: neque enim, qui non esse cinctus nequit, se cingere potest, ideirco recte Sanct. Thom. ibi lect. 5. sub init. ea interpretatur. *Id est ab aliquibus illicitis, & superfluis cohibebas te: quasi tuo arbitrio non passus, quod ab aliquo cohibereris.* Secundo illud *ambulabas vbi volebas*, explicatius adhuc pro indifferenti arbitrij potestate est; Tertio aduersatiua: *alius cinget te, & ducet, quo tu non vis*, nempe ad crucem, & mortem, quas, ersi à Tyranno oblatas libenter acceptauit, manusque vltro reus ad crucem, vt hic dicitur, extendit; quia tamen, vellet, nollet, atque independenter à sui arbitrij libertate, solutaque potestate eas à Tyranno, & tortoribus passurus erat, nolle, seu non velle, illas absolute dicitur, sed de hoc loco iterum q. 3.

4. In super eandem veritatem nos Christus Dominus docuit eis parabolis, quibus Dominus seruis suis bona ad negotiationem & administrationem tradit; & postea ab eis profectus etiam peregre, inducitur: vt ostendat Deus totam gratiæ suæ, & potestatis ab ipso factæ negotiationem arbitrij nostri libertati, potestati, & industriæ relinqui, ac si ipse de cætero nobis non adesset; imo à nobis abesset. Matth. 21. septa vinea cum torculari agricolis locata, *peregre profectus dicitur.* Hieron. apud caten. S. Thom. [Non loci mutatione; nec enim Deus alicubi abesse potest, quo complentur omnia. Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi seruetur arbitrium.] Chrysost. & Euthym. patientiam, & longanimitatem Dei ostendi aiunt, qua eos arbitrio abuti permittit cap. 25. dispersis inter seruos talentis pro cuiusque facultate: *profectus est statim*, vbi glossa. *Non locum mutans, sed liberam esse operandi potestatem permittens, & suo arbitrio relinquens.* De vineæ locatione præfata. Marci 12. additur etiam. *Et peregre profectus est.* Beda in Caten. S. Thom. *Non loci mutatione, sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.* Lucas verò cap. 20. eandem parabolam referens ait. *Et ipse peregre fuit multis diebus.* Ad quæ Theophylact. *Dimisit illos progredi arbitrio suo.* Ambros. apud Caten. S. Thom. *Ne propera videretur exactio. Nam, quo indulgentior liberalitas, & intur exactio. Nam, quo indulgentior liberalitas, & intur excusabilior peruicacia.* Similis alia parabola est. Marci 13. *Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam.* addit: *Et dedit seruis suis potestatem cuiusque operis*: quo longinqua illa Domini profectione Domini potestatem seruis quidlibet pro libito operandi significari ostenditur: sicuti, & illis: *reliquit domum suam*, vt vidimus supra, & illis: *Et ianitori præcepit vt vigilet*, illis denique: *Ne cum veniret repente inueniat vos dormientes*: quia vtique in potestate eorum erat vel dormire, vel vigilare. Quarta denique ad rem hanc parabola extat Luc. 15. de filio prodigo; qui habitis à patre bonis, quæ ipsum contingebant (quibus liberum arbitrium Patres, vt hic, & quæst. 3. citandi intelligunt: *Peregre profectus est.* August. in 2. quæst. Euangelicar. q. 33. [Placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum velut quandam potestiam naturæ suæ, & deserere eum, à quo condita est, fidens de viribus suis, quas vires, eo consumit citius, quanto eum deseruit, à quo datæ sūt,] serm 34. de verbo domini. *Peruerse vult imitari Deum:*

Deum: vt quomodo Deus non habet, à quo regatur, sic ipse velit sua potestate vti, vt nullo regente viuat. Mitto verba, quæ singulatim potestatem arbitrij ad veramvis probant: præsertim desertio Dei, quæ est ab eius voluntate prodigi spontanea discessio. Solumque obseruo eius à Patre Deo profectu, & decessione plenipotentiam arbitrij semel à Deo instructi in suas actiones, quasi nullatenus Deum vltra pertingerent, parabola hac, sicuti, & reliquis, significari.

5. Succedant figuratæ ad rem eandem scripturæ locutiones, Prima est locorum, quibus particulis dubitatiuis de humanis loquitur actionibus futuris: quas, cum probe, & infallibiliter nouerit, earum solum ex parte arbitrij nostri eas agendi, & non agendi contingentia, atque (vt sic loquar) ex parte actus primi dubietas anceps significatur. Sunt autem loca Hierem. 5. *Forsitan pauperes sunt, & stulti.* Hieronym. *Vt ex ambiguitate sententiæ, & suspensione verborum liberum hominis monstraret arbitrium,* quod, & illo Lucæ 20. de vinitoribus, *Forsitan cum hunc viderint verebuntur,* confirmat. cap. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant.* Hieron. *verbum ambiguum, forsitan, Maiestate domini conuenire non potest, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruet arbitrium.* Theodoret. post alia in eandem sententiam, *docet itaque per ea, quæ dicta sunt, eos posse suscipere morum mutationem.* Euseb. de præparat. Euangel. lib 6. c. 9. sub med. *Æqualiter vtrumque contingens à dictis esse ostendit; non alterum necessariò, vt nec in delinquentibus conuerti, & non conuerti potestas in sit* cap. 51. *Si forte sanetur.* Ezechiel 2. *Si forte audiant, etsi forte quiescant:* quod præfata sententia interpretantur Hieron. & Theodoret. ibi Chrysost hom. 69. in Matth. col. 1. homil. 78. col. 5. Theophylact. in Lucæ 20. sub init. recitandi q. 3. in eandem sententiam interpretantur illud Matth. 11. *Si in Sodoma factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt: forte mansissent vsque in præsentem diem.* Hieron. recitatus quæst. 1. S. Thom. Lyra, Hugo Cardinalis in suis comment. Abulens. q. 52. in Matth. referens Remigium; & Dei de euentu illo conditionato certitudinem ex altero ex probationis illius membro. *Si in Tyro, & Sidone,* (in quo sine particula, *forte,* similis asseritur conditionatus euentus, *Olim in cilitio, & cinere pœnitentiam egissent*) acute probans: *quia tamen,* subdit, *Conuerti, vel non conuerti pendebat ex libertate arbitrij, quæ non habet in se aliquid determinatum, sed habet se libertas ad vtrumlibet: dixit forte: vt non putetur Dei cognitio rebus necessitatem imponere,* Genes. 3. *Ne forte mittat manum suam, & sumat.* & Deuter. 20. sæpe. *Ne forte moriatur in bello* c. 32. *Ne forte superbirent hostes eorum.* Exod. *Ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere.* Quia vero, & pœnæ infictio à culpa pendet, vt in hac admittenda arbitrij nostri soluta prorsus, & absoluta potestas ostendatur de pœnis à se infligendis dubitatiuis etiam particulis sæpe loquitur Deus. Malachiæ 4. *Ne forte veniam, & percutiam anathemate.* Oseæ 2. *Ne forte exspoliem eam nudam.* Ideo, etsi certa de fide vere pœnitentium remissio à Deo sit, simili particula asseritur Actor. 2. *Si forte remittatur tibi hæc cogitatio,* quod ad rem præsentem notat Ambros. 2. de pœnit. cap. 5. sub init. Ioel. 2. *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus.* Ionæ 3. *Surge, & inuoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis.* Demum, vt res hæc clarius innotescereat, non solum respectu voluntatis nostræ actiones nostræ contingentes in scriptura dicuntur sed etiam hyperbolice respectu prouidentiæ diuinæ (cui tamen nihil creatum contingens esse potest) iuxta S. Thom in 1. de malo, ac de veritate, & 1. p. q. 14. art. 13. Caietan ibi longe à med. §. *Quoad secundum agitur,* & Scholasticos alios, Lucæ 21. *Continget autem vobis in testimonium.* Matt. 18. *Etsi contingerit, vt inueniat eam.* Ioann. 5. *Ne tibi deterius aliquid contingat,* & similia plura.

6. Dices particulam *forte* in scriptura reddere sensum potentialem tantum rei, quæ sub illa fore asseritur; non vero eius futuritionem aliquam, oppositæve rei possibilitatem, siue potentiam alicuius ad ipsam. Ideo Ambr. proxime ad illud Ezechiel. 2. *Si forte audiant,* Ironice, & tanquã absurdum infert. *Nesciebat ergo eos posse, aut non posse conuerti:* quia id *forte,* possibilitatis rei notam solum esse intelligit: vti etiam Propter ad excerpta Genuens. dub. 8. post med. videtur sentire. Et Hieron. ad locum de Tyriis, & Sydon. Matth. 11. *Si Tyrus, & Sidon non potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem saluatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quod non crediderunt.* Quasi illa particula *forte* solam possibilitatem pœnitentiæ illorum, sensu videlicet potentiali, nihilque aliud ea oratione faceret significari. Sed contra primo: quia sensus potentialis, Græcis, & Latinis Grammaticis, imo, & Patribus notissimus, possibilitatem quidem rei, vt futuritionem solummodo absolutam eius, non autem conditionatam excludit, ad eos significabat: quare & possibilitati, & conditionatæ rei futuritioni significandis is sensus potentialis apud priscos omnes inseruiebat: quia nomen statum illum medium futuritionis conditionatæ rerum significans, nondum notum, imo natum erat: quare, & ad eum significandum pœnitentiæ, aut non pœnitentiæ statum, possibilitatis voce, & potentiali sensu vti sunt Ambrosius, Hieronym. & Prosper locis oppositis; cum constet ex dictis contr. 2. eos conditionatam pœnitentiæ Tyriorum futuritionem sub conditione virtutum, & signorum Christi asseruisse secundo, adhuc admisso sensu eotentiali pro sola rei possibilitate, ex locis datis potestas indifferens, nec determinata, arbitrij nostri ad illam, atque oppositi extremi possibilitas demõstratur. Si quidem ex locis Hierem. & Ezech. præsertim c. 51. *Si forte sanetur.* Et de vinitoribus. *Forsitam verebuntur filium meum.* Sanitas Babylonis, & reuerentia vinitorium ex sensu tuo potentiali possibilis eis fuit: cum autem oppositum acciderit, vt dicitur statim: *Curauimus Babylonem, & non est sanata.* Et vinitores filium occiderint, & populus Prophetas non audierit, ex eorum factis potestas ipsorum ad opposita euidenter euincitur.

7. Dices *forte,* & similia aduerbia sæpe apud Patres Homerum, Arist. & reliquos Philosophos, & Poetas, imo & scripturam tantundem valere, atque *vtique* Psal. 54. *Si inimicus meus male dixisset mihi, abscondissem me forsitan* (vtique) *ab eo,* Ioann. 5. *Si credéritis Moysi, crederetis forsitam & mihi* Ignatius Mart. epist. 3. ad Magnes post med. & August. 16. contra Faustum cap. 26. pro *forsitan* Legunt *vtique.* Ioann. 4. *Tu forsitan petisses.* Theophylact. sine *forsitan* lgit. Et sententia Lucæ 20. *Forsitan verebuntur filium meum,* Omisso *Forsitam.* Matth. 21. & Marci 12. legitur tandem variis scripturæ locis eam Patres omittunt; quia nil simplici affirmationi deroget; sed potius ei asseuerationem addat, vt omittit August. proximo loco Ioann. 4. & Genes. 3. *Ne forte mittat manum* lib. 11. de Genesi ad literam c. 40. Contra verò: quia in locis notatis impugnatione secunda solutionis primæ. Si particula *forte* asseuerationem addat simplici affirmationi, imo ni simplicem affirmationem minuat, falsæ illis contentæ propositiones erunt. Cum etiam in conditionatis earum purificata conditione, oppositum eius, quod sub eis fore dicebatur, euenerit: vt in Babylonis sanitate, & obedientia, & pœnitentia populi. Idcirco giossa ad locum Hierem. 51. Hieron. nomine, sensum eius potentialem sanitatis futuræ, si sanari vellent, solum esse ait, vt libera potestas arbitrij nostri ad sanandum cum ea medicina ostenderetur. In sententia verò de vinitoribus, quæ omisso *forsitan,* vel intellecto pro *vtique,* est adhuc falsitas asserti planior. Est enim eo omisso absoluta assertio, intellecto vero pro *vtique,* etiam asseuerata de eo, cuius oppositum euenit, & ita euenisse rextus illico testatur. Verum est Deum, vt ostendat quam magnas vires, & potestatem suis auxiliis, & motiuis propositis nobis ad vitanda peccata faciat: quasi ex eorum robore nostro more vitanda absolute peccata, bonaque absolute agenda coniectaretur vitanda, illa, atque hæc agenda absolute, Emphatice, aliquando prænunciare? Cum alias tamen dubitatiua particula prænunciarit, vti in locis Matthæi, & Marci nobis oppositis contigit; in quibus particula forsitam à Luca apposita mysterio omittitur: subintellecta, & subintelligenda autem, vt omnis erroris suspicio à Dei scientia ablegetur, eis ipsis, quibus reticetur, locis obseruatur à Hieronymo in c. 21. Matth. 7. & à Beda in cap. 12. Marci his verbis, *quod* ait, *verebuntur filium meum: non de ignorantia venit: quid enim nescit Pater familias, qui hoc loco Deus Pater intelligitur? sed semper ambigere Deus dicitur* (eis etiam locis) *quia forsitan suppletur vt libera voluntas hominis reseruetur.*

8. Huic, & aliam figuratam scripturæ locutionem annecte

annecte: qua frequenter Deus de noſtris rebus (quas tamen apprimeretur nouit) quaſi dubius interrogat, vt indifferentem, ac de ſe ancipitem ad vtrumvis arbitrij noſtri potentiam declaret. Matth.16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Lucæ 18. *Putas inueniet fidem in terra?* Ioann. 6. *Numquid & vos vultis abire?* Geneſ. 3. *Adam vbi es?* & cap.4. *Vbi eſt Abel frater tuus?* Ad quæ Tertullian. 2. contra Marcion cap.25. *Interrogabat Deus quaſi incertus. Et hinc liberi arbitrij probans hominem in cauſa, aut negationis, aut confeſſionis: vt daret ei locum confitendi delictum & hoc nomine releuandi, ſicut de Cain,* &c. Eodem tendit diuina de operibus, ac ſtudiis hominum exploratio: ac ſi ea ſecundum ſe ipſa perfecta, & ſcientiæ ſuæ in aperto poſita non haberet: quia nimirum in ſua cauſa, voluntate noſtra contingentia, & indeterminata ſunt: vti explorationis materia omnis eſſe debet. Geneſ. 18. *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. An non eſt ita, vt ſciam.* Deuter.8. Tentaſſe dicitur populum, *vt nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur; vtrum cuſtodieris mandata illius.* Iobum inſuper Abrahamum, & Tobiam tentaſſe dicitur, vt eorum virtus magis innoteſceret: quod ſi innoteſcentia non ſibi, ſed nobis eis tentationibus à Deo procurabatur: adhuc ea locutione actionum earum libertas, & contingentia ſatis innuitur. Quarta ad rem hanc figurata locutio eſt. *Apoſiopetica*, qua per abruptam orationem ſenſus ſui ſuſpenſione contingens aliquid, & indeterminatum de noſtris actionibus denotat Deus. Eiuſmodi eſt illa oratio parabolæ de infructifera ficulnea, eiuſque ſententia ſuſpenſa, tanquam à contingenti eius fructificatione dependenti. *Etſi quidem fecerit fructum; ſin autem in futurum ſuccides eam.* Et Matth.24. *Ita, vt in errorem inducantur* (ſi fieri poteſt) *etiam electi.* Ad quæ Gregor. Magn hom. 9. in Ezech. in id. *Si ſorte audiant*, col.3. *dubitatio itaque ſermonis à domino in electis explicat trepidationem, ambiguitatem mentis.* Non diuinæ, in qua eſſe nequit, ſed humanæ, quæ ob æquam ad vtrumvis poteſtatem anceps, & ambigua eſt, ac de ſeſe certum, & determinatum euentum alterum non habet.

9. Quinta figurata ad inſtitutum præſens ſcripturæ locutio eſt, qua Deus nos, noſtraque dicitur inuenire Pſal. 38. *Inueni Dauid ſeruum meum.* Act.13. *Inueni Dauid filium eſſe virum ſecundum cor meum.* Matth.8. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.*c.24. *Inuenerit ſic facientem*: Lucæ 12. *Inuenerit vigilantem.* cap.18. *Putas inueniet fidem in terra?* Nihil enim inueniri ab aliquo dicitur, quod ſine vlla contingentia, aut caſu ipſi occurrit. Poteſt autem illi caſu, aut contingenter occurrere. Primo: quia, etſi contingens in ſe non ſit, ſed naturale, ignorabatur tamen vbi eſſet, ſicque Geneſ.26. *Serui Iſaac venerunt*, dicentes, *inuenimus aquam*, in quam, ignari antea incurrerunt. Hic autem occurrendi caſu, & contingentes ea, quæ Deus inuenire dicitur, in Deum omniſcium, nulliuſque rei, locive ignarum cadere nequit. Secundo poteſt inuentum alicui caſu, & contingenter occurrere: quia poſita omni ſua diſpoſitione, &, quantum ex parte ſui determinationis ad illam apponendum eſt, appoſito; adhuc tamen aliter poterat euenire, quam euenit, atque euenire deprehenſum eſt: quia ab alio vlterius contiugenter, & caſu, ac non neceſſario adiuncto, vt ita eueniret, dependit. Hinc actus noſtros liberos, etſi contingentes ſint nos inuenire non dicimur: quia ab vlteriori alterius determinatione, ſeu contingenti adiunctione poſt noſtræ voluntatis determinationem, haud quaquam pendent. Sed neque, quæ à liberis noſtris actibus, anteque & diſpoſitione per illos applicita, neceſſariò eueniunt, dicimur inuenire: vt faber ſellam, & ſtatuam ſtatuarius; ni aliquid in eis, vltra artis, & voluntatis ſuæ diſpoſitionem, in eis eueniat. Cum ergo nos, aut opera noſtra inuenire Deus primo modo ex noſtri, aut eorum ignoratione dici nequeat: nec alius inueniendi caſus, & contingenter reſpectu inuenientis modus reliquus ſit præter tunc ſecundum: oportet, vt poſita eius voluntate, & prædeſtinationis diſpoſitione de noſtris operibus vlterior noſtræ voluntatis, & poteſtatis indifferentis arbitrij noſtri ad ipſa, eorumque oppoſita libera, & contingens determinatio expectanda ſit, vt contingenter, & caſu Dei voluntati, & prædeſtinationi ſuppoſitis adiungatur, vt opera noſtra de facto eueniant potuit, quam oppoſita: ſicque contingenter Deo occurrant, vt ipſe illa innenire dicatur. Confirmatur: quia, vt hæc occurſus contingentia neceſſaria inuenientibus in inueniendo, clarius ab ſcriptura in re præſenti ſtatuatur in ouis perditæ parabola dicitur. *Si contigerit, vt inueniat eam.* Confirmatur ſecundo: quia nullibi Deus in ſcriptura inuenire aliquid dicitur, quod à libero noſtro arbitrio non dependeat; ſeriam, cum parabolice loquitur: vt in ouis perditæ, & ſiculneæ fructus parabolis, quæ liberam noſtram conuerſionem, & bonorum operum fructum deſignant. Id quod in noſtræ culpæ inuentione efficacius eſt: de qua Ezechiel 2. *Donec inuenta eſt iniquitas in te.* Apocalyp. 20. *Inueniſti eos mendaces.* In eam quippe præter, imo contra ſuam intentionem præ ſcientia ſua Deus incurrit. Ideo etiam mala pœnæ inuenire impios. Deuter.30. ſæpe dicuntur: quia, cum ad deterrendos homines à culpa primitus ſint à Deo inſtituta, è prauo libertatis eorum vſu venit, vt in homines incurrant.

QVÆSTIO II.

Liceatne per Patres Thomiſtica noſtrorum abſolute contingentium præfinitio?

ETSI ex quæſt.1. abunde conſtet eam per Patres ſcripturæ teſtimonia data explicantes non, licere id tamen hic abundantius conſtabit.

CERTAMEN I.

Patres præſertim Græci ſtant pro arbitrij noſtri indifferenti ad vtrumvis poteſtate.

ALia Patrum de hac indifferenti poteſtate ad vtrumvis liberi arbitrij noſtri teſtimonia in ſententiam eandem ex præfatis, aliiſque ſcripturæ locis alta ipſis mente repoſtam eorum verbis vlterius oſtendamus. Et in primis Theologorum, vt Nazian. aiebat, ſummitas, & Apoſtolorum Princeps Petrus apud Clem. Roman. lib.3. recognit. pag.3. cum Simone Mago, contra poteſtatem arbitrij noſtri ex fato ad vnam determinate partem, contendit eſſe indifferenter ad partem vtramque: quod cum prius admiſiſſet Magus, nec cum iis, quæ defari neceſſitate tunc docebat, conuenire videret, negabit poſtea Petro, quia ea occaſione ſic fatur. *Videte fratres in qua abſurda inciderit Simon, qui ante aduentum meum docebat, quod homines in poteſtate haberent, & ſapere, & facere, quæ vellent?* & pag.4. ita illum vrget. *Dic quo modo Deus iudicat ſecundum veritatem vnumquemque pro actibus ſuis, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit? ſubinferius, liberum arbitrium eſt ſenſus animi habens virtutum, qua poſſit ad quos velit, actus inclinari.* libri med. *Poſſum eſſe in auditorum poteſtate eligere vtrum malint.* Et in itinerario teſte Hugone Cardinali, in in Eccleſ.15. *Reliquit eum in manu Conſilij ſui* inquit, *libertas arbitrij eſt conſenſus animæ habentis virtutem inclinandi ſe ad quæ voluerit.* Et apud eundem Clement.4.recognit. pag.2. ait. *Inſtirationem ad bonum eſſe à Deo: operum verò ratio poteſtati, & arbitrio vnius cuiuſque permittitur; Et hoc ipſorum eſt proprium.* Poſt modum verò. *Vnuſquiſque habens in ſe aliud diuini muneris, aliud propriæ induſtriæ ſit ex vtroque perfectus.* Adde quæ ex ipſo dedimus quæſt.1. cert.2.n.4. & cert.3. num.3. Barnabas Domini Diſcipulus apud eundem Clemen.1.

men.1.recognit.Et sic auditores, & disputatores ethnicos alloquitur. [Sic autem in vestra potestate, vel recipere, quæ adnunciamus, vel spernere. Nos enim, quod expedire nouimus,facere non possumus.]Et statim fere ipse Clemens. [Perferant ad vos diuina mandata : ita,vt omnes, qui audiunt sequi possint :] Cum tamen, eodem teste, nemo fere sit secutus. Nec refert liberos recognitionum Clementis non esse, atque esse ab hæreticis corruptos. Sunt enim, vel eius, vel alterius æque docti, & antiqui, neque in hac parte vitiati, sed solum in articulis, vt summum, qui filij diuinitatem similesque, vt aliqui censent, concernunt:vt docte ostendit Bellarmin. de grat. & lib.5.cap.25.Idem Clemen. epist.3. de offic. Sacerd.& cleric.col.4. *Si quis sane audiens sermonem veri prophetæ velit recipere, aut nolit, & amplecti onus eius (id est mandata vitæ) habet in sua potestate : liberi enim sumus arbitrij.* Et subdit potestatem hanc tam excludere necessitatem, quam impossibilitatem extremi alterius, vt deinceps recitauimus : concluditque : [Nunc autem,quia liberum est, animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit, eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem] Boethius 5. de consolat. prosa 6. [fiunt proculdubio cuncta, quæ Deus esse futura prænoscit : sed eorum quædam de libero proficiscuntur arbitrio:quæ quamvis eueniant,existendo tamen propriam naturam](liberorum)[non amittunt : quia,priusquam fierent,non euenire potuissent.] infra. [Propositum te quidem tuum,] ait, [posse deflectere ; sed quoniam te id posse, & an facias,quove conuertas, præsens proudentiæ veritas intuetur, diuinam te præscientiam non posse vitare.] Nec aliter, quam è sui suppositione, necessariò esse contingentia admittit Iustin. Mart. quæst.8. ad gent. [liberum arbitrium largitus est nobis Deus : Nosque dominos facit præferendi, ac eligendi, quod nobis videtur ex his, quæ cognoscimus.] Notat verò non in rei cognitione, sed in eius electione bonitatem, aut malitiam esse sitam, & quæst. 9. ait, *In nostra potestate est esse castos,aut scortatores. Accepimus autem à Deo faciendi, & non faciendi potestatem :* seu, vt paulo ante dixerat, *vires nostri propositi* (cum quo, vt agamus à Deo vocamur) *potestati subiectas*, & Apolog. 2. pro Christian. ad Antonin. *Sed ipsum* (genus humanum) *libero arbitrio, liberaque voluntate, & recte facere, & peccare docemus.* infra. *Neque ille remuneratione, aut laude dignus esset, si per ipsum bonum non eligeret* sub med. *Nisi homines arbitratu suo possunt turpia fugere, honesta sectari, extra culpam erit quidquid agant.* Adde quæ ex ipso retulimus cert.2.num.7.cert.3. num.5.& 6. Athenago. Apolog.2. pro Christian. ad eundem. *Liberi arbitrij ipsis quoque* (Angelis) *in vtramque partem constituerat Deus : sicut in hominibus.*

2. Dionys.9.de cœlesti Hierarch. post med. ait, idololatriam aliarum à Iudaica nationum non esse Angelorum præfecturis tribuendam ; *sed illis, qui procliuitate sua de recta ad Deum ferente via deflexerint, amore sui,& contumacia.* Nec post multa. *Neque eorum, quæ præsidentur libertate* (melius legitur liberalitate) *diuini vadij illustratione, quæ à providentia manat, vel obruuntur, vel obscurantur, sed oculorum mentis dissimilitudo facit, vt effluens paternæ benignitatis largitio, vel omnino,* (id est, cum effectu) *Communicari, capique non possit.* Itaque non prouidentiæ lux, sed nostri arbitrij, & libertatis mala & dispositio,& abusus, cum bene vti possemus, in causa est, vt Dei illustratio effectum in nobis non habeat, non autem potestatis nostræ defectus. Hanc etiam potestatem, & mobilitatem arbitrij nostri ad fructos prouidentiæ diuinæ percipiendos, non obstante eius immobilitate, triplici illustrat exempto lib. de diuin.nomin. cap.3. sub init. inquiens. *Nos ipsos orationibus extendimus ad diuinorum radiorum altiorem respectum* (quibus potestatem extendendi nos, vel secus, fatetur in nobis) [sicut si multi luminis catena ex cœlesti summitate pendente ad inferiora autem descendente, semper per ipsam mutatis manibus ad anterius, capientes trahere quidem ipsam deorsum videremur ; reuera autem non deponeremus illam, & sursum, & deorsum, & deorsum, & deorsum præsentem ; sed nos ipsi sursum agremur ad altiores multorum luminum radiorum splendores. Aut sicut si nauem ascendissemus, & tenueremus quosdam funes ex quadam petra ad nos extensos, & sicut nobis ad auxilium datos, non ad nos petram, sed nos ipsos vere, & nauem ad petram adduceremus. Sicut è conuerso ; si quis stans in naui impingat in petram stantem iuxta mare aget nihil contra petram stantem, & immobilem ; sed se ipsum ab illa separabit : &, quanto amplius impinget, tanto amplius impingetur.] In quorum commentario ita scribit S. Thom. Catena luminis ab immobili cœli summitate dependens, vel funes, qui ab immobili petra extensi sunt, significant ordinem diuinæ prouidentiæ ab immobilitate diuinæ prouidentiæ procedentem : quod autem dicit : Catenam vbique præsentem in cœlo, & in terra, & deinde omnibus adesse : significat, & prouidentiam eius ad omnia se extendere: quod autem dicit de immobilitate lapidis : & quod catena ad nos trahi non potest : significat diuinam prouidentiam immobilem esse, quod autem dicit quod nos ipsi sursum ducimur per catenam immobilem, & petræ appropinquamus per funem,aut ab ea separamur per impulsionem : significat mobilitatem nostram ad sequendum diuinæ prouidentiæ fructum :] contra tertiam propositionem. Quæ ex immobilitate diuinæ prouidentiæ omnia nostra ex necessitate,& non contingenter nobis euenire asserebat.Nec obscurius eandem doctrinam exemplo alio sigilli, quo communes Trinitati causalitates explicuerat capit.2. in eius med. illustrauit scribens. [At dicet quispiam signum in totis figuris non esse totum idem.] Respondet vero. [Huius autem rei signum in causa non est. Totum enim seipsum illud, atque idem vbique offert ; sed horum, quæ illo participant, dissimilitudo, & differentia dissimiles facit formas, quæ exprimuntur, eiusdemque, ac totius exemplarias. Velut, si mollia sint, & ad figurandum facilia, leuiaque, ac figuris vacua, neque resistant, neque dura sint, neque fluxa, & non cohærentia figuram certe habebunt, & mundam, & claram permanentem : quod, si quid eorum, quæ commoda esse diximus absit, id causa erit, cur, & figura non imprimatur, & obscura sit, & cætera eueniant, quæ non apta, & idonea communione contingunt.] Quibus docet ob nostram duritiem, asperitatem, flexibilitatem, & non cohærentiam, seu non perseuerantiam, sed inconstantiam; non autem ob diuinæ voluntatis, & prouidentiæ sigillum ipsum in nobis perfecte non imprimi, seu impressum non perseuerare. Rursus cap.4. circa finem ait. [Dicet quispiam. Infirmitati supplicium non deberi ; sed contra veniam.] Respondet vero. [Si non supperetet potestas, recte se haberet, honestaque esset oratio ; sin à bono potestas proficiscitur, quod dat (vt diuina scripta tradunt) vnicuique omnia ea, quæ illi accommodata sunt, laudanda non est status ex bono, atque bonis suis deflexio, deprauatio,declinatio,& prolapsio.

3. S.Ignatius Martyr epist. 3. ad Magnesian. ante med. [Necesse est, vt vnusquisque in loco, quem sibi de præteritis elegerit, in futuro esse præcipiatur. Fugiamus igitur mortem, & eligamus vitam.] Vtriusque verò potestatem alterutrius electio supponit post pauca. [Si quis igitur pius fuerit homo Dei est ; si verò quis impius extiterat Diaboli est : non ex natura, sed ex sententia factus,] siue vt alij vertunt. [Non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.] Iterum : [Si non elegerimus pro veritate mori in passione ipsius, vita eius non est in nobis.] Irenæus 4. aduers. hæres. ita cap 71. inscripsit. [Ostensio, quod homo liber sit, & suæ potestatis ad hoc, quod posset eligere bona, vel contraria.] Eoque cap. illud, quod ait : [quoties volui congregare filios tuos, & noluisti. Vererem legem libertatis hominis manifestauit : quia liberum eum fecit Dominus ab initio.] Iterum. [Deus posuit in homine potestatem electionis, quemadmodum, & in Angelis.] Et post alia plura in sententiam eandem concludit caput : [qui operantur bonum gloriam, & honorem percipient : quoniam operantur bonum, cum possent non operari illud. Si autem,qui non operantur iudicium iustum recipient Dei : quia non operati sunt bonum, cum possent operari illud.] Id quod toto cap.72. confirmat : cuius initio ait : [Omnes homines eiusdem sunt naturæ : potentes retinere, & operari bonum ; & potentes rursus amittere id, & non facere.] Dedimus alia eius testimonia ex eodem lib cap 9. & 27. quæst.1.certam.2.num.3.& 7. & certam. 1. num 7.

Clemens Alex. 1. Stromat. circa med. fol. 6. 5 [Nec laudes, nec vituperationes, nec honores. nec supplicia iusta sunt. Si anima non habet liberam potestatem, & appetendi, & aggrediendi, sed sit virium in voluntarium.] Post pauca. Libertari ab ignoratione, & à mala, & delectabili electione, & ante omnia non assentiri fallacibus illis phantasiis, & vitiis situm est in nostra potestate.] lib. 2. pag. 3. seu fol. 76. [Nos autem, qui libera, & absoluta potestate eligere, & vitare à domino datum esse hominibus à scripturis accepimus, iudicio, quod transmoueri, & excidere non potest fidei, acquiescamus: alacrem, & promptum ostendendo spiritum, quoniam vitam eligimus.] pag. 5. fine ait, susceptionem bonæ doctrinæ, & obedientiam præceptis à proportione, & dispositione audientis pendere, sicut & actio ex passi dispositione, & proportione: concludit [In nostra potestate esse parere Deo vocanti,] & circa libri med. [In nostra quidem certe est potestate ad nostram deduci disciplinam, & parere præceptis,] &c. lib. 4 vers. fin. [idest in nostra potestate, cuius ex æquo sumus domini, & eius quod ei aduersatur: vt philosophari, vel non: credere, aut non credere. Per hoc ergo, quod sumus æque participes vtriusque eorum, quæ inter se aduersantur, inuenitur fieri posse id, quod est in nostra potestate quin etiam præcepta sunt eiusmodi, vt à nobis possint fieri, & non fieri,] lib. 7. pag. 3. [Lex hæc ab alto data est: vt, qui velit eligat virtutem: &, qui elegisset æternam vitam, & beatum præmium acciperet; qui autem vitio esset delectatus, concessit, vt versaretur cum his, quos elegerat.] Subinferius. [Quidquid est virtute prædictum mutatur in melius: habens propriam causam mutationis electionem cognitionis, quam] [electionem) *habet anima in sua potestate.* & 1. Pedago c. 6. post init. ait. *Qui verbo paremus, nostrique sumus iuris, & arbitrij.* Hæc faciunt, quæ ex ipso retulimus quæst. 1. cert. 2. num. 3 & 5. quod autem c. *Sancta Romana* dist. 15. Clementis Alex. opera in apochryphis numeret: obfuit quidè, ne in officiis, & choro Ecclesiæ ab legantur; non autem, vt apud iuniores Patres, & Theologos omnes authoritatem magnam non habuerint, habeantque: præsertim vbi cæteris Patribus (vt hic inuenit) in doctrina concordat. Item ad hanc potestatem ad boni electionem, & obedientiam gratiæ auxilium requirit Clemens. constat stat expressè ex testimonio eius tertio, & ex innumeris aliis.

4. Origenes hom. 4. in Cant. sæpe ante, & post med. hanc arbitrij nostri potestatem ad vtrumvis docet, ac vers. finem ait, *quoniam quidem per arbitrij libertatem possibile est vnumquemque ex parte alterius transire, vel ad partem Dei, si melius, ipso iuuante, elegerit, vel, si neguius, ad demonum portionem*, quæ repetit fere hom. 12. numeror. à medio. & lib. 2. contra Celsum ante med. aliisque locis docet positis prædestinatione præscientia, & prædictione actus liberi possibile adhuc esse actum omitti, vt vidimus ex eius locis in concordia libertatis actus liberi cum eius præscientia, quam doctrinam errorum Origenis accurati censores Epiphan. Theophilus, Hieronym. August. Theodoret. Nicephor & reliqui nusquam inter eos notarunt, imo Pamphilus Martyr. Apolog. pro Origin. sect. 3. sub init. ex hac eius doctrina recitata in reliquis Catholicum fuisse probat. Quo ad causam tamen prædestinationis lapsum illum dubitandum non est, etsi expressè ad iustificationis, & fidei exordium gratiam præuenientem, & adiuuantem cum recitatis verbis, tum alias sæpe, & semper requirat: Ant. Magn. epist. 2. ad Arsenoctas col. vlt. inquit: *quoniam in nostra sumus potestate creati.* Ephrem. Syrus serm. de vita religiosa, & monast. pag. 4. fine. *Voluntas, cum libera sit, ac sui iuris tanquam agricola quidam est, natura nostræ consuetudines prauas inserens, & bonas, sicut ipsa voluerit.* Inferiuscule. *In ictu oculi voluntas nostra consuetudines malas radicitus euellit: &, vt sibi libitum fuerit, virtutes bonas inserit.* & serm. de timore Dei ad imitat. prouerbior. circa finem. *Similis est Monachus viro ex alto dimisso, qui finem excelsa interullo pendentem arripit, & se illi appendit, & indesinenter pro auxilio ad Dominum clamat: sciens se, si defecerit, vsumque vtriusque manus perdiderit, præcipitem illico ruiturum, & morituum. Apprehende vitam æternam.* Non igitur solum à cœlo desuper dato, sed & à viri arripientis illum, seque in illo sustentant vtraque manu, cum illum posset non arripere, & retinere, potestate libera pendet præcipitium vitare. Athanas. orat. contra Idola sub init. *Anima libera est, & sui arbitrij. Potest enim, vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari.* Infra. *Quæ cum sui iuris, arbitriumque intuetur, sentit se in vtramque partem vti posse corpore, & membris*, & lib. de human. verbi, eiusque corporali aduentu sub init. *Animaduertens Deus arbitrium, delectumque hominis vtroque vergere natura gratiam, quam dederat, legis, & loci præsidio munitam voluit*, ne scilicet vergeret in malum, vt poterat. His annecte, quæ ex ipso recitauimus quæst. 2. cert. 1. n. 19.

5. Chrysostomus in cap 4. Genes. hom. 19. sub init. *quia liberi arbitrij esse fecit nostram naturam omnium dominus, quæ sua sunt, omnia præ sua misericordia semper exhibet: & sciens abscondita in profundo mentis, & arcano, hortatur, consulit, conatusque nostros malos reprimit, & necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis totum in agrotantis sententia situm esse permittit*, & hom. 22. in Genes. colum 2. *Non ne manifestum est sua quemvis voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam, nisi ita esset, & natura nostra prauitas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est: ideo & peccantibus*, &c. & hom. 23. colum. vlt. [Si hoc non esset si tum in voluntate nostra, neque in potestate mentis neque Deus sui iuris naturam nostram fecisset: oportebat, vel omnes malos esse, qui naturæ nostræ participes sunt, & iisdem obnoxii sunt affectionibus; vel omnes bonos, & virtute præditos.] tom 3. hom. 4 de laudib. Pauli sub init. Necessitatem à Dei vocatione excludit: *quia potuit redire vnde discesserat.* hom. 5. vulgo de conuers. Pauli col. 3. *Dominatum nostri adepti sumus.* Traditamque nobis à Deo ait, *arbitrij potestatem*, & hom. 9. de laudib. Pauli fine ad ea. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, ait, *qui autem trahit volentem trahit humique iacentem, ac manum porrigentem*, & inertium quorundam responsum commune (*si Deus volet, conuertar*) referens subdit. *Quos non arguo, sed valde probo. Vellem autem, & nos etiam nostra afferre: & tunc dicere: si Deus voluerit. Nam si te ipsum somno, desidiæque tradideris, neutiquam in manus tuas obuenient bona opera. Et alioqui, si solam voluntatem Dei præstas nihil eorum, quæ opus habes, adipiscere vnquam.* hom. 11. in Ioan. *Corporis natura, quocumque eam opifex ducere velit, eo sequitur, nec resistit. Anima autem sui iuris vim in se habet operandi, neque vlla in re Deo, ni velit, obtemperat.* hom. 13. in Matth sub med. *Præsens vita, tam rectè, quam contrarium, tibi viuendi potestatem dat.* Consonat his hom. 56. in Matth. & hom. 13. ex variis locis Matthæi circa fin. 6. Romanor. serm. 11. circa fin. & serm. 16. in eam epist. & 1. ad Timoth. 1. in morali hom. 3. sub init. & in cap. eius 6. hom. 15. vers. fin. His subiunge recitata ex ipso q. 1. cert. 2. n. 10. & cert. 3. n. 5. cert. 4. n. 2. 3. 4 & 9. & cert. 5. n. 4.

6. Methodius Mart. de libero arbit. apud nostrum Turrianum lib. 4. pro epist. Pontific. cap. 2. post med. [Cum Deus hominem honorare, & scire eum meliora vellet, dedit ei potestatem, qua posset facere, quæ vellet: & potestatem eius ad meliora hortatur. Non quod rursus auferat potestatem liberam, quam dedit; sed quod velit, quod melius est declarare. Habet enim potestatem, & mandatum accipit; sed, vt velit potestatem ad meliora connertere, hoc Deus admonet.] Quemadmodum, ait, Pater filium vt discat, melius id esse solummodo ostendens. [Sic cum Deus hominem hortatur, vt mandatis pareat, non videtur mihi priuare, eum potestate voluntatis, qua possit, etiam non obedire mandatis. Quamobrem non vult dare præceptum, vt potestatem, quam dedit, auferat; sed, vt melius aliquid donet, tanquam digno, qui maiora adipiscatur, quia paruit Deo: cum alioqui potestatem haberet non parendi.] Et ante med. fragmenti relati ab Epiphanio contra Originem hæres. 64. rogat, quomodo in hoc mundo liberum arbitrium habeatur. [In nobis (respondet) enim situm est credere, & non credere: in nobis rectè facere, & peccare: in nobis benefacere, & malefacere. Post med.

med. [Ego in medio mali, ac boni constitutus, velut libero arbitrio prædituſ, vt in me esset eligere, quod volo. Inferiusculè. In nobis situm esse, ait, cogitationibus absurdis obedire, aut non obedire: vti, aut non vti.] & pag. postrema ait non posse rectè à nobis fieri aliquid *sine armatura Dei protegente, ac defendente nos.* Quibus, quidquid ex parte Dei, tam naturæ, quam gratiæ ordine, requiritur, ad eam potentiam supponit. Eam vero animæ indifferentem potestatem ex coniunctione cum corpore amissam, aut ligatam non esse his verbis fragmento eodem asseruit. *Post vinculi*, corporei *constrictionem dicitur hoc. Ecce ante faciem tuam posui vitam, & mortem: vt eligas vitam: bonum, & malum: vt eligas bonum. Et si volueritis, & audieritis me* (Isai. 1.] *Hæc enim ipsi veluti potestatem habenti, & non veluti sub vincula, & necessitatem adacto dicta sunt.* Cyril. Hierosol. catech. 4. tit. de stat. hominis. *Cognosce animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ.* Subinferius ita hominem definit. [Animal rationale incorruptibile per eum, qui gratiam illi contulit, potestatem habens facere, quæ velit.] Et inferius. [Ne quem audias differentem malè: scis hoc (Paulum.) dicere: quod nolo hoc facio. Sed memineris etiam dicentis: si volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis.] Hæc faciunt verba eiusdem data à nobis q. 1. cert. 1. num. 7. & cert. 3. num 2. & 5. Epiphan. hæresi 16. (quæ Pharisæorum) [Propterea, quod possit peccare, & non peccare ab alio supplicia sumantur. Alius vero laudem referat rectè factorum] Et hæresi 24. [in eo, quod omnis homo potest non facere malum, & potest facere malum: cum quidem fecerit, est malum.] Eodem spectant, quæ ex ipso retulimus quæst. 1. cert. 2. num. 7.

Basil. hom. 9. quod Deus non sit author malorum, togat. de anima. [Vnde autem omnino mali capax est? Quoniam libero facta est arbitrio: quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam accipiens, propterea, quod ad imaginem Dei creata est, bonum quidem intelligit, & iucunditatem illius nouit: potestatémque habet, ac facultatem in boni contemplatione, & spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conseruandi. Habet autem, & à bono deflectendi quandoque facultatem, infrà voluntas (pro actu) ab illis pendet, quæ in nobis sunt sita, ac deinceps.] Dominium indifferens ad vtrumvis concedit bonis Angelis, vt caderent, & malis, vt starent & in Isai. 14. ad illa: *Semen reprobum prapara filios* eandem indifferentem arbitrij liberi potestatem statuit. lib. 3. contra Eunom. [Natura vtitur libera (intellectualis creatura) vt ad vtrumlibet possit inclinari: ad electionem, scilicet, boni, & peioris] lib. de spiritu S. circa med. [Conseruant autem dignitatem per perseuerantiam: habentes quidem in eligendo liberum arbitrium; nunquam tamen ab eius, qui verè bonus est, consortio excidentes.] Subinferius. [Nemo siquidem potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto. Et nullus in spiritu Dei loquens, dicit, Iesum anathema; quod sanè dicerent impij, & aduersarij spiritus: quorum defectio comprobat, quod dicimus: virtutes inuisibiles esse sui arbitrij æquè ad virtutem, atque ad vitium vertibiles: & ob id opus habentes auxilio spiritus.] Hom. 2. ex hamer. [Voluntatem, liberam sui actus dominam, & potentiam ad vtrumque esse ait.] Adde recitata ex ipso q. 1. cert. 1. num. 7. 11. cert. 3. num 2. cert. 4. num. 1. Nazian. apologet. seu orat. 1. col. 8. *Singularis & eximia Dei bonitatis argumentum est: nimirum facere, vt nostra quoque aliqua ex parte, sit virtus; nec natura tantum nobis inseratur; sed voluntate etiam, animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in vtramque partem motum habente.* Transferunt alij: *liberi arbitrij in vtramque partem agitationes.* Quam motus ad vtrumque potestatem æqualem, seu parem, sic asserit orat. 16. de pauperum amore longè amed. *At tu primam illam æqualitatem* (creati hominis ante lapsum) *non postremam diuisionem intuere.* Superiusculè dixerat. *Is, qui hominem primum creauit liberum eum, suique arbitrij reliquit sola mandati lege coërcitum.* Idemque vniuerso eius semini in illo datum ait orat. 38. de Christi natiuit. *Hunc arbitrij libertate donatum, vt bonum non minus* (id est non solum) *illius esset qui elegisset, quam eius, qui semina præbuisset, in paradiso collocat.* Repetit orat. 42. in pascha longè ab initio. Consonat sibi orat. 31. in ea Matth. 19. *Cum consumasset Iesus sermones.* circa illud *Quibus datum est* num. 7. & carm. iambico 15. cui titulus. *Minus exacta definitiones* sub init.

Mentis voluntas motus est, concursus, &
Rerum, penes nos quæsita tantummodo.
Quo volo moueri liberum arbitrium voco.

Huc faciunt alia plura ex Nazian. data q. 1. cert. 2. n. 3. & num. 6.

Potro in eandem scribunt sententiam Nazianzeni vetustiores inter prætes Elias Cretensis, & Nizetas Serronius ad recitata loca. Elias quippè in id Apolog. seu orat. 1. [Generatio propter effectionem.] Cum dixisset Adamum arbitrij libertate, & impeccantia donatum subdit. [Impeccantiam autem dico non, quod peccatum in eum cadere non posset; sed quod ipsum peccare in natura, non haberet: verum potius in animi inductione. Et in orat. 4. comment. *Iustitia Dei aduersus* ait. *Ob arbitrij libertatem sic quidem conditi sumus, vt vitij capaces existamus.*) in orat. 3. aduers. Iulian. longè amed. [§. Postquam illud *scribit.* Homo & in bono manere, ac proficere possit diuinæ gratiæ ope accedente; itidem, permittente Deo propter arbitrij libertatem à bono deflectere, atque in malo esse.] in orat. 19. comment. 3. *ne iniuste arbitrij libertate, & dignitate spoliaret, hominem per vim, & necessitatem ad virtutem trahere Dei sapientia hoc consilium reperit: nempè, vt hominem ad ea, quæ velit, sese adiungere sineret.* Nizetas verò in orat. 40. Nazian. comment. penult. vers. med. [Alia in arbitrio nostro posita sunt: vt ira, ac cupiditatem, libidinémque comprimere, vel iisdem succumbere. Quarum igitur rerum arbitrium penes te est, harum causas exterius ne conquiras. Verum hoc pro certo habeas; id quod propriè malum est, à libera, & voluntaria à bono auersione originem ducere.] Adde quæ ex ipso retulimus q. 1. cert. 2. num. 3. cert. 3. num. 1. Gregor. Nissen. lib. de Beatitudinibus in 5. circa med. [Omnium bonorum materias, atque subsidia natura sui operis (ad sui imaginem formati) deposuit Deus: vt nulla res bona, atque honesta extrinsecus in nos se ingerat, & insinuet; sed in potestate nostra sit, vt habeamus, quod velimus; tanquam ex cello quadam penuaria ex natura bonum promentes.] Subinferius. [Ex his autem plena, summaque potestas, quam in natura Dominus naturæ fabricatus est aperte demonstratur: propterea quod omnia (siue bona, siue mala sint) ex nostra libera voluntate dependent. Orat. de dormientibus longè à med. hæc (resecatis ad rem superfluis) habet [datam esse homini sui potestatem, & dominium: sinendo illum, in quibus voluisset, versari: & in arbitrio illius esse propensionem, & inclinationem ad vtrumlibet, vel ad virtutem, vel ad vitium.] Orat. catechet. c. 31. [Rationem perdi, si arbitrij libertas, seu alterutrum eligendi potestas desit. Ad quid enim sua vtetur mente, si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? non in ipso.] Quibus consonat alia orat. catechet. cap. 5. vers. fin. lib. de vita Moys. vers. med. hom. 2. in Eccles. col. 2. hom. 8. med. subiunge quæ ex ipso recitaui q. 1. cert. 2. num. 9. cert. 3. num. 1. succedat Nemesius ex Philosopho celeberrimo Episcop. Emissen. (cuius sunt Philosophiæ libri, qui Nysseno tribuuntur) c. 9. Biblioth. lib. de natura homin. & animæ facultatibus c. 35. alias 6. Philosophiæ *debet enim esse liberum, quod in nostra potestate est aliquando appetere, aliquando refugere.* iisdem, vt proximè dixerat, causis positis: repetit ferè cap. 36. & 39. ait: hominem per liberum arbitrium esse *suorum operum principium, authorem, & dominum.* Item *in nostra potestate esse positum habitus exercere, vel non exercere.* Vnde concludit. *Itaque in nobis situm est iustos esse, aut iniustos.* cap. 40. sub init. [Consultatio est rerum contingentium per æquè in vtramque partem. Quod genus contingentium sic definitur: quod, cum ipsum possumus, tum eius oppositum. Huius optio penes nostram mentem est: & hæc actionis est principium. Eaque in nostra potestate sunt, quæ æquè in vtramque partem contingunt, vt moueri, & non moueri,

moueri, &c. Denique quæcumque eius modi sunt, vt in iis vitij, & virtutis opera in sint.] Et subinferius. [Nostra potestas est actionum ad virtutem, & vitium, & electionum, & motiuum, &, quorum æquè etiam oppositа agere possumus.] c. 41. post med. [Omnis vis eligendi oppositorum est. Vna enim eademque facultas est, & mentiendi, & verum dicendi. Et vna eademque facultas temperate, & intemperate viuendi:] Cæterum potestatem ad bonum è gubernatione, & prouidentia supernaturali Dei venire probat c. 44. & 45. Eandem sententiam continent plura eius testimonia data q. 1. cert. 2. num. 2. & 6.

Theophilus Alex. (cui interpres Hieronym.) epist. 3. paschali col. 3. t. 3. Biblioth. [Neque ambigitur, quin in vtramque partem faciendi, vel non faciendi bona habeamus liberam facultatem.] Vide alia ex ipso data q. 1. cert. 2. num. 7. Euseb. Cæs. 6. præparat. Euangel. cap. 5. sub init. ait. [Nostra nos appetitione moueri.] Infrà. [Nostro ipsorum consilio ad sequendum, aut faciendum moueri nos.] post med. [Nos esse causam eorum, quæ libertatis nostræ sunt. Infrà. *Dominus sibi ipsi animus est*, postea. *In potestate libera est virtutis præmia sine vi aliqua eligere: cum possit contraria*, Cap. 6. post med. laudat Euripidem, quod post vaticinium de filij parricidio dixerit (sicut & Origines 2. contra Celsum circa med.) Quemadmodum Laius dare operam liberis, & non dare: sicque eius filius interficere, & non interficere poterat;] vt liberè eum interfeciisse significaret. cap. 7. circa med. [Quæ in nostra potestate sunt ea, sicut volumus, disponentur. Infrà. *Mea potestatis est pugnare, & non pugnare* vers. fin. quasdam actiones (liberas nempè ait) [ad vtrumlibet contingentes] cap. 9. med. *Contingentia esse, quæ accidere, & non accidere possunt.* Et plura de indifferenti potestate libertatis post med. *In delinquentibus conuerti, & non conuerti potestatem in esse* lib. 4. demonstrat Euang. cap. 1. ante med. ait. *Animas hominum accepisse naturam solutam, ac liberam voluntatis, atque arbitrij, tam ad bonum, quam ad boni contrarium.* confirmat c. 6. Et si autem non ita statim, sed post Nissenum Concilium ab Arrianismo resipuerit, quo ad arbitrij libertatem, à nemine notatur aliquando desipuisse. Similia ex ipso dedimus q. 1. cert. 1. num. 10. cert. 2. num. 8. cert. 4. num. 5. Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. prope med. præter superius data. *Vides*, inquit, *quam versatilis sit ipsa natura: & , quod ad vitium propensa sit; & è diuerso, etiam ad bonum, & honestum: & secundum vtramque proprietatem, ad quas voluerit, actiones apta est inclinare: capax est igitur natura, tum boni, tum mali*, &c. Post pauca *volenti peccare. Nemo tibi resistere potest*, ac posse quempiam Deo obtemperare, & vitiis cum victoria resistere. [Mens enim eiusmodi, quæ resistit, ac reluctatur Deo, & iustitiæ, potest obstirmata ratione coërcere vitiorum impetus, & obscæna desideria.] post med. [Eius est homo naturæ: vt etiam si in profundum vitiorum lapsus sit, ac peccato deseruiat, ad id, quod bonum est, conuerti possit; & è contra: spiritui sancto deuinctus, & rerum cœlestium ebrietate correptus ad id, quod malum est, conuerti potest.] Hom. 27. med. ait. [Apostolos etiam in gratia consummatos, & confirmatos, illa non fuisse prohibitos, quominus agerent, quæ vellent: etiam si ipsi committere voluissent, quæ gratiæ displicebant. Nam boni, malique capax est natura nostra, &c.] Idque statim non infirmitate gratiæ perfectorum tribuendum ait: sed quod per quantumvis maximam illis [permitti, vt habeant suas voluntates, ac facultatem agendi, quæ libuerint, & quo voluerint inclinandi. Ipsa quoque natura humana, licet infirma, etiam si illi bonum insit facultatem habet versatilem] subdenda hic, & alia eiusdem loca recitata q. 1. cert. 1. num. 7. cert. 3. num. 2. Marcus Eremita lib. de lege spiritual. capitulis [de his, qui putant ex operibus se iustificari num. 56. occultè nobis gratia auxiliari non desinit: in nobis autem situm est pro virili bonum facere, aut non facere,] lib. de Baptismo col. 2. fine respons. ad 1. interrogat. [Habemus facultatem inclinandi, quo libuerit, siue ad bonum, siue ad malum.] Inferiusculè ad 2. interrogat. [Per Baptismum à violenta seruitute nos eripuit è vacuato per crucem peccato: statuitque præcepta libertatis: in quibus, vt permaneamus, necne, liberæ nostræ concessit voluntati. Longè à med. [Hæc & similia, cum sciat scriptura in nostra facultate positum esse, vt hæc agamus, necne, &c. post aliqua. Tibi persuadeat ille ipse primus homo se non fuisse mutationis expertem, neque ad vitium particulariter conuertibilem, neque necessitate naturæ, sed beneplacito voluntatis transgressum esse mandatum: quemadmodum ille parere poterat oppugnationi satanæ, habebat autem potestatem, sic & nos.

Cyril. Alexand. 3. contra Iulian. col. 3. [Voluntariis nutibus rationalis regitur creatura ad hoc, quod rectè se habeat, vel malè, liberis ad opus pro rumpens impetibus. col. 4. [Humana mens potestatem sortita est, quæ facienda, vel non: & permissa est voluntariis impetibus, vt dixi, ad quodlibet ire. lib. 8. sub fin.] Rationalis, & mentalis creatura liberum habet motum ad faciendum, quæcumque voluerit.] lib. 2. in Ioan. cap. 5. ad ea. [Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem,] ait. [Liberum arbitrium hominis his verbis ostendit: qui ad alterutrum secundum animi sui motum potest proficisci. Sic enim iustè laudem, si bene agimus; & contraria si mala committimus, inuenimus.] eodem spectant eiusdem testimonia plura data q. 1. cert. 2. num. 2. & 5. cert. 3. num. 3. & cert. 4. num. 2. Damasc. 2. fid. cap. 22. circa med. ait, arbitrij nostri electionem vnius præ alio esse verum, [quæ in nostra potestate sunt; & eorum alterutrum facere nos posse.] cap. 26. init. [Eorum, quæ fiunt, quædam in nobis sunt (quæ nobis scilicet libera) in nobis autem sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere.] Subinferius. [Propriè in nobis sunt omnia animæ, de quibus consultamus. Consilium autem eorum est, quæ adæque, vsque, deque contingunt. Adæque vero contingens est, quod idem possumus, & eius oppositum.] Inferiusculè vero in exemplis adæque contingentium plures humanas actiones, tam internas, quam externas, earumque negationes recensет, [& quæcumque sunt eiusmodi, in quibus sunt virtutes, & vitij opera.] Repetit sententiam hanc suam pluries cap. 27. cuius hæc in primis verba de creatura libera nota. [Dominans erit suarum actionum; & potestatem habet refrenare appetitum, & ipsum sequi; & mera arbitrij potestate malitiæ inuentor effectus.] Dialog. contra Manich. vers. fin. Occasione mutationis diaboli à bono in malum ait. [Ex rebus conditis, omnes quidem illæ, quæ rationis participes sunt, voluntatis respectu mutabiles sunt.] Et subdit. [Arbitrij libertate præditum id circo eum condidit: quia, quidquid ratione vtitur, sui iuris sit necesse est. Quorsum enim ratione vteretur, si arbitrij libertate careat.] Subiungenda ex Damasceno data q. 1. cert. 1. n. 8. & 11. cert. 2. num. 2. & 3. cert. 3. num. 5. & 8. cert. 4. num. 2. Ne vero hanc indifferentem potentiæ liberæ potestatem ad bonum absque Dei gratia admitti ab ipso putares, Dei gratiam ad capitis finem ad eam potestatem requirit. Et cap. 30. sub init. vtrumque simul expressit. [Nec citra Dei opem, atque auxilium fieri posse, vt bonum, aut velimus, aut faciamus. Cæterum nobis liberum esse, vel in virtute perstare, Deumque vocantem sequi, vel à virtute abscedere. Author historiæ Barlaam Damasceno à nonnullis adscriptæ c. 15. post med. arbitrij libertatem describit. *Animæ ratione vtentis voluntas sine vllo impedimento ad id, quod vult: hoc est siue ad virtutem, siue ad vitium.* Iterum. *Arbitrij libertas est intellectualis animæ pro suo arbitratu cogitatio.* Olympiodorus ex Peripatetico Monachus in Eccles. c. 3. sub init. docet spiritualem ortum, & interitum nostrum *à nobis pendere*: esseque in nostra potestate. Et cap. 12. sub init. liberam nostram voluntatem, & potestatem curandi de propria salute institutа disputatione statuit, & in Comitoli catena Græcorum Patr. in Iob ad id capitis 34. Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium:] cum Nazeta ait. [Hoc quidem tempore bonum, & malum in nostra est potestate: verum in eo, quod sequitur, æro eius rei nobis erit erepta facultas.] Nec pro eadem sententia obscuriora, quæ ex ipso dedimus q. 1. cert. 3. n. 1, & 2. Theodoret. 5. de prouiden. circa fin. [Est autem penes vnam rationem (arbitrium) vis, ac potestas agendarum rerum, vt itacundiam quidem contineat; cupiditatem

tatem vero impellat.] Et ostenso, quomodo altera alteram contineat subdit. [Hæc autem ipsa perfectissimè transiguntur, dum ratio habenas, scientissimè moderatur. Subinferius. Neque hominum sapientissimi coërcendis sceleribus leges vnquam tulissent, nisi compertum illis fuisset, certa sententia humana facinora perpetrari.] Dedimus aliud eius testimonium q. 1. cert. 4. n. 5. Diadocus de vita spirit. c. 5. tom. 5. Biblioth. [Liberi arbitrij potestas est voluntas animæ rationalis ; quæ promptè mouetur, quo velit.] Pachomius apud Surium t. 3. in eius vita c. 67. pag. 329. *Eius, quod in nostra potestate est & dominatu non est, abstinentiam, nec præmio, nec pœna dignum,*] lib. 6. post med. [Liberæ potestatis animalia, quæ mouentur ex sese ipsis, modo in meliorem, modo in deteriorem partem inclinare possunt.] Anast. Episcop. Nyssen. t. 1. Biblioth. q. 6. in script. col. ante pen. ex Basilio. [In potestate nostra situm esse ait, vel à vitio abstinere, vel malos esse.]

Theophilactus Marci 4. n. 27. parabolam seminantis, seminisque crescentis, dum dormit, *& nescit ille*, diuinæ erga nos prouidentiæ ita adaptat, *crescit autem semen* (diuinæ inspirationis, & verbi) *ipso nescio* (nulla scilicet Dei, ac si dormiret vlteriori cura) *liberi enim arbitrij sumus: & in nostra electione oportebit semen, vel crescere, vel non.* Quibus similia habet in Lucæ 20. sub init. & Ioan. 5. vers. fin. ad id. [Neque vultis venire ad me,] & c. 6. ad ea. [Nemo potest venire ad me.] Et c. 13. in id. [Non de omnibus vobis dico, ait, elegit quidem eum (Iudam) cum bonus esset, sicut, & Saul ; sed mutatus est ipse liberi existens arbitrij : Permittit autem vnicuique, secundum quod vult operari : non enim aufert liberum arbitrium.] Constat sibi in hac doctrina ad Rom. 9 in id. [Non volentis, neque currentis.] Item 1. Corinth. 6. circa fin. & c. 10. in id : *Omnia mihi licent.* Ac sæpè alias. Denique Lucæ 15. Filij prodigi parabola, & diuisione substantiæ, quæ contingebat quemque è suis filiis arbitrij liberi, & omnium, quæ illud ad bonum eius vsum iuuent communem omnibus rationalibus creaturis à Deo impertitionem intelligit, tam enim liberum arbitrium, quam reliqua gratiæ, siue externæ, siue internæ dona in substantia, & diuitiis nostris recenset. [At alij, inquit, vtimur hac libertate secundum rationem. Alij autem dilapidamus bonum diuinum ; inferiusculè. Itaque ; qui dedit omnia hæc, ex æquo permisit liberè ingredi.] Adde eius testimonia recitata q. 1. cert. 3. n. 2. & 3. cert. 4. n. 4. cui interpretationi, & sententiæ subscribit Euthymius ad idem c. 15. Lucæ. OEcumen. 1. ad Timoth. 2. [Si Deus vult, quare non fit, quod vult ? non fit, quia illi nolunt,] & 2. ad Timoth. 2. ad id. [Si quis emundauerit se ab his, ait, *Ob id ipsos in progressu accusat, quod se ipsos ad hoc deduxerint.*] Scilicet, vt vasa essent testacea, & prauì, de quibus inferius. [Tales autem possunt voluntate immutari, & ad bonum, & ad malum.] Alia ex Euthymio dedimus q. 1. cert. 2. n. 6. & cert. 3. n. 2. & 3. Zachar. Episc. Miteleneus lib. de mundi creat. sub fin. tom. 4. Biblioth. ait. *Deum sua potestatis fecisse hominem.* His etiam addenda videbantur aliorum Patrum Græcorum testimonia, quæ, cum rem hanc ex scripturæ locis agebamus q. 1. recitauimus. Idcirco satis nunc erit eos nominatim recensere, & loca vbi à nobis recitati sunt, adnotare. Philo Carpathius ea q. 1. cert. 1. num. 8. Concil. Nyssenum num. 10. Philoxenus Episcop. Mabugens. num. 12. Moses Barcepha ibidem, & cert. 2. n. 4. & cert. 3. n. 5. Eucherius cert. 1. n. 12. Synodus Palæstina cert. 2. n. 1. OEcumenius num. 6.

CERTAMEN II.

Alia pro eadem veritate latinorum Patrum testimonia.

1. TAm multus in voluntatis liberæ indifferenti ad vtrumvis ex oppositis potestate statuenda fuit, Augustinus vbique ; vt pene ad legentium tædium esset omnia referre lib. 1. de lib. arbitr. cap. 12. [In voluntate nostra esse constitutum, ait, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono (scilicet bona voluntate) quid enim, tam in voluntate, quam ipsa voluntas, sita est ?] Inde infert c. 13. [Ex quo conficitur : vt, quisquis rectè, honestéque vult viuere (si id se velle præfugacibus rebus velit) assequatur tantam rem, tanta facilitate : vt nihil aliud ei, quam ipsum velle, sit habere, quod voluit,] lib. 3. c. 1. fine. [Motus, quo huc, atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis.] Nulla ad rem præsentem cardinis metaphora aptior. Similia docet c. 2. 3. & 4. Ex quibus cap. 3. circa med. [Nil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas : ea enim prorsus, nullo interuallo, mox, vt volumus, præsto adest, vers. fin. Voluntas igitur nostra, neque voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro, quia est in nostra potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus : aut potest non esse liberum, quod habemus in nostra potestate.] Cap. 5. med. ait hominibus. [Potestatem vtrum velient dedit.] Cap. autem 15. 16. & 18. Sæpè hanc suam sententiam statuit. Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei cedi-tur ; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest ? Peccatur autem : ergo caueri potest. Dum scilicet quidquid ex parte cautæ requiritur, ac præcedit, & peccatum ipsum adest, lib. autem de duabus animabus cap. 12. [Animæ, si libero ad faciendum, & non faciendum motu animi careant. Si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, earum peccatum tenere non possumus.] Quod refert, & probat Magist. in 2. d. 2. §. *si igitur.* Inde vero serm. 47. de sanct. circa fin. ait. [In potestate nostra posuit Deus qualiter in die iudicij iudicemur. His aliisque suis locis abuti Pelagianos (quasi admissa ab ipso arbitrij ad vtrumvis potestate gratiæ Dei auxilium cum ipsis ad rectè, piéque viuendum necessarium negaret) obseruat Augustinus lib. 1. retract. cap. 8. 9. 10. 22. vers. fin. lib. 2. de bono perseuer. De prædestinat. sanct. cap. 5. fin. ostendens ad libertatem nostram bene exercendam gratiæ Dei auxilium requiri : imo cum illo, ac, non sine illo stare ad rectè, piéque viuendum voluntatis, & arbitrij nostri potestatem cum iis omnibus, aliisque locis pluribus contra Pelagianos, & Semipelagianos, tum lib. de prædestin. & grat. cap. 9. vbi, ne gratiæ Dei, qua ad bene operandum quisque eget, totum suæ salutis opus committens in desidiæ fœcem vltimam resolueretur : *inter se*, inquit, [atque homines, Deus tempora, officiaque distribuens ordinauit : vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus : vocati autem, atque illuminati vias mandatorum eius boni genij intelligentia nosceremus : & eas libero, vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio] 2. de peccator. merit. & remis cap. 18. ante med. de voluntatis nostræ arbitrio, ait, *Huc, atque illuc liberum flectitur* : ex eisque bonis esse, *quibus & male vti malus potest.* lib. 2. Actor. cum Fælice Manich. capite tertio, med. *esse liberum arbitrium : & inde peccare quemquam, si velit ; non peccare si nolit.* Non solum ex scriptura, sed ex Manichæi verbis probat capite quarto, init. idem ex illa Christi sententia : *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum.* His verbis probat : [cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest ; sed habet vnusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona ; aut eligere, quæ mala, & esse arbor mala.] Et infra. [Aut facite hoc, aut facite illud, ostendit in potestate esse, quod facerent.] Ex eo verò capite ad totum caput 12. pro indifferenti hac arbitrij nostri potestate, & contra necessitatem altetrum determinate operandi disputat fusè libro primo retract. capite 22. circa fin. [Nisi quisquam voluntatem mutauerit bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus dicit (proxime

de arbore bona, aut mala) quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus: in potestate quippè hominis est, mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo.] Quæ etiam recipiuntur à Magistro in 2. d.28. cap.4.

2. Pergit inferius Augustinus. *Sic intelligendum est*, quod dixi (cap. 27. contra Adimantum Manich.) *in nostra potestate esse, vt, vel inseri bonitati Dei, vel excidi eius seueritate mereamur,*] c. 105. enchirid. *Sic hominem prius oportebat fieri: vt bene posset velle, & malè,* (quæ etiam habet lib. de corrept. & grat. c.11. recepta à Magistro d. 24. c.1.) & c. 107. *Sic factus est homo rectus, vt manere, in ea rectitudine posset, non sine diuino adiutorio; & suo fieri peruersus arbitrio. Vtrumlibet horum elegisset Dei voluntas fieret, vel ab illo, vel de illo. Quia suam maluit facere voluntatem, quam Dei, de illo facta est voluntas Dei,* lib.1. de Genes. aduersus Manich. cap.3. ait. *Ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad Dei præcepta implenda conuertere se homines possunt, si velint.* Id quod nusquam pelagiane dictum à se monet 1. retract. cap. 10. vbi ait. *Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino: & tantum augetur munere charitatis, vt possint,* lib. de corrept. & grat. cap. 1. circa finem. *Liberum arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: in bono autem liberesse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo.* Deo scilicet lib. de ciuit. cap. 6. fin. *Si eadem tentatione ambo tententur: & vnus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseueret: quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* 1. de prædest. sanct. c. 3. *Illa itaque natura, in qua data est nobis possibilitas habendi fidem, non discernit hominem ab homine; ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Non quia credere, aut non credere non sit in potestate voluntatis; sed quia in electis præparatur voluntas à Domino in radice opportunæ vocationis. Vnde ad ipsam fidem, qua in voluntate est, pertinet: quid habes, quod non accepisti?* in radice scilicet *opportunæ vocationis.* Et cap. 6. *Ecce misericordia, & iudicium. Misericordia in electione, qua consecuta est iustitiam Dei; iudicium vero in cæteros, qui excæcati sunt. Et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt illi, quia noluerunt, non crediderunt.* De spiritu, & lit. c. 34. [Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, & dissentire propriæ voluntatis est,] tract. 53. in Ioann. ad id. [Non poterant credere, inquit: quare autem non poterant credere, si à me quæratur? cito respondeo [quia nolebant.] Poterat ergo potestate antecedenti credere, si vellent; & si, quia noluere potestate consequenti non poterant ex Augustino q. 68. ex octog. trib. de vocatis ad cœnam. [Neque illi debent sibi tribuere: quia vocati venerunt: neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere; sed tantum sibi. Nam, vt venirent, in libera voluntate vocati erant.] De pecator. merito, & remiss. cap. 12. & 17. [Cum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, fine peccato in hac vita possit homo esse, cur non sit? possem facillime, ac veracissime respondere: quia homines nolunt.] Plura alia ex Augustino pro voluntatis, & arbitrij nostri liberi indifferenti ad vtrumvis pro libito agendum potestate ad eius, & operum libertatem necessaria, & dedimus q.1. cert.1. n.11. cert.2. n.1. bis n.3. n.5.9. & 10. cert.3. n.1.5. & cert.4. n.4. & dabimus infra, dum necessitatem antecedentem operandi à potentia libera omnino relegandam ex scriptura, & Patribus ostendamus, nonnullisque eorum testimonij, ab aduersariis productis, respondeamus. Viderique alia non pauca ad rem eandem eiusdem testimonia poterunt apud Hieronymum Torrensem de grat. & lib. arbit. c.3. ad titulum vsque nonum pro hac indifferenti potestate liberæ nostræ voluntatis, non obstantibus voluntate, prædestinatione, & præscientia diuinis.

3. Pro eadem veritate stetere omnes Africæ Episcopi rescripto ad Zozimum Pap. ea in re approbati à Cœlestino 1. epist. 1. ad eos Episcopos. Etenim negantes necessitatem gratiæ ad rectè viuendum, totumque salutis negotium arbitrij nostri libertati, & potestati deferentes, quasi per transitum, [districto gladio veritatis confutasse.] Omnes Episcopi Africæ rescripserunt. [Quid enim (aiunt) tam libero fecistis arbitrio, quam, quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulistis?] Cum vtique, vt veritatis prima regula, posset inconsultis illis de eis statuere: [& tamen instinctu Dei factum esse fideliter, sapienterque vidistis, veraciter, fidenterque dixistis. Ideo vtique: quia præparatur voluntas à Domino; &, vt boni aliquid agant paternis inspirationibus suorum tangit ipse corda fidelium: vt neque nostrum decisse sentiamus arbitrium; & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.] Cyprian. lib.1. epist.3. ad Cornel. longè ab init. in id Ioan. 6. [Numquid & vos vultis abire? ait, seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi, vel mortem appetit, vel salutem,] lib. 3. ad Quirinum cap. 32. ita inscripsit. [Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam.] Sub quo pro potestate ad vtrumvis voluntatis multa scripsit; sicuti & lib. 4. epist. 7. alias 76. ex epistolis, & lib.1. *de opere, & eleemosynis* fine vide aliud Cypriani testimonium datum q.1. cert.2. n.6. Ambros. 1. exhamer. c.8. post med. [In nobis est moderari studia, cohibere iracundiam, coërcere cupiditates. In nobis est etiam indulgere luxuriæ, &c.] Subinferius. [Illa cauenda quæ ex nostra voluntate prodeunt, delicta, &c. Quorum ergo nos sumus Domini horum principia extrinsecus non requiramus. Quod enim possumus non facere, si volumus, huius electionem mali nobis potius debemus, quam aliis adscribere.] Et in Psal. 40. ad id. [Homo pacis meæ, in quo speraui, ait, Bene, ait, speraui: quia homini dedit eligendi arbitrium, quid sequatur.] Non autem nisi à potente speratur; cum tamen id Iudas, à quo sperabatur non præstiterit, sed oppositum, lib.2. de Cain, & Abel c.7. *In te vetorquetur iniquitas tua: tu princeps illius es.* Et in Psal. 118. serm. 11. v.4. fine ait: Deum incarnatum contrarias Potestates fide, verbo, & opere nostro conterendas nobis subiecisse. [Si ergo non conteris aduersarium, tua culpa est, qui permissa non vteris potestate. In nobis est igitur, vt, aut subiiciatur aduersarius, aut resulter.] Subinferius. [Possumus ergo in hac vita triumphum de aduersariis habere perpetuum.] Plura ad rem hanc Ambrosij loca, qui volet, legat apud Ioan. Nopelium lib.2. confess. Ambrosianæ c.2. totis quinque titulis prioribus addedata ex ipso q.1. cert.3 n.2. cert.4. n.6. Hilar. præter data q.1. cert.3. num.2. Et danda cert. sequenti in id Psalm.1. *Tunc loquetur ad eos in ira sua.*

Hieronymus lib. seu dialogo 3. contra Pelagian. sub med. de arbitr. ait. [In eo tantum est, vt velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum.] Et col. 3. Hoc est, quod tibi à principio dixeram, in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, &c. vt liberum seruetur arbitrium.] Longè ante med. [Tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementiæ, vt eligat eum, quem interim bonum cernit, & scit malum futurum dans ei potestatem conuersionis, & pœnitentiæ.] Epist. 147. ad Damasum de filio prodigo col. 3. [Ad exemplum Dei permissum est nobis facere, quod velimus.] Epist. ad Cresiphont. aduersus Pelagian. col. 4. ait. [Nos debere orare, vt accipiamus quotidie, quod semel accepimus in nostra sit potestate.] Epist. 8. ad Demetriad. (non illa tomi 4. Pelagianimi suspecta) c. 7. [Velle, & nolle nostrum est. Ipsum quoque, quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est. Infra. Tuum est eligere si volueris, &c.] Epist. 150. ad Hedibiam q.10. tom. 3. [Ostendit te liberi esse arbitrij: & facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. Infra. Deus æquali cunctos sorte generauit: & dedit arbitrij libertatem, vt faciat vnusquisque quod vult, siue bonum, siue malum, in 26. Hierem. ad id. [Si non audieritis me, &c. in nostra ergo posita est potestate, vel facere quid, vel non facere.] Et bonum in Dei gratiam esse referendum. In Ezech. 33. ad ea. [Si me dicente ad impium, &c. vbi dicitur tacente Propheta ab ipso impij mortem repetendam, loquente vero ab impio inobediente voci illius, ait. [In vtrumque liberum seruari arbitrium: Dum in voluntate Magistri est, vel tacere, vel loqui: Et in auditoris arbitrio, vel audire & facere, vel contemnere.] In Isai. 1. ad id: [Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comede

comedetis, inquit, liberum seruat arbitrium, vt in vtramque partem non ex præiudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit.] Et in cap. 57. ad ea. [In partibus terrenis pars tua ait; Hoc fecerunt propria voluntate, quia in nostro consistit arbitrio bonum, malumve eligere.] Et in 1. Malachiæ ad id: *Iacob dilexi; Esau autem odio habui*, ait: *Esau, & Iacob de vna stirpe generates*, &c. *Hoc est: vitia, atque virtutes ex vno cordis fonte procedere: dum in vtramque partem, vt volumus, declinamus.* In 5. ad Galat. ad ea verba: *Persuasio vestra non est ex eo, qui vocauit.* Sic ait, *Galatas accusauerat, quare non obedierint veritati, ostendens in eorum arbitrio positum, vel obedire, vel non obedire.* Subinferius. *Dei est vocare; hominum, vel credere, vel non credere; & 9. Ipse,* (vel quicumque author epistolæ 17. de explanat. fid. ad Damasc.) fine ait: *liberum si confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei semper indigere auxilio: & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum euitare non posse, quam illos, qui cum Iouiniano asserunt, hominem non posse peccare. Vterque enim tollit arbitrij libertatem. Nos vero dicimus: hominem semper, & peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij. Hæc fides est B. Beatissimæ, quam in Ecclesia Catholica didicimus.* Id ipsum docet exponens dubitatiuas dictiones scripturæ. *Fortè forsitan*, & similes, vt suprà retulimus quæst. 1. cert. 4. num. 5. & 7. Alia ex ipso data ead. q. cert. 1. num. 8. cert. 3. num. 1. cert. 4. num. 4. & 6. recognosce.

Tertullianus 2. aduersus Marcion. cap. 6. post med. [Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est homini, vt sui dominus constanter occurreret, & bona sponte seruando, & malo sponte vitando dixerat autem ad id. *Ante hominem vita, & mors,* cap. 5. eiusdem libri: *Posse te, si velis, ostendit, qui tuo arbitrio vtrumque proposuit.* Constat sibi pro indifferenti arbitrij nostri potestate vbique Tertullianus seq. lib. 4. lib. ad scapulam, lib. de exhortat. ad castitat. lib. de Monogam. c. 23. lib. Apologet. c. 28. lib. de Trinit. post init. (si Nouati is liber sit) quam doctrinam nemo in Tertulliani erroribus recenset. Huc spectant alia eiusdem testimonia recitata q. 1. cert. 1. num. 11. cert. 2. num. 3. & 7. cert. 4. num. 1. & 8. Arnobius 2. aduers. gent. vers. fin. [Si tibi fastidium tantum est, vt oblati respuas beneficium muneris: quid inuitans peccat: cuius solæ sunt hæ partes, vt sub tui iuris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli est (inquit Plato) Deus causa (scilicet determinans nec eius potestati electionem relinquens, & si ad meliorem inuiteret) nec alterius voluntas adscribi potest cuiquam rectè, cum voluntatis libertas in ipsius sit potestate, qui voluit) Lactant. 4. diuinar. institt. cap. 24. sub init. ait, Præcipiens; [Libertatem relinquat: vt & præmium sit constituendum parentibus; quia poterant non parere si vellent.] Infrà venisse Dei filium ait, vt daret [iis liberam facultatem sequendi Deum: vt & præmium vitæ adipiscerentur, si eum secuti fuissent, & culpa sua mortis pœnam incurrerent, si Regem suum repudiassent.] Aliud eius testimonium ex lib. 2. cap. 5. ante med. recitabimus pro exclusione necessitatis ad vnum à potentia libera; vbi ad præsens institutum ait: *Quia liberæ sunt voluntatis huc, atque illuc vagantur, vt libuit: & quocumque mens duxerit eo fertur.*] Dedimus ex Lactantio alia q. 1. cert. 1. num. 10. & si autem Amobij adhuc catheciumeni opera hæc (sicuti, & Lactantij ipsius discipuli) cap. Sancta Romana dist. 15. inter apocrypha numerentur; tamen non ob communem hanc scripturæ, & Patrum doctrinam fuit, esseve potuit; sed ob alias in nouioribus editionibus à textu expunctas, & ad marginem notatas, quibus notis ad pristinum textum, olim Episcopis probatum, sunt restituti; eorumque de reliquo authoritas magni apud Doctores habita est. Iulius Firm. de erroribus profanar. relig. c. 29. circa fin. t. 4. Biblioth. [Liberum te Deus fecit: in manu tua est, vt, aut viuas, aut pereas.] Prudentius. Hamartigenia longè à med. contra Marcionem ait.

Non sit sponte bonus, cui non est prompta potestas,
Velle aliud, flexosque animi conuertere sensus.

Et inferius.

Quodcumque sequendum,
Sub nostra ditione situm, passimque remissum,
Alterutram caleare viam.

Plura in eandem sententiam ibi scripsi, quæ pro exclusione necessitatis à potentia libera in sequentibus recitabimus cert. 3. lib. item 2. de geniis aduersus Symmachum circa finem ait.

Imo nocens, quicumque volens, quod non licet, audet:
Alterutrum quia velle suum est.

Plura eius in eandem sententiam carmina dedimus q. 1. cert. 1. num. 10.

6. Optatus Milleuit. lib. 7. aduers. Parmenian. sub init. ait. [Homicidam, & adulterum furtum facere posse, & posse non facere; adulterium admittere, & non admittere.] Paulin. epist. 4. ad Seuerum fine. [In nobis est vnde soluamus. Res potestatis nostræ est noster affectus. Hunc Domino impendamus, & soluimus.] Epist. 8. ad eundem circa med. [Agnoui bonum, & feci malum: cum æquè mihi liberum esset bonum facere; quæ ergo misero mihi supperet venia peccat] ? Gaudentius Brixianus tract. 3. in Exod. seu serm. 3. de manducat. Agni Paschal. à med. [Manducauit homo, primus, quia voluit; mandatum non custodiuit, quia noluit: morte mulctatur, quia mandatum seruare potuit, & non studuit. Igitur si vnius arbusculi fructus temere à protoplastis degustatus mortem generi acquisiuit humano: potuit & Machabæis nunc sub lege positis interitum parare mandati diuini transgressio, quibus nunc honorem, & gloriam præcepti eius custodia comparauit,] serm. 13. de natal. Domin. ex illo Eccles. 15. [Ad quod volueris porrige manum: ait, vult Dominus verè iustus iudex, vt meriti proprij sibi sit causa vnusquisque extende manum tuam: hoc est opus tuum.] Ennodius fic lib. 2. epist. 19. ad quendam Constantium scribens apud Turtianum nostrum lib. 4. expositi. [Inuentus est homo, qui seruos Christi sub hac occasione cribraret: asserens de arbitrij libertate in vna tantum parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam. O schismaticam propositionem, quæ iuxta Apocalypsim; scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ est ista libertas (si valet edisserat) vbi hoc tolum datur velle, quod puniat? aut quare electionem nominat, vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam. Quod si veritate subsisteret, locum diuina iudicia non haberent. Quid enim bonis à nobis Deus noster rectè quæreret, qui apperentiam eius de voluntate substraxerat? Sed iuxta Apostolum: Numquid iniquus Deus? Absit inter homines à recti discordat affectu, qui à subiectis exigit, quod in potestate non tribuit. Hoc de Deo, qua conscientia sentiatur aduertite. Vbi est illud Apostoli clamantis, & pro arbitrij libertate testantis; velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio? Quid est aliud, quam dicere: noui dextrum iter eligere; sed, nisi ingredientem inuenerit gratia superna, lassabor. Nemo negat, nemo condemnat: quod Authore gratiæ præstante, & ipse æquitatis callis hominibus aperitur. Dux enim bonorum, & præcessor est gratia, quando cœlitus multiplici ad requiem incitamur hortatu: quando nobis dicitur: Venite filij audite me. Sed nisi talibus monitis, & voluntas nostra, quæ libera est, præstet obsequium ad periculum, & gehennam non imperio aliquo, sed sponte deuoluimur;] Alioquin ferè immediatè ait; [non erit iuxta retributio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus; aut bonam mercedem offert, ad quod; attrahuntur inuiti. Debemus, ergo gratiæ, quod vocamur. Debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur. Nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur. Via enim sceleris, non imperatrix nostra legitur esse, sed famula: cum de peccatis dicitur, sub te erit appetitus eorum. Quid etiam sibi vult vniuersa Propheræ, quasi sertis redimita loquutio? Noli æmulari in malignantes. Nolite considere in principibus. Nolite fieri sicut equus, & mulus. Et Apostolus. Nolite fieri serui hominum. Tories noli in superna admonitione quo respicit; si aliud velle non licuit?] Quid illustrius? Fors quod contra eiusdem errorem de Dei gratia

omnem noſtram poteſtatem liberam ad opus honeſtum, & meritorium abſorbente, & electionem abolente ex malè intellectis Pauli verbis *Gratia Dei ſum id, quod ſum.* Notat ſtatim à Paulo ſubiunctum. *Gratia Dei in me vacua non fuit, & plus omnibus laborauí.* Ad quæ ita commentatur. *Quod dixiſſe eſt: Chriſtus in me, quem digne, aut abundanter muneraretur inuenit. Non enim pauper eſt diuina gratia, ſed meritorum noſtrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari; quæ tunc non æſtimatur ſuis meatibus fluere, quando de ſuis curſibus ariditatis noſtræ vena nil recipit.* Subinferius. *Vult ad illud pertingere: neminem ſuo vitio, aut negligentia perire, ſi homo vtriuſque rei, boni, & mali electione priuatur. Hos tantum iactat potuiſſe ſaluari ſine labore vllo, ſine mandatorum amicitia, quos peregrinantes à merito fauor tantum cæleſtis eripuit: perinde (quod in ipſum referatur) illos periiſſe intelligit, quos gratia noluit diuina liberare.*

Proſper. 2. de vocat. gent. cap. 12. ait, [Ideo liberum eſſe diſcedere, vt non diſceſſiſſe ſit præmium: &, vt, quod non poteſt, niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum potuit voluntate non fieri,] cap. 28. init. [Ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle, non auferat. Alioqui nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide, neminem concupiſcentia vinceret (ſi Dei voluntas, & adiutorium præquiſitum ad velle de ſeſe efficax foret) ſed quia poſſunt hæc fieri, & in conſenſum talium tentationum facilis nimium procliuiſque defenſio eſt: nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non ſonare: vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem,] Eumque ad arbitrium Domini hortatum extare ait: *vt diuinè ſit muneris, quod etiam vigilantes tentationis procella non vincat*, hinc autem: *ſicut qui crediderunt iuuantur, vt in fide maneant: ſic, & qui non crediderunt iuuantur, vt credant? Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate, vt excant: ita iſti, in ſua habent poteſtate, vt veniant.* Alia Proſperi in eandem ſententiam dedimus q. 1. cert. 2. num. 9. Fulgent. de fide ad Petr. cap. 25. firmiſſimum, & indubitatum eſſe ait: [Protoparentes rectos, & cum libero arbitrio creatos, quo poſſent, ſi vellent, humili, & bona voluntate ſeruire, atque obedire: quo arbitrio etiam poſſent, ſi vellent, propria voluntate peccare. Quam etiam ad vtrumvis poteſtatem Adæ poſteris aſſerit lib. de incarnat. & grat. à cap. 19. ad 24. cap. autem 6. eius reſcripti Petri Diaconi ſententiam, ſeu potius fidem, hanc recitat, tacituſque probat. [Credimus creatum à Deo Adamum (in ſtatu, & domo innocentiæ) magnaque præditum libertate, ita vt, & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, ſi vellet, poſſet admittere,] Magn. Gregor. lib. 23. moral. cap. 20. alias 25. [Idcirco enim nequaquam cœleſtis patriæ præmia æterna ſuſcipiunt, quia ea nunc, dum promereri poterant, ex libero arbitrio contempſerunt.] Inferiuſculè. [Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum. Dei per præuenientem gratiam. Noſtrum per obſequentem liberam voluntatem. Rurſus: quia ergo non immerito gratias agimus, ſcimus, quod eius munere præuenimur, & rurſum: quia non immerito retributionem quærimus. Scimus, quod ſubſequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus,] lib. autem 25. cap. 6. dixerat: [quia ergo nunc in poteſtate noſtra eſt internum mentis noſtræ contra nos ſubire iudicium, recognoſcendo accuſemus nos ipſos. Neque enim vltra in hominis poteſtate eſt. Iuxta Iobi, quam ibi expendit ſententiam, hom. 5. in Ezech. circa fin. pulchra clypei (quo Dei gratiam, & amicam erga nos prouidentiam intelligit) eiuſque vſus noſtri metaphora rem præſentem ſub oculos ipſos poſuit. [Clypeos pro noſtro nutu nimine vbicumque volumus mouemus: clypeus vero in manu eſt, & defendit, quia virtus patientiæ, virtus miſericordiæ, præcedente nos gratia, & in poteſtate eſt arbitrij, & à periculo protegit aduerſitatis. Recitabimus ex ipſo aliud teſtimonium q. 1. cert 4. n. 8.

Bernardus ſerm. 81. in cant. circa med. [Ex hac (libertate) nempe ineſt illi (animæ) inter vitam, & mortem, ſed & nihilominus inter lucem, & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi. Infra. Vnde, & liberum vocatur arbitrium, quod liceat auerſari in his pro arbitrio voluntatis, inde homo ad promerendum potis. Omne enim, quod feceris, bonum, malumve, quod quidem facere liberum ſit, merito ad meritum deputatur.] Subdit aliquos poſſe facere mala, quæ non faciunt, & poſſe non facere bona, quæ faciunt, tract. de grat. & lib. arbitr. col. 2. & 3. vſque ad tractatus finem plura pro indifferenti hac potentiæ liberæ poteſtate ad vtrumvis, & excluſione neceſſitatis ad alterum extremum dedit, quarum aliqua dabimus in ſequentibus pro eius neceſſitatis excluſione. Dedimus item ex Bernardo alia q. 1. cert. 3. n. 4. Petrus Ab. Cellenſ. lib. 1. myſticæ expoſit. Moſaïci tabern. longè à med. [Productiles facti ſunt Cherubin, non quia volentes à verti, vel conuerti creati ſunt; ſed quia habiles ad volendum hoc, vel illud. Poſt creationem vero, quia productiles facti ſunt ſpontanea voluntate alij elegerunt bonum; alij malum. Et de operante gratia (quam acceperunt in creatione) ſeruata cooperantem meruerunt: qua, non ſicut ex operante iuſtificatur impius; ſed qua cooperante iuuatur ad bene volendum, & perſeuerandum pius. Author libri de Eccleſiaſt. dogmatibus Auguſtino adſcripto cap. 21. init. de homine in ſtatu innocentiæ ait, [Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt homo, ſtatim in prima conditione: vt ſola vigilantia mentis annitente etiam in præcepti cuſtodia perſeueraret, ſi vellet in eo, quod creatus fuerat, permanere.] De eodem vero iam lapſo ſubinferius. [Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, id eſt, rationalis voluntas: ſed admonente prius Deo, & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt inſpiratione Dei.] Inferiuſculè. [Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus: vt acquieſcamus ſaluti ferę inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt. Quæ res non infirmat, quod dictum eſt, quid habes, quod non accepiſti?] Tranſcripta hæc ſunt ab Authore libri de ſpiritu, & anima Auguſtino tributi t. 3. cap. 48. Author Hypognoſticon Auguſtino etiam appliciti lib. 3. col. 3. [Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione, vel diſcernendo quid eligat, quidve recuſet, puto, quod nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quia in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi, quod velit poſſibilitatem.] Et ſubinferius de Adamo. [Non enim per aliud contraxit offenſam, niſi per id, quo potuit, ne delinqueret, reſiſtere ſuadenti.] Dei gratiæ ſubdit Beda q. 13. var. ait; [hominem talem creatum fuiſſe à Deo, vt poſſet velle bonum, & non velle,] & verſ. med. & poſt med. multa in eandem ſententiam ſcripſit; ſine vero. [Ita Deus nobis bona ſua promittit, vt tamen labore noſtro adquiranturs quod ſi voluerimus ad laborem in omnibus, quæ bene agemus cooperabitur.] Recole recitata ex eodem q. 1. cert 4. n. 4.

9. Tam multus in hac veritate demonſtranda fuit Anſelmus variis operum ſuorum locis, præſertim lib. de concordia libertatis noſtrorum operum cum certitudine, & infallibilitate prædeſtinationis, & præſcientiæ diuinæ: cum eam ex hac indifferenti ad vtrumvis arbitrij noſtri, illis etiam poſitis, poteſtate vnice. Tertio quoque, vt aiunt, verſu, & aſſerat, & oſtendat. Id ſolum ex eo nunc recito, quæ ſub eius libri finem ſuas cuique, & Deo & homini in bonis, maliſque peragendis partes diſtribuens ait. [Homo habet in bonis, quod mala non ſunt. Quia, cum poſſet (ſe ſolo) deſerere iuſtitiam, & mala facere, non deſeruit; ſed ſeruauit per liberum arbitrium dante, & ſubſequente gratia.] Plura dabimus ex hoc libro cert. 3. & ſequentibus; vbi neceſſitatem à potentia, & operibus liberis excludamus: & quænam neceſſitas ita à Patribus excluſa ſit, explicemus. Interim ex aliis eius operibus ipſum ad rem præſentem audiamus. De caſu diaboli c. 14. [Neceſſe eſt, vt ſic faciat Deus vtramque voluntatem in illo conuenire: &, vt beatus eſſe velit, homo, quatenus addita iuſtitia ſic remoueret voluntatem beatitudinis (in communi, quam neceſſariam dixerat c. 13.) vt reſecet voluntatis exceſſum, & excedendi non ampliet poteſtatem. Vt, cum per hoc, quod volet beatus eſſe, modum poſſit excedere, per hoc, quod iuſtè volet, non volet excedere,] c. 27 fine negat diabolum ideo voluiſſe, quod non debuit, quia ita velle potuit. [Quia, inquit, ſimiliter potuit bonus Angelus velle; æque tamen voluit. In cap. 6. Matth. ad id fiat voluntas tua, ait: *Contingere, vt Deus per miſericor-*

diam

diam velit de aliquo prauo, quod sit iustus, & conferat illi gratiam suam: & tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratia Dei consentiat. Subinferius *In Paulo* (absolutè prædestinato) *tamen videtur cogens voluntas Dei sed non est quia, licet sit persuasus, tamen voluntas erat libera, vt resisteret, si vellet.* Insuper in id ad Timoth. 2. *Et dicebat ab iniquitate*; sic fatur. [Liberum arbitrium dedit nobis Dominus, vt arbitrio propriæ voluntatis recedamus ab iniquitate, & simus ex illis, quos ipse nouit suos esse; vel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere.] Et c. 4. de conceptu virginali, & peccato originali post. med. [Deus nos, & potestatem, quæ in nobis est, subiecit voluntati: vt ad imperium eius nos possimus mouere nos, & facere, quod vult: imo illa mouet nos, velut instrumenta sua, & facit opera, quæ videmur facere: neque nos possumus illi per nos resistere: neque opera, quæ facit, possunt non fieri. Dominæ, quam dedit nobis Deus, neque possumus, neque debemus resistere: quando illi obedimus, Deo, qui hanc legem nobis dedit, obedimus.]

10. Hugo Victorin. t. 4 lib. 2. instit. monasticæ de anima transcripsit, approbauitque secundum testimonium ex lib. de Ecclesiast. dogmatib. cap 21. à nobis recitatum n. 7. & annotationib. elucidatoriis epist. ad Roman. cap. 9. sub init. ait, *Promissio, quandoque cum eorum, ad quos fit, libera voluntate: vt in proprio, scilicet, habeat arbitrio promissionem factam suscipere, vel respuere.* Et inferiusculè, quæstioni de duobus æque vocatis, non æque respondentibus, ait, [Solutio vtrique data est gratia, qua potuit consentire: Alterius tamen mens mota est, & consensit: quod de bono naturæ potuit, quia velle adiacebat ei: quod ante gratiam implere non potuit, per gratiam quidem excitata est, & resurrexit. Alter, cum posset, non consensit, sed gratiam oblatam reiecit: vt apparet in solis radio, & duobus in foueam lapsis, qui oculos aperit, videt, non sine solis claritate; qui oculos claudit non videt. Sic, qui manum meam apprehendit extrahitur à me de fouea qui autem negligit, nec nititur cum auxilio sibi exhibito non exit.] t. 3 tract 3. sum. c. 6. ait: [Appetitum iusti secundum voluntatem esse, per quem homo promereri potest, siue bene remendo, cum posset deserere, siue male deserendo, cum posset retinere.] Et c. 9. clarius exemplo futuri téporarie respectu antecedentis temporis, ex quo non determinatur fore, quod depræsenti est, indeterminationem in causa antecedenti natura ad contingens ita explicuit, *quod in præsenti est non est in potestate nostra, vt tunc sit, vel non sit* (ex suppositione nimirum quod est) *Sed vtrum in futuro ita se habeat, vel non, in potestate liberi arbitrij est,* (quia neque instans suæ existentiæ, vlterioris, & exercitij arbitrij in illo, nunc adest, neque ex hoc instanti, neque ex exercitio arbitrij liberi in illo futuri existentia pro sua vlteriori durationè determinatur. *Nec ad omnia futura se habet; sed ad ea tantum, quæ possunt fieri, & non fieri,* lib. 1. erud. Theologicæ cap. 178. ex Miscellaneis. [Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis: quia potest vel adiuuante gratia ad bonum, quod non habet, vel minus habet, proficere; vel sinente gratia à bono, quod vel habet, vel habere debet, per semetipsum deficere,] quam definitionem liberæ potentiæ vniuersalius, atque ab electionis materia abstractius repetit 1. de sacram. par. 6. c. 4. p. 5. c. 11. & 21. his verbis. *Libertas est habilitas voluntatis, qua mouetur ad vtrumque.* Consonat c. 22. & fine 2. tom. lib. 9. in caput 9. Dionysij de cœlest Hierarch. post libri med. [Sicut in nostra potestate non est, vt diuinæ illuminationis donum nobis offeratur: ita, nonnisi in nostra potestate est, vt oblatum suscipiatur. Nam aliquando, cum nolumus, offertur; sed non suscipitur, nisi, cum volumus: & cum volumus quidem, à Deo volumus: quia donum Dei est voluntas bona; cum autem nolumus, à nobis nolumus,] quod fusius colligit, & confirmat ex illo Dionysij: *illa quidem non reuelantur per propriam potestatem prouidentium.* Vbique autem, vt vidimus, Dei gratiam, & electionem bonorum operum, & meritorum causam esse, non verò à contra hæc illarum, ex doctrina docet Augustini: expressius verò tract. 1. sum. sententiar. c. 12. post med.

11. Richardus victorinus de statu inter. hominis p. 1. cap. 13. *Arbitrium hominis, non ideireo liberum dicitur, quod promptum habet bonum vel malum facere* (externè nimirum) *sed quia libertatem habet bono, vel malo non consentire.* In eo quippe stat libertas formalis, & immediata arbitrij, vnde mediata in externas descendit potentias Subinferius. *Libertatis est, quod potest etiam consentire, & non consentire inspirationi diuinæ, & similiter suggestioni diabolicæ:* cap. 6. docet hominem posse libera potestate refrenandi suas passiones, & effrænatas frangendi, emolliendi, & vlciscendi. At horum autem potestatem non, nisi ex Dei gratia, esse docet expressè cap. 21. 22. & 23. & de erudit. interioris homin. par. 1. lib. 1. cap. 29. à med. Laurent. Iustinian. serm. Sanct. Lucæ sub init. *Valet enim, sicut assensum præbere, ita gratiæ repugnare diuinæ. Magna profecto liberi arbitrij virtus est, qua salutis, seu propriæ damnationis efficitur causa: vnde reprobationem meretur, & laudem.* De contemptu mundi cap. 8. init. [Præstitit quippe Dominus liberam boni, vel mali eligendi facultatem: qua mediante mercedem iustus, improbus autem merito condignum habeat de mali perpetratione supplicium.] Vers. finem. Pulsanti ad cordis ostium aperire, peccator, noluit, seque vocantem sapientiam audire neglexit. Poterat quidem vocatus respondere, annuere, & obtemperare, fieretque iustus.] Porrò ea omnia quæ ex Patribus toto hoc certamine produximus non solum indifferentem ad vtrumvis arbitrij, seu liberæ in actu, vt aiunt, primo voluntatis nostræ potestatem cum alterum extremum determinatum amplexatur, exequiturque irrefragabiliter euincunt; sed & potestatem hanc ad bonum aliquid præstandum, non viribus, & iure naturæ, nec sine Dei gratia, vocatione, inspiratione, auxilio, & inuamine vsquam, vnquamve voluntati nostræ inesse, ad esseve posse: vti ex verbis ipsis Patrum recitatis plerumque, vel ex stata apud ipsos aliis notatis locis doctrina clarescit: ac proinde potestatem hanc ad oppositum etiam actus boni eliciti (ad quod, & Dei voluntas, & decretum concursus, auxilium gratiæ, efficax etiam, adesse debet) cum his omnibus absolute positis omnino apud Patres consistere. Vnde de ipsissimo mendacio conuincuntur Magdeburgenses centuriatores cent. 2. pag. 59. cent. 3. pag. 77. apud Feuardentium in Irenæum lib. 4. cap. fine, & Caluinus apud Ruardum Tap. art. 7. pag 371. asserentes Patres in liberi arbitrij doctrina sibi non constare, firmumve quidquam tradidisse: atque Græcos, præsertim Chrysostom. plus nimio arbitrij, & voluntatis nostræ viribus detulisse, dum potestatem, & dominium suarum actionum illi concesserunt: quasi gratiam Dei ab ea ad pie, honeste, rectèque viuendum, & operandum potestate reiecerint. Quibus Patribus adde Innoc. Pap. & Cœlest. item Pap. recitatos & Glossam.

CERTAMEN III.

Ad libertatem arbitrij, necessitatem alterius partis, & (quod consequens) impossibilitatem alterius absolutam constanter apud Patres omnino excludi.

1. NIhil sanè à Patrum authoritate agendum certamen proximum relinqueret: si ingenui veritatis amatores omnes homines essemus, solaque legitimi, & naturalis discursus ratione, aliis politicis, & quas status vocant, ablegatis, res hæc apud omnes ageretur. Cum enim constans ex certamine proximo apud Patres sit: posita gratia, omnibusque, ex parte etiam Dei requisitis in voluntate libera. & arbitrio, vt possit actum liberum elicere, posse absolute tunc arbitrium, vel oppositum agere, & ab eius effectione seipsum suspendere: certum, & constans apud eosdem est, eisdemque locis, positis iisdem gratia, & cæteris, etiam ex parte Dei requisitis, actum illum liberum non esse voluntati, & arbitrio nostro neces-

farium: & subinde, neque oppositum actum, illiusque omissionem ipsi impossibiles: illius enim necessitas absoluta in iis circunstantiis, atque omissionis eius, & actus oppositi in eisdem absoluta impossibilitas, possibilitati absolutæ horum in circunstantiis eisdem, quam absoluta potentia ad illos in eis circunstantiis necessariò concernit, manifestè contradicit, vt vlr. quæst. demonstrabimus: sed tamen eorundem Patrum interminis (vt aiunt) ipsis necessitatem alterius partis, & oppositæ impossibilitatem ab arbitrio, & voluntate libera in eis circunstantiis excludentia testimonia recitanda erunt, vt obstinato negantium frangatur protervia. Plerumque autem ex eis Patrum locis erunt, ex quibus eorum sententias pro voluntatis liberæ potestate absoluta ad vtrumvis (in quibus, & præsens veritas, vt dixi, contineatur) recitabamus: Et audiendus quidem inprimis venit Theologorum summitas, & Apostolorum Princeps Petrus apud Clement. Roman. 3. Recognit. circa med. pag. 4. vbi ait ex iis, qui Dei verbum audiunt aliquos obedire, vt libera in primis, atque adeo à necessitate soluta obedientia monstraretur. *Quod si*, inquit, *Omnes, qui audiunt Dei verbum obedirent naturæ, magis esset necessitas, qua omnes vna ageret via, quam potestas agendi vtrum malint*, ab ipso immediate asserta, & recitatis supra locis. Eiusque sententiæ, & rationi insistens Clemens ipse Roman. de officio Sacerdotis, & Clericor. col. 4. ait. *Nam, si hoc esset, vt videntes ea iam non haberent in potestate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam naturæ, per quam iam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut, si rursus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, qua vnum aliquid fieri cogeret.* Dionys. Areopag. de cælest. Hierar. cap. 9. post med. rogat, cur Iudæus solus populus Deum agnouerit? *Respondendum*, inquit, *errorem, quo aliæ nationes in eos, qui Dij non sunt, deflexerint, rectis Angelorum præfecturis non esse tribuendum; sed eorum contumaci voluntati*, &c. reddit- que post pauca rationem. *Neque enim vita nobis data est, cuivis illata sit, aut imposita necessitas.* Et cap. 8. de diuin. nominib. morali necessitate, id est ab ipsis voluntatis liberæ actibus facta (consequentem nos cum Anselmo, & Scholasticis appellamus) tantummodo admissa, naturalem omnem (sic antecedentem nominat) *etiam inductam à Deo, qui potest omnia*, supra rerum adhuc, *naturam operante*, à libera voluntate, eiusque actibus relegat.

2. Iustin. Mart. Apolog. 2. pro Christianis ad Anton. sub med. *Si fato regerentur omnia, nihil omnino relictum esset in nostra potestate*; ac proinde, etsi fatum ad præmium, & pœnam gestorum ineluctabiliter admittat. Illud tamen negat, *quo sit destinatum, quempiam esse bonum, aut malum.* Iustin. rursus Apolog. pro Christianis. 1. ad Senatum. *Non intelligentes stoici ad fati necessitatem retulerunt omnia, indeque liberum arbitrium, operum laudem, & vituperium, pœnæ, & præmij iustum retributionem perire*, ait. Athenagoras legat. pro Christianis negat esse Dei, *mouere nos ad ea quæ sunt præter naturam: cum tamen eius esse sit ea omnia nosse.* Ignatius Mart. epist. 3. ad Magnesian. ante med. ait. *pium Dei esse*, impium diaboli: *non ex natura, sed ex sententia factum*: eius assecla Tatianus Assyrius orat. contra Græcos col. 5. *Verbi potentia, cum secum præsset, quid euenturum esset, non ex necessitate, & fato; sed liberi eligentium proposito rerum futurarum exitus prælicebat.* Clem. Alex. 1. Pædag. cap. 9. vers. finem, vt necessitatem, secundum quid, operationis à metu prouenientis libertatem minuere ostenderet hoc principium statuit. *Multum, atque adeo omnino differt id, quod est spontaneum liberum voluntarium ab eo quod fit per necessitatem*, &c. vbi, *voluntarium*, & *spontaneum*, perfectum, & quod liberi synonimum sit, intelexit. & 2. Stromat. moralem solum in actibus voluntatis necessitatem Dionysij acceptione admittit, id est consequentem: naturalem verò seu antecedentem reiicit omnino tanquam libertati contrariam asserens: *Impedire, ne humanæ actiones, vel vitio, vel laudi verti possint.* Et lib. 7. ait. *Deum non cogere quemquam salutem ex ipso accipere*, &c. Cyril lib. 5. in Ioann. cap. 5. fine ex Eccles. 15. potestatem liberi arbitrij, *necessitate solutam*, ad aliquod ex extremis esse debere ait, vt ad eum locum recitabamus supra col. penult. *quod si quis pertinacius asseuerans fatalem necessitatem contendat, protinus tollit humanæ voluntatis libertatem.* Dialog. de adorat. Spiritus S. potestatis arbitrij in motus animi oppositos indifferenter rationem his reddit. *Voluntariam enim, & non quasi ex necessitate, videre oportebat virtutem, neque naturæ legibus insitam: vt excidere non posset id, quod summæ omnium substantiæ, ac eminentiæ proprium fuerit.* Scilicet libertas arbitrij ab homine, ac subinde Dei imago, per eius proprietatis diuinæ imitationem in illo expressa. Et 8. lib. contra Iulian. sub fin. *Propensio* (liberi motus) *in vnoquoque à necessitate libera est.* Subinferius. *Si Deus ineffabili quodam, & diuina virtute, & efficacia mutasset singulorum mentes ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo agerrime discedere possent, & non sponte: vltra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis, & cupiditatis non voluntariæ.* Subdit adhuc irreprehensibilem Deum fore permittendo hominem suo motu gubernari, quem præsciret: postea. *Necesse habere ineuitabilibus quibusdam cupiditatibus aligari, vt transiret ad faciendum bonum, quod Deo placet.* Basil. Hom. 9. quod Deus, *non sit author malor.* longè à med. naturæ nostræ ad malum potestatem probat. [Quoniam libero facta est arbitrio: quod creaturæ rationis participi maxime conueniebat. Soluta enim hæc omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens (propterea ad imaginem eius creata est) bonum intelligit, potestatemque habet ad bonum, & malum.] Inferiuscule. *Non ergo ex aliqua necessitate, sed suapte temeritate malus est factus.* Adamus infra. *Virtus verò ex voluntate perficitur, non ex necessitate: quia voluntas ex illis pendet, quæ in nobis sunt sita. Quod autem in nobis situm est voluntarium, & spontaneum est.* Rogauerat autem paulo superius: cur Deus nos impeccabiles, & absque facultate peccandi non fecerit? Respondet verò. *Quoniam, & tu seruos, non quando vinctos in custodia retines, beneuolos esse tibi existimas; sed, cum sponte omnia, quæ erga te oportet, videris agere. Sic item Deo eum puta fore amicum, non, qui coactus, sed, qui sponte sua, virtuteque illi obtemperat.* Et post nuper recitatam propositam quæstionem sic absoluit. [Qui ergo factorem reprehendit, quod non tales nos natura fecit, qui peccare, non queamus, nihil aliud opinari videtur, quam naturam ratione carentem ea, quæ rationis est particeps, esse potiorem: & illa, quæ non mouentur, nec mente ducuntur, iis, quæ eligunt iudicant, conferunt, omnino præstare.] Hom. vero 6. ex med. dixerat contra stallarum fata. *Si non probarum, & improbarum operationum principia penes nos sita sunt, sed ex ortu necessitudines emergunt frustra esse legislatores, & iudices, præmio, vel pœna afficientes. Non enim hoc pacto iniuria commissa furis est, aut homicida: quippe cui, neque volenti quidem ob ineuitabilem ipsum ad agendum impellenti necessitudinem manum continere non licuit.* Id est non potuit, & inferiuscule, inde concludit: *quod nihil prorsus ab hominibus libero animi proposito agatur. Nam vbi necessitas vrget, fatumque dominatur, nullum id ibi locum obtinet, quod pro dignitate penditur.* Methodius Mart. apud Turrianum nostrum lib. 4. pro epist. Pontif. cap. 2. fine. [Si factus esset homo, tanquam vnum ex elementis, aut vnum ex eorum numero, quæ similiter necessitate seruiunt Deo, non iam meretedem libera voluntate dignam reciperet, sed potius, tanquam instrumentum Opificis esset: de cuius non rectè factis iniusta, & temeraria esset querela. Eorum enim author esset is, qui instrumento vtitur.] Idem Methodius fragmento relato ab Epiphanio hæresi 64. cont. Originem, sic probat indifferentem animæ potestatem ex coniunctione cum corpore non abolitam. *Post vinculi* (corporei) *constrictionem hac ipsi, veluti potestatem habenti, & non, veluti sub vincula, & necessitatem ad actio, dicta sunt.* Scilicet Ecclesias 15. *Ecce ante faciem tuam*, &c. & Isai. 1. *Si volueritis*, &c. Epiphanius verò hæres. 48. circa fin. *quia Deus vocauit, cum voluntatis proposito vocauit: non necessitatem inducens, non tormentum aliquod adhibens.*

3. Nazianzen. Apologetico, seu orat. 1. col. 8. *Commendat bonitatem Dei facientis, vt nostra quoque sit virtus, nec natura tantum nobis inseratur; sed voluntate, animique proposito.* Et orat. 16. de pauperum amore, longe

longe à med. ait. *Deum creasse hominem, neque in illo, liberum, suique arbitrij, sola mandati lege coercitum.* Elias Cretens. in orat.1. ad illa verba: *Generatio propter essectionem,* impeccantiam, quam cum libero arbitrio homini datam dixerat ait non esse, quod peccare non possit, sed quod peccare, *in natura non habeat, verum potius in animi inductione.* Et in orat.3.§.*post quam illud,* Scribit. *Neque enim virtutis nomen obtinere potest, quod vi, ac necessitate sit.* In orat.4. §.*Iustitiæ Dei,* inquit, [Ob arbitrij libertatem sic quidem conditi sumus, vt virtutis capaces existamus; non tamen necessitate ad hoc, aut illud accedimus.] Et in orat.19. commentar. 3. ait. [Iniustum Deo visum esse à malo ad bonum, per vim aut necessitatem hominem trahere: quia esset hominem liberi arbitrij dignitate spoliare, per quam diuinæ naturæ similitudinem consecutus est.] In orat.40. comment. penult. *Quarum igitur rerum arbitrium penes te est; causas exterius ne conquiras.* Cui scilicet euenerint: quibus Eliæ Cretensis sententiis consonat alter Nazianzeni interpres Nizetas in orat.44. post med. Greg Nyssen. orat. de dormientib. longe à med. arbitrij ad vtrumvis potestate hominem ad Dei imaginem conditum esse. *At per necessitem ad aliquid traduci violenter, ademptio dignitatis* (imaginis Dei) *esset.* Ex qua lib. de opificio homin. cap. 16. *ea libertate,* hominem donatum ait. *Quæ nulla necessitatis lege tenetur.* Id quod dixerat cap.4.& 5. eius libri inhæc verba: [Nullius in natura dominatus iugo subiecta: sed quæ iudicio certo, atque liberrimo: quod vult eligit. Est enim virtus suæ sponte nullius imperio mancipata, quod autem necessitate quadam, violentiaue cogitur, virtuti consentaneum esse nequit.] orat. Catechet. cap.5. [Si vitæ humanæ præesset necessitas ex ea parte falsa fuisset imago: vt quæ per dissimilitudinem aliena esset ab exemplari: Regnantis enim non regnans quem admodum nominaretur imago? quod ergo per omnia Deo erat assimilatum, oportebat omnino habere in natura, quod sibi imperaret, & domino non esset subiectum.] cap.31. [Dicunt Deum posse, si velit, eos etiam, qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Vbi est ergo in his liberum arbitrium? vbi est virtus? vbi est laus?] Subinferius. Addit necessitatem operandi aliunde, quam per potestatem, & vsum liberi arbitrij inducta non huius solum libertatem, verum & rationis vsum pessumire. [Ad quid enim sua vteretur mente, ac cogitatione si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu, constituit, sita est in alio? Si manet autem ineffieax, & nullius vsus liberum animi institutum, & electio necessario etiam abolita & virtus.] His consonat alia orat. Catechet. cap.5. vers. fin. lib. de vita Moysis vers. med.& in Eccl.hom.2. col.2.& hom.8.med. & de Beatitudinib.in quinta, vt supra recitauimus. Denique orat.5.in Cant. longe à med. sic fatur. [Non per dolorem, nec per necessitatem, sed sponte, sed cogitationibus propriis cupiditatem ad bonum tuam adaugeto, necessitate nulla præcedente; virtus enim nullius imperium agnoscit spontanea est, omni est à coactione libera. Nemesius ex Ephisopho Emissenus Episcopus Nysseno Coætaneus t.9. Bibliot. lib. de natura homin. cap.35.post med. (siue lib.6. Philosophiæ Nysseno attributæ) contra fati assertores, seu (quod idem est) nostrarum actionum præfinitores, ait, [Si enim iisdem causis positis (vt aiunt ipſi) omnino necesse est eadem fieri, nec fieri potest, vt aliquando sic, aliquando aliter eueniat, quod illæ ex æterno tempore præfixæ statutæque sint: necesse est, & animalis appetitum] (apperitionem) [omnimodo, & ex omni parte iisdem causis positis ita fieri: quod si vero etiam appetitus necessario consequitur: vbi relinquitur, quod in nostra potestate est? vti liberum] (subdit) [esse debet. At si necessario appetitus sequitur, certe etiam fato venient, quæ appetitum sequuntur; etiamsi à nobis fiunt, & natura nostra, & appetitu, vt iudicio.] Ecce fatali necessitari, vt operis libertatem abolear, non obest, quod à voluntate instructa cogitationibus proueniat; dummodo ita à suis causis prouenial, vt non prouenire sub illis, nequeat similia habet cap.36.

4. Eusebius Cæsarien. 3. præparat. Euangel. cap.7. vers fin. *Neque vero inuitus saluus erit is, qui fit saluus. Non enim est inanimis; sed libero animi arbitrio contendit ad salutem.* lib. 6. cap. 5. Iouis decretum ethnicum à se relatum cap.2. post med. si foret cum creata libertate pugnaturum docet, ac rursus liberum arbitrium extrinsecus non moueri ait, & eo cap.5. post med. *In potestate libera est virtutis præmia sine vi aliqua eligere: cum possit contraria.* Et cap.6. circa fin. *Ita ostendam nullam esse in rebus necessariam seriem: quippe cum singula principia, & causas rerum homines mutare possint.* Scilicet: quia potentia mutandi aliquid pugnat cum necessitate causali illi essendi cap. 8. sub init. *Libertas hominis seruituti subiecta non est. Nam, etiamsi seruiat, libertatis suæ id quoque est, vt possit prouenire.* Et c.9. post med. ex potestate libera, & indifferenti peccatoris, vt conuertatur, [Neque necessario aliquid eorum futurum esse ait.] Rursus, [quod enim præscientia Dei nullam necessitatem nobis imponit, inde quoque affirmari potest: quia sæpius in scriptura pœnitentiam mandasse inuenitur: nec cognouisse simulauit, vtrum conuerterentur delinquentes, an non? vt apud Hierem. &c. Sed æqualiter vtrumque contingens à dictis esse ostendit: ne præscientia sua palam facta audientes deiiciat: quasi necessariò aliquid eorum futurum sit; nec in delinquentibus conuerti, & non conuerti potestas insit: & hæc sit peccandi causa. Chrysost. serm.2. de fato, seu prouiden. post med. *Deus dicit* (Eccles.15.) [Posui ante te vitam, & mortem: ad quod volueris extende manum tuam. Dæmon dicit: non est in te quod extendas manum tuam, sed necessitate quadam, & vi id agis. Videntur ne tibi hæc fide digniora?] Hom.6.2. ad Timoth. 2. Statuto prius potestatem ad pia quæque nobis à Deo fieri; ad ea Pauli verba. *Si quis ergo se emundauerit ab istis vitiis, erit vas in honorem:* ait. *Videsne, vt non natura, carnalisve necessitatis sit aureum esse, vel fictilem, sed nostræ tantummodo,* (vt necessitatem, non gratiam excludat) *voluntatis?* Hom.46. in Ioann. longe à med. id Ioannis 6. [Nonne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis diabolus est?] ait. [Non enim vi, & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit: neque electio eius violenta est, sed suasoria: vt intelligas, inquit, non cogi vocatione, multos vocatos perire contingere.] Hom 78. in Matth. col.5. id Ezech.2. *Si forte auuiant.* Sic ponderat: *Ambigue loqui videtur, ne prædicto inobedientiam facere videretur.* Et hom.69. col.1. *Non enim, quia ignorabat; sed ne quidam ex amentia dicerent: prædictione Dei coactos obtemperare non potuisse: idcirco huiusmodi vtitur orationis figura.* Hom.19. in c.4. Genes. sub init. ait, Deum nos, quia liberi arbitrij fecit hortatu solum, & consilio agere: *Et necessitatem vtique non imponit; sed congruis remediis appositis totum in ægrotantis sententia situm esse permittit.* t.3.hom. 4. de laudibus Pauli sub init. de vocatione efficacissima (si quæ alia) Pauli ait: *Nullus vocationem istam necessitatem putet: quia potuit non obedire.* Hom.5. de Pauli conuersione col.3. [Quia nos vult sponte effici bonos, non necessitate, atque violentia.] Inferiuscule. [Nos verò, qui semel dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur: quia, si traderet inuitos eriperet ipse, quod contulit: id est arbitrij potestatem.] Hom.9. de laudibus Pauli circa fin. *Vt discas quod nullum* (quem Pater trahit) [cogit. Nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioqui efficacia sunt. Non, quia infirma sit eius voluntas; sed, quia cogere neminem vult.] Inferius. [Hoc igitur est, quod dixi nullum vnquam vi, & necessitate à Deo adigi.] Inferius adhuc. [Inuoluntarios enim, & resistentes, neque vi, neque necessitate cogit,] ex consilio, & industria Chrysostomum, & Eusebium in vnum coactos numerum recitaui, vt appareat, quam sint in præsenti sententia, & veritate concordes, qui alias, etsi ad tempus, adeo discordarunt. Mitto, quæ contra fati necessitatem scripsit quinque orationibus de prouidentia, seu fato, à secunda ad sextam inclusiue ne totas transcribam.

5. Ennodij Ticinensis de necessitatis ad vnam partem exclusione adeo est aperta, & inculcata sententia testimonio eius recitato ex libro 2. epist illa 19. ad Constantium, vt integrum recitandum hic videretur, ni adeo proxime recitatum esset cert.2.num.6. sed illa refricanda. [Quæ est ista libertas, vbi hoc solum datur velle, quod puniat? aut quare electionem nominat, vbi vnam tantum partem asserit fuisse concessam?] Et illa. *Ad periculum,*

culum, & gehennam non imperio aliquo, sed sponte deuoluimur. Et illa tandem. *Toties noli in superna admonitione, quo respicit, si aliud nolle non licuit.* Cyrill. Hierosol. ad id Ioannis 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sic habet Catech. 7. post med. *Non enim ex necessitate, sed voluntate in Sanctum Dei adoptionem deuenimus.* Cateches. 4. tit. de Statu homin. ait, *diaboli,* suggestiones posse à nobis abiici, neque illum nos ad malum adigere. *Si enim,* inquit, *ex necessitate scortareris cuius gratia Deus gehennam parasset.* Theodoret. id Hierem. 26. *Si forte audiant,* non ex euentus ignoratione, *sed ambigua dictione vsus est: ne sententiæ diuinæ attendentes desperarent de salute æstimantes impœnitentiæ necessitatem imponi.* Cuius etiam exclusionem à libero arbitrio significatam ait, illis verbis Ezechiel 2. *Si forte audiant,* &c. & in Psal. 67. *Pluuiam voluntariam,* intelligit doctrinæ pluuiam, voluntariam verò ob liberum arbitrium. *Non enim ex necessitate irrigatur aliquis; sed doctrinæ acquiescens consequitur gratiam.* Subinferius verò addit Deum iustissimum nusquam pœnas ab hominibus exacturum. *Si adacti necessitate aliqua deliquissent.* Et in id Romanor. 8. *Quos autem prædestinauit.* Ita scribit. [Deus omnia procul videt, vt Deus; non tamen huic quidem affert necessitatem, vt virtutem exerceat; illi autem, vt vitam ex vitio instituat: quia alias iniuste præmiaret, ac puniret: quare cum certo iustus sit adhortatur quidem ad ea quæ bona sunt, & prohibet contraria, vt præmiet, vel puniat eos, qui alterutrum sponte amplectuntur.] Et Romanor. 7. ad illa. *Si autem quod nolo.* Et illa. *Nunc autem iam non ego operor.* Necessitate ab arbitrio depulsa concedit illi potestatem relaxandi, & contrahendi pro libito habenas passionibus easque moderandi. Et 5. de Græcanicar. affection. curat. negat, [damnandos homines à Deo, si aliqua necessitate adacti peccarent: & leges humanas supponere nullam esse, vel naturæ, vel fati necessitatem.] Theophylact. in id Ioannis 6. [Nonne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis diabolus?] ait, [ex illo etiam discimus, quod non coacte, & vi quadam meliores facere consueuerit Deus, neque eius electio cogat voluntatem nostram, cum sit mala, vt fiat bona. Et in cap. 20. Lucæ ad id Ezech. 2. *Si forte audiant,* ait. [Nec enim illi ignorans futurum ita dicit; sed ne quidam præscientiam Dei necessariam inobedientiæ causam esse dicant, eiusmodi verborum figura vtitur,] & Marci 4 post med. parabolam de seminatore, quo nescio, & dormiente fruges crescunt diuinæ erga nos prouidentiæ applicat. Et subdit. *Neque enim coacti, & necessario fructum asserimus, sed sponte. Hoc est à nobis ipsis.* Et in cap. 15. Lucæ. Substantiam filiis à Patre diuisam liberi arbitrij, & gratiæ, cum externæ, tum internæ à Deo communicationem intelligit: Et subdit. *Nullum enim cogit non volentem. Nam si voluisset nos cogi, non fecisset nos rationales, & liberi arbitrij.* OEcumenius ad Roman 19. in id. *Numquid dicet figmentum?* &c. hæc scribit. [At tu neque naturæ necessitate seruus, sed seruitione honestatus, arbitriique libertate, non cedis artificis voluntati, sed resistis.] Subinferius. [Respondes quasi coactus peccares, tanquam ille vinceret tuæ sententiam voluntatis: & in hac parte tuo priuareris arbitrio. Et in 1. ad Timoth. 2. ait, non fieri voluntatem Dei; quia homines nolint. *Nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Et in 2. ad Timoth. 2. ad id: *Si quis emundauerit se ab his*: ait. *Non, quod Deus ita illos fecerit* (vasa scilicet in contumeliam) *alioqui quomodo possent sese mali expurgare?* Euthimius in cap. 15. Lucæ petitionem substantiæ filij prodigi à Patre liberi arbitrij, seu debitæ ex baptismo gratiæ petitionem interpretatur, atque his prodigum patri Deo loquentem inducit. [Nolo vrgeat me seruiendi necessitas: liberum est enim mihi arbitrium. Si vòlo modestus sum. Si nolo, cogi nequeo. Pater ergo candide impertiit, vult enim Dominus, vt sibi voluntarie seruiatur.]

6. Origenes 1. periarch. cap. 1. med. ait. Definitum in Dei Ecclesia esse liberum omnis animæ, seu hominis arbitrium. [Vnde, & consequens est intelligere non nos necessitati esse subditos: vt omnino etiam si nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem; non tamen necessitate cogimur, vel agere recte, vel male,] id quod ab argumentis hæreticorum vindicat lib. 3. cap. 1. & lib. 2. contra Celsum circa med. Ostendens diuina prædestinatione, præscientia, ac prædictione futurorum contingentium non impediri, quominus illorum non effectio, & omissio sit arbitrio, & voluntati nostræ liberæ absolute possibilis: vti ex ipso retulimus agentes de concordia præscientiæ cum actus contingentis præsciti libertate Sanct. Anton. Magnus epist. 2. ad Arsenoitas col. vltim. ait, Deum nos beneficiis ad virtutem fulcire: *quoniam in nostra sumus potestate creati.* Censens nimirum eos, qui potestatis suæ, & liberi arbitrij sunt, solis motiuis, & intentionaliter, non autem physice posse moueri: nedum præsimitione, ac prædeterminatione physice adigi, ac prædeterminari: & quid demum beneficia præstabunt, vt id agamus, quod non agere è Dei præfinitione, & prædeterminatione Dominicanorum recentium minime possumus. Olympiodorus ex Peripatetico Monachus in 1. Eccles. illud. [Ecce omnia vanitas, & affictio siue] (vt ipse legit) [electio, spiritus, ait, Præter hoc, quod elabuntur, ac euanescunt etiam disponunt se homines ad supplicia post præsentem vitam futura: quandoquidem nulla coacti necessitate hoc faciunt, sed præuia electione, certoque iudicio. Spiritum verò hoc loco animam intelligit, quæ liberi arbitrij potestate & decorata.] Consonat sibi in cap. 6. & 10. Eccles. sub init. omnem coactionem, & necessitatem à libera voluntate propellens. Macharius Senior hom. 15. circa med. t. 2. Bibliothec. [Capax est natura cum boni, tum mali; nulli tamen necessitati subiacet.] Circa fin. ait homines in quouis viæ statu, etiam, [cum diuinitate sunt inebriati, liceat plene sint, & adhæreant Spiritui Sancto, non tacet vlla necessitate detinentur; sed libera potiuntur libertate, vt conuertantur, & faciant quod libuerit.] Hom. 27. med. [Boni, malique capax est natura nostra: ac potestas aduersaria exhortandi vim habet, non cogendi.] Marcus eremita lib. de baptismo longe à med. ait. [Adamum, neque ad vitium particulariter conuertibilem, neque necessitate naturæ, sed beneplacito voluntatis transgressum esse mandatum Zacharias Mitelenes, Episc. lib. de mundi creat. sub fine ait. [Vult non necessitatibus subiici naturam nostram more brutorum: vt, quocumque impulsa fuerit, trahatur. Deinde, vt honestum nostrum esset, non est naturæ nexu: vt vbi virtutis opera, & præclara volentes gesserimus laude, & præmio dignissimus: coactum enim bonum ipsi gratum non est; sed, quod consilio, & delectu geritur.] Damascenus lib. 2. de fide cap. 2. potestatem voluntatis, & arbitrij indifferentem ad vtrumvis, quam ad eius, & operum libertatem requirit, necessitatem, vt ea fiant, prorsus excludere, & supponit, & probat, ac sæpius capit. 25. Author historiæ Barlaam Damasceno tributæ cap. 15. post med. Ita libertatem definit, *Est animæ ratione vtentis voluntas sine impedimento ad id, quod vult.* Hos autem Patres Græcos voluntati, & gratiæ diuinæ necessitatem ad recte, honesteque viuendum, neque ad id potestatem absque Dei gratia creato arbitrio deferre, vidimus supra, & ex pluribus eorum recitatis testimoniis certam inpræsenti constat: quare, dum omnem necessitatem ab arbitrio, eiusque operatione liberis relegant, Dei voluntatem, prouidentiam, seu præuidentiam, siue gratiam necessarias ad liberas operationes, & potestatem creatam aiunt, necessitates verò esse omnino negant.

7. Sed quoniam latinorum Patrum circa arbitrij creati liberi potestatem, & operum eius libertatem apud perfidos hæreticos centuriatores, & Caluinum, Lutherum, suos, melius audit fides, eorum erunt pro necessitatis huius exclusione producenda testimonia. Et in primis Prudentius in Hamartigenia non poetice solum, sed philosophice satis, ac Theologice contra Marcionem cecinit.

Non est sponte bonus, cui non est prompta potestas
Velle aliud, &c. Atque iterum ita Deum cum Adamo libero constituto loquentem inducit.
Non cogo, nec exigo per vim;
Sed moneo iniustum fugias, rectumque sequaris.

Lux

Lux comes est iusti; comes est mors horrida iniqui.
Elige rem vitæ: tua virtus temet in æuum
Prouehat æternum: tua damnet culpa vicissim:
Præstet, & alterutram permissa licentia sortem

Rursus pendenda illa *prompta potestas*, id est, soluta omnino, & expedita: quare & prorsus libera à necessitate volendi vnum, ac non volendi aliud. Rursus his in Marcionem inuehitur.

Nescis stulte tua vim libertatis ab ipso
Formatore datam. Nescisque ab origine quanta
Sit concessa tibi famulo super orbe potestas:
Et super ingenio proprio, laxèque soluto
Iure potestatis: liceat, cui velle, sequique
Quod placitum; nullique animum subiicere vinclo.

Minutius fælix in suo Octauio pro solis præmio, & pœna fatum, quod merita necessario supponat, admittit. [Quid, inquit, est fatum, quam quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est. Qui, cum possit præscire materiam pro meritis singulorum fata determinat.] Hilarius in Psal. 118. fine ad id. [Fiat manus tua, vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.] Sic habet. [Elegit autem non naturali necessitate, sed voluntate pietatis. Quia cuique ad id, quod volet, via est proposita viuendi, atque appetendi, atque agendi permissa libertas: & ob id vnius cuiusque, aut pœna, aut præmio afficitur electio.] Et ad id. *Inclina cor meum.* Necessitatem iterum ab arbitrio nostro excludit. Et in Psalm. 2. ad id. [Tunc loquetur ad eos in ira sua.] In hæc scribit. [Vnicuique nostrum libertatem vitæ, sensumque permisit; non necessitatem in alterutrum affigens. Inferiusculè. [Quid autem honoris, ac præmij bonitatis necessitas mereretur; cum malos nos esse vis quædam nobis conserta non sineret: Voluntati ergo permissa bonitas est, vt esset nobis æternæ huius beatitudinis profectus, atque vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem.] Similia scribit in Matth. 7. ad id. [Nonne in nomine tuo prophetabimus,] & 9. de Trinit. post med. ad id: [Veni non, vt faciam voluntatem meam,] Et 1. de Trinit. post init. ad id Ioannis 1. [Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Sic fatur. Hinc mens nosci esse filios Dei, non necessitatem esse, sed potestatem.

8. Ambrosius 2. de fide à med. vt filij, & spiritus sancti assertam libertatem Ioannis cap. 3. [Spiritus vbi vult spirat.] Et 2. Corinth. 12.] Diuidens singulis, prout vult. Statuat eam subiungit rationem. Pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.] lib. 6. in Luc. cap. antepenult. de turbarum refectione Luc. 19. agens ait. [Non potest dicere, quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum, & malum: vt non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntatium. Multum enim differt inter eum, qui ex necessitate inuitus aliquid agit; & inter eum, qui ex voluntate, quod bonum est, elegit. Si enim inuitus hoc ago, dispensatio mihi credita est; si volens mercedem habeo,] 1. Corinth. 9. Hieronymus in id Iob 34. [Neque enim vltra in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium,] dictum ait, quia necessario veniet, ac non veniendi non habebit potestatem, sed potius impossibilitatem (vt suprà ex ipso retulimus) eam autem vnius extremi necessitas, quam alterius impotentia, & impossibilitas potestati liberæ arbitrij in Hieronymi, & aliorum Patrum, qui eodem modo eam locum suprà explicuere, contradicit. Secundo idem Hieronymus in id Hierem. 26. [*Noli subtrahere verbum, si forte audiant.* Dictum etiam, ait, non quia euentus Deo ambiguus, *sed ne ex præscientia eius quasi ex necessitate facere aliquid, vel non facere cogatur.* Quod ipsum de sententia illa Ezechiel. 2. *si forte audiant.* Et si forte quiescant eo loci fatetur, & similibus scripturæ, vt vidimus superius. Item dialog. seu lib. 3. contra Pelagianos sub med. *Vbi misericordia, & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium*: quia, scilicet, in ea apponenda nihil ex parte creati arbitrij ponitur, sed à Deo solum apponitur. Non autem cessat omnino, quia bonus eius vsus sine vlla necessitate à nobis est. Epist. 147. ad Damasc. col. 3. de filio prodigo ait. [Dedit eis liberum arbitrium: dedit mentis propriæ libertatem: & vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo. Id est, non ex necessitate, sed ex voluntate: vt virtus haberet locum: vt à cæteris animantibus distaremus: dum ad exemplum Dei permissum est facere, quod velimus,] lib. 2. aduersum Iouinianum col. circiter 4. [Liberi arbitrij nos condidit Deus; nec ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahimur. Alioqui vbi necessitas nulla corona est.] Arnobius 2. aduers. gent. vers. fin. *Nulli Deus infert necessitatem.* Rationem vero reddit: quia liberalitate diuina esset indignum. Eodemque libro: [scelerarum, & immane penset credere ipsos actus, quibus vita transigitur, & celebratur humana, ordinasse, iussisse, & à sua fluente constitutione præcepisse Deum.] Lactantius Firmianus Arnobij discipulus 2. diuin. instit. c. 5. ante med. probat astra non esse Deos, quia nec liberi sunt; cum non pro libito sed ex stata lege, & necessitate moueantur. [Si Dij essent, inquit, huc, atque illuc passim sine vlla necessitate ferrentur: sicut, & animantes (rationales) in terra: quorum, quia liberæ sunt voluntates huc, atque illuc vagantur, vt libuit: & quocumque mens duxerit eo fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius.

9. Sed veniamus ad Augustinum in re ad prædestinationem, & ad gratiam, & liberum nostrum arbitrium spectante (apud Hæreticos, etiam & Dominicanos recentiores nobis aduersos) exceptione omni testem maiorem lib. de spiritu, & lit. c. 31. med. ait. [Hoc, quemque in potestate habere, quod, si vult, faciet; si non vult non facit.] Fine concludit. [Cum potestas datur, non necessitas imponitur. Vt, cum Dauid Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quam ferire,] lib. 5. de ciuit. c. 10. [Neque ideo peccat, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud (ecce nomine fati, fortunæ, & vniuersim cuiusvis alterius antecedentis necessitatis præfinitiones ex clusas) *sed illum peccaturum esse præsciuit.* Et in Psal. 9. inde confutat eos, qui Deum peccati causam admittebant: *quia non potest punire quod fecit*, lib. 3. de libero arbit. c. 15. & præsertim c. 18. Sæpius illam suam sententiam scribit: [quæcumque ista causa est voluntatis: si non ei potest resisti, sine peccato ei cedi tur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caueri potest, cap. autem 5. med. dixerat: [Non clament, non succenseant: quia, neque ipsos ideo coëgit peccare, quia fecit, quibus potestatem vtrum vellent dedit.] Totis autem capitibus 2. 3. & 4. eius libri fusè probat Dei præscientia, prouidentia, & operatione nullam nostris operibus necessitatem imponi: ac subinde liberos nos, & potestatis indifferentis esse, & 5. de ciuit. c. 10. init. Omnem, etiam extrinsecam, à libertate nostra independentem operandi necessitatem à libero nostro arbitrio, & voluntate, eiusque operationibus liberis prorsus, proculque his verbis ablegat. [Si necessitas illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate; sed, etiam, si nolimus, efficit quod potest (sicut est necessitas mortis) manifestum est voluntates nostras, quibus rectè, vel perperam viuimus, sub tali necessitate non esse,] lib. 2. Actor. cum Fælice Manichæo c. 4. init. ex illo Matth. 12. [Aut facite arborem bonam, & fructus bonos, aut facite arborem malam, & fructus malos. Ita infert: [Cum ergo dicit: aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam,] quæ vtique ad vnum determinata, & alligata est; non indifferens, sicut libera potestas. Ex eo vero capite ad 12. inclusiuè pro indifferenti potestate voluntatis, atque exclusione necessitatis operandi ab illa fusè decertat, lib. cont. Secundinum, Manichæum, etiam, c. 19. [Si autem cogitur consentire, ita, vt non sit in eius potestate aliter facere: non ergo, vt dicebas voluntate peccat, quando non voluntate consentit,] & lib. de vera religione, c. 5. [Nec hoc dubitandum video: habere animas liberum arbitriū: tales enim seruos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter; quod nullo modo posset fieri, non volūtate, sed necessitate seruirent,] & c. 14. latè probat necessitatem præfatam operandi pugnare cum voluntatis, & operū nostrorum libertate, & q. 2. ex lib. Octoginta triū ait. *Melior homo est, qui voluntate, quam qui necessitate bonus est: voluntas igitur libera danda homini fuit.* Quæ ferè repetit q. 4. & lib. de bono perseu. c. 11. lib. de perfect. iust. ratio in. 2. ser. 47. de temp. & lib. de natura, & grat. c. 65. [Quod à memorato dictum est presbytero (Hieronymo) liberi arbitrij nos condidit Deus: neque ad virtutē, neque ad vitia necessitate trahimur.

Alioqui, vbi necessitas, neque corona est. Quis non agnoscat? Quis non toto corde susciptat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam; Sed in recto faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis,] lib. 5. de ciuit. c. 1. post med. cont. Ethnicum fatum ait: [illi vero, qui positionem stellarum quodammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt: si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ita decernant: magnam cœlo faciunt iniuriam: in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia, si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur: cum dominus ille sit, & syderum, & hominum? Aut, si non dicunt stellas accepta quidem potestate à summo Deo arbitrio suo ista decernere; sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omnino iussa compleri: ita ne de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire?] Consonat ex Cicerone eodem libro c. 9. & 2. contra Faustum Manichæum. [Et nos quidem sub fato nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo, vel bene, vel malè viuitur propter iustum iudicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus.]

10. Eidem insistunt doctrinæ eius discipuli, & posteriores Patres, Prosper. 2. de vocat. gent. c. 28. post init. ait, si Dei voluntas, & adiutorium prærequisita ad fidem, & bona opera, & iustitiam consequendam, & in ea perseuerandum voluntatis nostræ mutabilitatem, atque ad alterutrum potestatem, qua illorum opposita absolutè exqui potest necessitate ad alterum abolerent. *Nemo vnquam fidelium recessisset à fide: neminem concupiscentia vinceret.* Quod falsum esse ait: & contra experientiam frequentissimam esse videmus. Consequentia vero Prosperi euidens est, atque alteri fidei nostræ principio innitens: nemini necessariam Dei voluntatem, & gratiæ adiutorium ad perseuerandum in fide & iustitia, ac tentationes vincendas deesse. Addit præterea consequens etiam esse contra illam domini sententiam: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Et ad capita gallorum ad 6. cap. fine ait. [Prædestinationem Dei, siue ad bonum, siue ad malum, in hominibus operari ineptissimè dicitur: vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere. Cum in bonis voluntas sit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas sine gratia.] Fulgentius de fide ad Petr. c. 25. ait. [Primos homines certissimè, ac indubitanter rectos, & liberi arbitrij conditos, non necessitate, sed propria voluntate peccasse.] Bernard. de grat. & lib. arbitr. col. 2. ait. [Est vero ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem si necessitatem vllam imponeret, quominus pro arbitrio sese voluerit, siue in malum consentiens appetitui, siue in bonum gratiam sequens. Ergo sine vllo vinculo necessitatis voluntas se potest voluere, vt sequatur gratiam, atque vt gratiæ dissentiens consentiat appetitui.] Ex multis vero aliis, quibus deinceps necessitatem à potentia, & actibus liberis reiiciendam docet. Pauca hæc noto. Subinferius, *Vbi quippe necessitas, non iam voluntas.* Et inde subdit. *Quod si ex necessitate, & absque consensu propria voluntatis mala, bonaue fieri possent, rationalis creatura, aut misera profecto esse nulla ratione deberet, aut beata penitus esse non posset*, col. 3. sub init. ait. *Libertatem à necessitate magis congruere voluntati, quam alias libertates ab ipso statim subiectas.* Inferiusculè. [Cum triplex sit nobis proposita libertas; à peccato, à miseria, à necessitate: hanc vltimo loco positam contulit nobis in conditione natura: in primam restauramur à gratia media nobis reseruatur in patria. Beda q. 13. ex variis verſ. med. *Arbitrium certè liberum fuit* (Adamo) *quandiu sua potestatis extitit: ita, vt nulla vi cogente, neque Dei, neque diaboli, quod vellet bonum, seu malum faceret.* Post med. latè refutat necessitatem, quæ à diuina prouidentia, tanquam à causa, in futuras nostras liberas operationes proueniat. Et in cap. 6. Ioan. ad id. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit venit ad me.* Sic habet: *quomodo trahit Pater? docendo delectat; non necessitate cogendo. Quia nemo necessitate credit, sed voluntate.*

11. Tam frequens vbique est Anselmus in excludenda à libera potentia voluntatis creatæ, eiusque operibus necessitate; quantum esse illum supra diximus in potestate arbitrij ad vtrumvis extremum constituenda; sed præsertim id præstitit, & latè, & subtiliter, toto libro de concordia, ex quo tam multa dabimus cert. sequenti, vt nihil ferè ibi, nisi ex eius doctrina, & verbis doceamus. Et ea quidem præsentem etiam veritatem continent, & confirmant. Nunc autem nonnulla solum ex eius libris producemus. Libro igitur de concordia præscientiæ, & prædestinat. Cum noitri arbitrij, & contingentium operum libertate c. 1. col. pen. [Sola voluntas determinat ibi, quid teneat. Nec aliquid facit ius necessitatis, vbi operatur (scilicet determinatiuè) *sola electio voluntatis.* Et in elucidario, vel ipse, vel qui eius Author coætaneus, & gratis *Qua Deus fieri tantum permittit* (vt bene vel male operari nos) *non est necesse euenire.* Et de casu diaboli c. 2. & 3. docet necessitatem vnius partis, seu extremi eorum, ad quæ est arbitrij libertas, & potestas, pugnare, & opponi expedito, & absoluto vsui libertatis, Atque eo c. 3. & 4. idem docet de alterius partis, seu extremi impossibilitate, & c. 14. hanc proponit quæstionem. [Si daretur eidem Angelo velle solum, quod ei velle conueniret, an posset aliud velle? aut, si non posset non velle per se, quod accepisset velle?] Respondet vero discipulus ex similis alterius quæstionis solutione data: tunc [nec posse aliud velle, nec posse per se non velle, quod accepisset velle. Sicut non potest non velle beatitudinem in communi.] Quam necessariò appeti dixerat c. 13. Ricardus rictor. de statu interioris hominis p. 1. tract. 1. c. 3. hominem ad Dei imaginem conditum ait. [Quia Deus superiorem non habet, nec habere potest: & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest. Quia violentiam inferre ei, nec creatorem decet, nec creatura potest,] & c. 13. ait: [Libertatis est, quod consensus eius extorqueri non potest. Et tam inspirationi Dei, quam dæmonis suggestioni consentire, vel non consentire potest, vtrumque autem ex libertate, neutrum ex necessitate. Abulens. q. 52. in Matth. ad id Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone, &, si in Sodomis,* &c. [Fortè mansissent vsque in præsentem diem] ait dictum ad ostendendam libertatis nostræ ad vtrumvis potestatem: *vt non putetur Dei cognitio rebus imponere necessitatem.* Pro qua expositione citat Remigium & S. Thom. possuntque præterea citari, quos dedimus controu. 2. Plures alios Patres dabimus pro exclusione necessitatis operandi ab arbitrio, & voluntate libera l. sequenti, vbi præfinitiones Dominicanorum recentiorum ad materiale peccati confutemus. Dedimus autem plura eadem controu. pro concordia infallibilitatis præscientiæ absolutæ Dei de contingentibus futuris cum absoluta eorum contingentia, & libertate. Vidimus enim hæc apud illos ex communi, & statu ipsis proloquio, & principio componi. [Quod contingentia, non ideo futura sint, quia à Deo præscita; imò vero ideo sint ab eo præscita, quia futura (sensu à nobis, & scholasticis aliis postremo hac causali explicata) ne necessitas ex antecedenti naturæ connexione præscientiæ cum contingentibus futuris, eorum contingentia, & libertas possumiret. Denique huc illi omnes Patres aduocandi sunt, qui contra ineluctabilem ab arbitrio nostro, eiusque vsu fati, & fortunæ ethnicæ necessitatem pro nostra libertate pugnarunt: quorum aliquos recitauimus. Sunt autem, qui fatalem necessitatem impugnant Patres recitatis hactenus locis. Ex Doctoribus iunioribus Iulius Sirenius lib. 3. de fato, Molina in concord. quæst. 14. artic. 13. d. 1. Pennot. propugnaculo hum. libert. lib. 1. cap. 3. & 4. lib. 2. à cap. 1. Ruiz d. 48. Theophil. Raynaud. disput. 8. Theolog. natur. quæst. 3. artic. 4. num. 196. & d. 2. discipl. moral. quæst. 3. num. 214. & Paul. Leonard. in suis responsionibus ad expostulat. cont. scientiam med. p. 2. sect. 1. à n. 2.

12. Eo denique vsque Patres necessitatem absolutam cum arbitrij, eiusque operum libertate, & merito pugnare censent, vt necessitatem secundum quid, vt metu, siue seruilem, siue reuerentialem, dolorem, & similia, quæ tamen operibus dent causam, à potentia libera, eiusque operibus sectu dant; & certè, licet non absolutè liberatem

bertatem tollant, multum tamen illius imminuent: ac subinde ex absolutè tali necessitate eam absolutè aboteri necesse est. Epiphanius recitatus ex hæresi 48. circa fin. aiebat *Deus nos vocat non immittens necessitatem, non tormentum aliquod adhibens*, lib. 1. hæresi 16. post med. *Extrema eorumdem sententia est, quod cum iudicium iustum decernant, fatum esse dicunt. Quomodo enim potest esse iuditium, & fatum? Propterea quod, qui facit, non à se ipso facit, sed secundum necessitatem Domini ipsius fati.* Clemens Alexand. 1. Pedagogi cap. 6. longè ab init. *Infantes dicit Apostolus eos, qui sunt in lege: qui, non secus, ac clarius pueri, timore perturbantur. Viros autem, qui verbo paremus, nostrique sumus iuris, & arbitrij vocauit, qui credimus spontanea electione saluari*, & c. 9. Necessitatem à metu proueniente multum ab spontaneo, perfecto, scilicet, seu libero ait: discernis. Zacharias Miteleuensis Episc. lib. de mundi creat. sub finem recitatam suprà sententiam suam de absolutæ necessitatis à potentia, & actibus liberis argumento hoc à minori ad maius probat. *Tunc seruum tuum verberemus, & vinctum tamen laudes, si quando aliquid eorum, quæ iussa sunt præstiterit? an, cum nulla necessitate iniecta flagro, nihil prætermittit eorum, quæ ratione seruilis conditionis debet efficere: neque aduersum ea, quæ ipsi imperantur, aggreditur: sed promptè cum animi voluptate famulatur?* In quibus consonat Augustino suprà à nobis recitato ex cap. 5. de vera relig. & ex quæst. 2. libri octoginta trium. Optatus Milleuitanus lib. 7. aduers. Parmenian. sub init. exclusionem absolutæ necessitatis à libero arbitrio, eiusque actibus à se assertam simili argumento à minori ad maius probat his verbis: *Homicida scelus, dum nemo cogit, potest facere: potest, & non facere. Adulterium maechus, dum de foris nemo compellit, potest admittere: potest & non admittere: & cætera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* Chrysostomus hom. 46. in Ioan. id Ioan. 6. *Numquid & vos vultis abire?* sic exponit: *vt vim omnem, & necessitatem auferret: & ne pudore quodam nutarent.* Theophylactus ad eum locum *demonstrabat nolle eos reuerentia erga se comitari.* Euthym. *Quod nullum velit inuitum retinere.* S. Thom. ibi lect. 8. post med. *Aufert etiam verecundiam, & necessitatem* (secundum quid ex reuerentiali metu, & pudore) *remanendi.* Quo etiam pacto eum interpretatur locum Cyprianus lib. 1. epist. 3. Gregor. Nyssen. orat. 5. in cant. longè à med. *Non per dolorem, nec per necessitatem, sed sponte*, &c. *Cupiditatem boni habendam*, ait Augustinus in Psal. 124. ad id: *Omnia quæcumque voluit dominus fecit.* Ea, quæ indigentia, & inopia cogente facimus, vel, quia alias inopes essemus (quæ solum secundum quid necessitas est) ex necessitate fieri asserit absolutè, quia ex perfecta christiana, & honesta libertate non fit, quod non sit è sola boni complacentia, & amore, subditque: *inuenimus aliquid, quod libera voluntate faciamus: cum ipsum Deum amando laudamus. Non enim ex necessitate, sed quia placet.* Macarius senior t. 2. Biblioth. hom. 15. circa med. ait, St Deus (vt potest) Christianorum corpora omnia incorruptibilia fecisset vi tanti miraculi, *& vtilitatis necessitate* (quæ solum tamen secundum quid esset) *ac non libera voluntate* homines conuertendos: *quare, vt prorsus appareat, & rata sit arbitrij libertas corruptibilia eorum corpora reliquisse Deum. Vt in voluntate sit hominis, vt conuertatur ad id, quod bonum est, aut malum.* Denique Cyril. Alex. S. cont. Iulian. sub fin. ait, virtutem, aut efficaciam à Deo hominibus inditam ad bonum, à quo ægerrimè possent discedere, fructum mentis indignum laude facturam. Et quid de inuincibili necessitate dicer?

13. Certè scriptura sacra apertis etiam pro necessitatis à potentia libera exclusione testimoniis clamat, vt locis recitatis, & perpensis, cum pro indifferenti eius ad vtrumvis potestate, tum pro eius necessitatis exclusione proximis tribus certamnibus. Duo nunc tantum addam. Alterum ex 1. Corinth. 7. vbi de Patrefamilias super filia virgine collocanda in matrimonium, vel secus Paulus ait. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens.* Quibus potestati indifferenti necessitatem partis alteius oppositi vti potestati indifferenti è regione pugnantem. Nec refert non loqui ibi de potestate, & necessitate physicis, sed moralis, & iuris. Ex eo enim, quod in vno genere necessitas cum indifferenti ad vtrumvis potestate pugnet, in alio etiam pugnare euidenter infertur. Imo, cum physica, tum potestas, tum necessitas, ad moralem, & iuris supponatur, atque hæc illius imitatiua sit: ni physica potestas, & necessitas pugnarent, quæ morales, & iuris sunt, amice conuenirent. Secundus locus est illud Christi Domini ad Petrum Ioan. vlt. [Cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Cum autem senueris extendes manus tuas; & alius cinget te, & ducet quo tu non vis.] Quo loco illud *quo tu non vis* de voluntate portionis superioris Petri locutum Dominum aiunt Cyrill. Alex. 12. in Ioan. cap. 65. August. tract. 51. in Ioan. Chrysost. Theophilactus, & S. Thom. ad eum locum. Sed enim difficultas est; quia si illud *quo tu non vis* referatur ad passionis Petro à Tyrannis oblatæ tempus de voluntate efficaci superioris portionis (quæ absoluta eius voluntas est, & qua absolutè Petrus dicitur velle; non autem à velleitate è naturali mortis timore oriunda) intelligi nequit; cum mortem non recusauerit, nolueritve tunc efficaciter; imo manus extensurus dicatur vltroneus. Sed neque prophetiæ tempore de voluntate efficaci portionis superioris Petri intelligi potest illud *quo tu non vis* absque temeritate, & in ipsum blasphemia. Iam enim ex multis diebus rediuiuus Dominus Petro loquebatur, cuius ob anteactam Magistri negationem lachrymæ studium moriendi pro Magistro, ex ipso pene negationis instanti, continuo testabantur. Ex quo studio postmodum cum Apostolis aliis iuit *gaudens à conspectu concilij: quoniam dignus habitus est pro nomine Iesu contumeliam pati*, & manus vltro ad crucem dicitur ex hoc loco extensurus. Solutio autem difficultatis ex veritate, quam hic statuimus desumi necessario debet. Quod scilicet vincula, crux, & mors vellet nollet à tyranno inferenda erant: quare in voluntatis suæ potestate non erant; nec magis ad eas præstabat velle Petri, quam nolle: ac subinde inter libertatis suæ effectus non computatur sicut computantur operationes ipsius iunioris; cum *ingebat se, & ambulabat vbi volebat.* Id est ad eas à nemine cogebatur; sed à liberæ suæ voluntatis soluta omnino, & absoluta ad oppositum etiam potestate operabatur iuxta S. Thom. & reliquorum interpretationem: & hic dicitur extensurus manus: quia nullo cogente extensurus erat, cum eas posset non extendere, sed extendendas tortoribus relinquere. Hoc igitur loco ostenditur actiones, ad quas irresistibiliter, & necessitate agimur, quin ad oppositum nobis supperat absoluta, atque impedimentis soluta potestas, nec nostræ potestatis, nec liberas, imo nec humano modo nostras esse.

CERTAMEN IV.

Necessitas naturæ præcedens arbitrij operationes, ab eisque in sui positione independens ab eius potentiæ, & operationum libertate à recitatis Patribus reiicitur.

1. TErtium hoc adeo cum duobus præcedentibus principiis connexum: imo vero ipsis implicatum, & innexum est, vt satis sit in ipsis simul ex Patribus statutum. Etenim potentiæ, seu potestati indifferenti in actu primo ad vtrumvis, (in quo stat per Patres potentiæ libertas, à qua libera eius operatio dicitur, & libera exercite procedit) necessitas contradicit per Patres, vt vidimus: at sola necessitas & determinatio ineuitabilis ad vtrumvis extremum ex parte, actus primi contradicit potestati in actu primo indifferenti ad vtrumvis: ergo necessitas, quæ contradicit, & destruit potentiæ, seu arbitrij potestatem ad vtrumvis, & libertatem in actu primo est necessitas, seu determinatio ex parte actus primi ad vnum extremum: ac subinde necessitas

sola naturæ prior antecedens, atque ab vsu libero arbitrij independens à libertate arbitrij reiecganda omnino est Patrum sententia concordi : Minor patet ex Patribus ipsis asserentibus potestatem indifferentem ad vtrumvis in qua libertas arbitrij consistit, esse potestatem faciendi, & non faciendi, seu qua in nobis, potestate, dominio, & iure nostro est agere, & non agere hoc vel illud eligere, vel non eligere, consentire, obedire, vel secus, &c. Hæc autem potestas ad vtrumvis, siue alterutrum agendi, vel non agendi, ac proinde actiuitatis, seu potentiæ in actu primo tota est, vt patet. Nec minor est apud ipsos obscurior. Etenim eam potestatem solutam, absolutam, expeditam ab omni necessitate, aliquid agendi, aut omittendi, nec impeditam aliqua necessitate, vinculo, aut impedimento, quominus alterum possit absolutè agere constanter,& vnanimiter Patres recitati proximis certaminibus docuere. Et res quidem per se nota est. Siquidem indifferentiæ in actu primo sola determinatio in actu primo contradicit, ac repugnat. Sin, pone determinationem in actu secundo, vel alio quovis signo, quod ad actum primum arbitrij, & voluntatis nullatenus pertineat : videbisque eius indifferentem potestatem ad vtrumvis fartam, tectamque persistere : ergo necessitas arbitrij libertati aduersa, & contradicens per Patres non alia, nisi, quæ ex parte actus primi ad operandum se teneat, seu quæ ex parte causæ antecedens sit, vt proposuimus esse potest. Quod de necessitate, & determinatione potentiæ, seu voluntatis ex parte actus primi dictum est, at toto hoc cert. dicetur, idem de impossibilitate alterius extremi ex parte actus primi voluntatis, seu huius impotentia ad alterum extremum, siue ea ex necessitate præfata ad oppositum, siue ex defectu alicuius antecedenter requisiti, & quod ex parte actus primi necessarium sit ad illud alterum extremum appendum prouenire, censendum esse perspicuum est. Ita enim, & Patres docuere,& ratio aperta monstrabit cert. 5. verum, & si ita res ex recitatis hactenus Patrum testimoniis, habeat, & clarescat : eosdem clarius, & terminis, vt aiunt, ipsis se explicantes, atque necessitatem, & determinationem omnem antecedentem arbitrij nostri operationem liberam,atque à libero vsu,& exercitio illius independentem reiicientes ab arbitrij libertate audiamus.

2. Sed prius, & in primis Boëtius, licet antecedentis necessitatis, & consequentis (de quibus hic) sub his terminis non meminerit, tamen aliis vocibus vtriusque rationem, & doctrinam tradidit lib. 5. de consolat. prosa 6. *Duæ enim*, inquit, *sunt necessitates. Simplex vna : veluti quod necesse est omnes homines esse mortales. Altera conditionis : vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Sed hæc conditio minimè secum simplicem illam trahit : hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntariè gradientem; quamvis eum, cum græditur, incedere necessarium sit.* Quibus verbis necessitatis simplicis nomine necessitatem, quæ in causa est, & antecedens natura effectum, ab eoque independens intelligit, vt exemplo mortalitatis explicuit: & illi, quibus eam à necessitate conditionis diuisit, & exclusit. *Quia hanc non propria facit natura* vt conditionem anteuertit ; *sed conditionis* ipsam subsecutæ *adiectio* ; & ratione verbis illis : *nulla enim necessitas cogit incedere* : quia nimirum simplex illa alia cogere, seu necessario agere, debet operantem ad operationem. Ex Boëtio : id autem nequit efficere, nisi naturæ prioritate, & ex parte actus primi operationem antecedat. Necessitatis vero *conditionis* voce consequentem ad vsum, & operationem liberam voluntatis, seu arbitrij denotat clarè : vt patet ex apposito exemplo. *Vt si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est* : atque ex ratione subiuncta : *quod eam non natura faciat, sed conditionis adiectio*, vt expendimus : *& quod nulla necessitas cogat antecedere voluntariè gradientem : quamvis eum, cum graditur, incedere necessarium sit.* Quæ sola necessitas est existendi, seu essendi rem, cum est, & existit, siue ex suppositione quod sit : ac proinde, quæ rei positionem sequitur, aut consequitur ; quibus verbis sequentis, aut consequentis necessitatis definitio ab Anselmo mox recitando, aliisque Patribus, & scholasticis deinceps propria cuiusque se de referendis exhibetur suæ huic doctrinæ consonat Boëtius lib. 5. comment. maior. in Arist. de interpret.& locis datis cert. 1. n. 1. Dionysius Areopag. c. 8. de diuin. nom. naturalis necessitatis nomine antecedentem necessitatem operandi, & si à Deo suprà rerum naturam operante inductam, intellexit, & ab arbitrij libertate excluserit ; moralis vero voce consequentem, quam ait cum nostra libertate componi. Quibus vocibus eandem distinctionem, & doctrinam tradit Alexandrinus Clemens, vt ex ipso retulimus cert. proximo & rursus idem Clemens eodem lib. 2. stromat. pag. 2. & 3. sic Basil. horum hæresim refert, & impugnat. *Dicunt Basili dei rursus ex consequentia super mundana electionis diuina. Consequi mundanam totius naturæ fidem*, &c. Vbi necessitatem consequentiæ ex electione Dei antecedenti ad fidem nostram, hanc inferri aiebant : ac proinde necessitatem consequentis effectus ex antecedenti causa, scilicet diuina electione. Refellit autem eorum hæresim ab absurdo sic. *Voluntaria ergo, ac liberæ electionis non est fides (vtique officium obsequium, si est natura commodum, veniens modo operandi naturæ) nec iustam consequetur retributionem, nec is, qui non credidit (cuius culpa id non euenit) nec, is, qui credidit, qui causa non fuit. Quod si nos tanquam in anima naturalibus operationibus, veluti funibus, trahamur, superuacaneum est in voluntarium, & appetitio, quæ ea præcedit.* Scilicet ad meritum, & salutem. *Nec ego vtique illud esse animal (rationale) intelligo, cuius vim appetendi, quæ ab externa causa mouetur, sortita est necessitas.* Quia nimirum à se ipso debet moueri.

3. Eandem antecedentis, & consequentis necessitatis acceptionem, & diuersitatem, & antecedentis, secus consequentis cum libertate arbitrij contradictionem tradidit Augustinus, & Patres alij tam priores, quam posteriores, etiam, qui Anselmo præcesserunt, vt videre est in eorum testimoniis recitatis controu. 2. d. 5. q. 8. cert. 2. à n. 4. pro concordia diuinæ præscientiæ cum futurorum contingentium (quorum præscientia infallibilis est) libertate : tam enim Augustinus, quam Patres reliqui ideo recitatis testimoniis negant præscientiam Dei futurorum esse causam, siue ideo illa esset futura, quia præsciuntur à Deo ; sed potius contra ideo præsciri à Deo, quia sunt in seipsis futura : quia, si causa esset, cum ex illa inferatur necessario necessitate physica, & metaphysica eorum futuritio, necessitate antecedenti, & causati essent futura: ac subinde nullatenus libera, & contingentia. Quare necessitatem antecedentem eorum ipsorum contingentiæ, & libertati, ad eius interitum, aduersam fatentur. Dum autem aduersatiua oratione, potius, ideo præsciri à Deo, quia futura sunt, atque adeò ex Dei præscientia eorum libertatem non euerti, & si semel præscita non possint non fore aiunt, quia, cum ad præscientiam forè illa in se, pro sua vnumquodque duratione, supponantur, ad eam tandem futuritionis eorum necessitas è præscientia Dei reducitur, qua id, quod pro aliqua sui duratione est, quando est, necesse est: quæ est consequentis necessitatis quantumvis contingentibus, & liberis operationibus, tam creatis, quam increatis absque vlla contingentiæ, & libertatis eorum iniuria, amice conueniens. Patrum testimonia, quibus hæc omnia perspicuè traduntur recitandis parco: quia non multum, citato loco, distant. Ne vero (quoniam pleraque illorum testimonia de præscientia peccatorum sunt, ac ferè omnia de præscientia) quis putet, necessitatem antecedentem, seu causæ libertate arbitrij, & operationis eius illis excusam, vel exclusam, solum esse à libertate ad peccandum, vel solam præscientiæ necessitatem erga præscita; non autem præfinitionis, seu efficacis voluntatis Dei erga efficaciter decreta, animaduertat : rationem generalem à Patribus reddi, non esse necessitatem antecedentem, seu causalem à præscientia ad præcitum : ac proinde huius seruari libertatem ; euertendam, si antecedens, nec solum consequens, atque ex suppositione, quod futurum esse ponatur, fore : ac proinde vbi vis ratio ea generalis adsit, siue in præscientia contingentis non præui, sed honesti, siue in præfinitione, & voluntate Dei respectu operis præfiniti, eodem modo euerti libertatem probabit. Secundo. Patres recitatis testimoniis, & locis non solum contra necessitatem antecedentem præscientiæ, sed & contra fati, & fortunæ antecedentem

recedentem

recedentem humanas actiones necessitatem ethnicam agebant: atque eam ex euersione libertatis impugnabant: fati verò nomine, & fortunæ, tã Deide actionibus humanis efficacem voluntatem, & totam causarum eas antecedentium seriem, quã diuinam de illis præscientiam iuxta ethnicorum sectas intelligebantur. Et quidem August. lib. illo 5. de ciuit. Dei cap. 9. & 10. (ex quo præcipuum eius testimonium proximus) & 11. æque antecedentem præscientiæ respectu contingentium præscitorum necessitatem, atque fati, & fortunæ contra Ciceronem, & reliquos ethnicos, & vniuersim diuinæ prouidentiæ causalem respectu prouisorum necessitatem, tanquam libertatis hostem infensissimum refellit. Vnde tanquam affinem dictis de præscientia, fato, & fortuna conclusionem infert cap. 11. *Nullo modo credendum esse Deum regna hominum, eorumque dominationes, & seruitutes, contingentibus futuris innixas, & plenas, à prouidentia sua legibus alienas esse voluisse*: vt communem esse doctrinam suam de præscientia, fato, & fortuna diuinæ prouidentiæ, de humanis omnibus rebus significaret, quod vtique, & in aliorum Patrum contextu facile deprehenderetur.

4. Cæterum Anselmus, cæteris clarius, eam consequentis, & antecedentis necessitatis distinctionem, definitiones, atque antecedentis causalitate cum operum nostrorum libertate pugnam, eisdem vocibus sæpe nos docuit. Etenim lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. de necessitate mortis Christi, & hypothesi præscientiæ prophetiarum, & fidei virginis absque præiudicio contingentiæ illius, ait. *Quod si te iterum perturbat, quia dixi necesse erat: memento, quia veritas fidei virginis non fuit causa, vt ille sponte non moreretur; sed, quia hoc futurum erat, vera fuit fides: quamobrem, si dicitur, necesse erat, vt voluntate sola non moreretur, quia vera fuit fides, siue prophetia, quæ de hoc præcesserat: non est aliud, quam si dicas: necesse fuisse ita futurum esse, quoniam sic futurum erat. Huiusmodi autem necessitas non cogit rem esse; sed esse rei facit necessitatem esse: est namque necessitas præcedens, qua causa est, vt sit res, & est necessitas consequens, quam res facit. Præcedens, & efficiens necessitas est, cum dicitur cælum volui: quia necesse est, vt voluatur. Sequens verò, quæ nihil efficit: sed sic est, cum dico te ex necessitate loqui, quia loqueris; non quod te aliquid cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit cælum volui; te verò nulla necessitas facit loqui: sed vbicunque est præcedens necessitas, est & sequens; non autem, vbi sequens, ibi statim, & præcedens. Possumus namque dicere necesse est cælum volui, quia voluitur; sed non similiter est verum: idcirco te loqui, quia necesse est, vt loquaris.* Subinferius concludit. *Hac sequenti, & nihil efficiente necessitate, quia vera fuit fides, & prophetia de Christo, (quia voluntate, non necessitate, moriturus erat) necesse fuit, vt sic esset.* Voluntate, & non necessitate, quomodo facta pro sua duratione tam prophetia suppoluit, quam fides. *Hac* (pergit) *necessitate voluit Christus quæcumque voluit. Ideo enim necessitate fuerunt, quia futura erant.* Et inferiusculè. *Si vis omnium quæ fecit, & quæ passus est veram scire necessitatem, scito omnia ex necessitate fuisse, quia ipse voluit; si non voluisset non fuissent.* Ac si dicat: quia eorum positio abusu voluntatis liberæ fuit: atque eam positionem necessitas ea essendi, quamdiu sunt, sequitur: ideo necessitas hæc sequens, seu consequens eorum libertati non officit; quæ tamen officeret, si esset ad liberã eorum positionem antecedens. Certe clarius, subtiliusque ad rem præsentem loqui non potuit: ni clariora fortasse videantur illa ex cap. 1. de concordia liberi arbitrij cum præscientia, prædest. & grat. col. 2. [cum dico, si præscit aliquid, necesse est illud esse futurum: idem est ac si dicam: si erit, ex necessitate erit, sed hæc necessitas non cogit, vel prohiber aliquid esse, aut non esse. Ideo enim, quia pronuntur res esse, dicuntur ex necessitate esse: aut, quia pronuntur non esse, affirmantur non esse ex necessitate; non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse, aut non esse. Nam, cum dico: si erit ex necessitate erit: hic sequitur necessitas, quæ rei positionem non præcedit. Idem valet, si sic pronuntietur: quod erit ex necessitate erit. Non enim aliud significat necessitas, nisi, quia quod erit non poterit simul non esse.

5. Eidem insistens duplicis necessitatis distinctioni, & doctrinæ inferius ait. *Rem verò futuram necesse est esse futuram: quoniam futurum nequit esse simul, & non futurum.* Ac rursus. *Necessitate omne futurum est: & eum futurum dicitur de futuro, si est futurum, futurum futurum esses: sed necessitate sequente, quæ nihil esse cogit.* Iterum discrimen inter necessitatem futuræ seditionis contingentis, & necessarij ortus futuri solis explicans eandem doctrinam confirmat his verbis. [Seditio, quæ non erit ex necessitate, sola sequenti necessitate futura asseritur: quia futura de futura dicitur. Si enim cras futura est, necessitate futura est. Ortus verò solis duabus necessitatibus futurus intelligitur: scilicet, & præcedenti, quæ facit rem esse: ideo enim erit, quia necesse est, vt sit, & sequenti: quia nihil cogit,] esse (quatenus ea necessitate necessariò sit) *quoniam ideirco necessitate futurus est, quia futurum est.* Ea qua toties, & pluries repetita doctrina necessitatem sequentem, seu consequentem non obesse libertati operationum arbitrij, & liberæ nostræ voluntatis, quia, & eius indeterminationem in actu primo, seu potestatem ad vtrumvis omni necessitate antecedenti ad alterum extremum secluſa relinquit, ac proinde liberum eius exercitium supponit: quare & ab arbitrij libertate vitari, cauerique ea necessitas exercitio illius diuerso, & aduerso potuit, post capitis medium aureis hisce verbis concludit. [Itaque quod vult libera voluntas, & potest non velle; & necesse est eam velle. Potest namque non velle antequam velit, quia libera est; &, cum vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est: quoniam impossibile illi idipsum simul, & velle, & non velle. Sed has necessitates facit voluntatis libertas quæ prius, quam sint, eas cauere potest.] Inde verò infallibilem diuinæ de nostris futuris contingentibus præscientiæ veritatem cum eorum libertate. Sic contiuuo conciliat. [Hæc omnia Deus, qui scit omnem veritatem, & non, nisi veritatem, sicut sunt spontanea videt, & sicut videt ita sunt. Hac ergo consideratione palam, & quia sine omni repugnantia, & Deus præscit omnia; & multa fiunt ex libera voluntate, quæ antequam sint fieri potest, vt nunquam sint; & tamen quod à modo sunt necessitate: quæ necessitas, vt dixi, descendit de libera voluntate.] Ac si dicat: si caueri ea necessitas, qua nostra futura contingentia necessariò erunt à nostra voluntate non posset, neque à libera voluntate descenderet, à qua fieri posset, antequam sint, vt non sint illa futura, nequiret, tam illa necessitas, quam præscientiæ infallibilitas cum eorum libertate componi: quæ ea solum via componitur, & necessitas hæc ab antecedenti arbitrij libertati aduersa distinguitur. Iterum vero ait. *Eodem modo res aliqua, vt quædam actio, non necessitate* (absolute tali, seu antecedente) *futura est: quia, priusquam sit, caueri potest, vt non sit futura.*

6. Quamvis autem recitatis locis Anselmus negatione antecedentis necessitatis præscientiæ solius respectu contingentium futurorum, solaque admissione consequentis ad ipsa necessitatis eorum libertatem cum necessaria illius veritate componat; tamen, cum eo libro non eam solum concordiam, sed prædestinationis etiam cum prædestinatorum operum libertate amicitiam contendat: tum ea ratione primam concordiam ostendit, secundæ monstrandæ sternit viam: vnde cap. 2. post med. ait. *Pariter quamvis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur: quædam tamen præscita, & prædestinata non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rem sequitur: sicut supra diximus. Non enim ea Deus, quamvis prædestinat, facit voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo; sed in sua eam potestate relinquendo.* Cauit tamen continuo, ne aliter, atque Augustinus, & reliqui Patres de necessitate diuinæ gratiæ, & prædestinationis putaretur sentire dicens. *Quamvis tamen sua voluntas vtatur potestate: nihil tamen facit, quod Deus non facit, in bonis suæ gratia, in malis non sua, sed eiusdem voluntatis culpa.* Et statim eadem esse prædestinationis, atque præscientiæ cum nostrorum operum libertate concordandæ præfatam rationem in hæc verba subiunxit. *Sicut præscientia, qua non fallitur non præscit, nisi verum: sed erit, aut necessarium, aut spontaneum: ita prædestinatio, qua non mutatur, non prædestinat, nisi, sicut est in præscientia* (non quæ post prædestinationem absoluta præscientia est, sed quæ illam antece-

dit) *& quemadmodum, quod præscitur, licet in æternitate sit immutabile tamen in tempore aliquando, antequam sit, mutari potest : ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his, quæ dicta sunt, si bene considerentur, quia neque prædestinatio excludit liberum arbitrium nec liberum arbitrium aduersatur prædestinationi. Siquidē omnia illa, quibus supra monstrauimus, liberum arbitrium præscientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare.* Eadem doctrina respōdet eidem difficultati de concordia præscientiæ,& prædestinationis cum humanorum actuum libertate propositæ à discipulo Anselmus(vel qui eius libri author)in elucidario med.siue c. 40.licet antecedentem necessitatem *naturalem*, quia naturalium causarum propria est*consequentem*, vero voluntariam,quia à voluntate oritur, iuxta eius data verbà appellet.*Duæ*, inquit,*necessitates sunt:vna naturalis,vt solē in oriente oriri,vel diem nostem sequi. Altera voluntaria vt hominem ambulare, vel scribere quæ Deus vult, vt fiant, vt cœlum, & terra ineuitabile est non euenire, sed per omnia necesse est contingere, quæ autem fieri tantum permittit, vt homines per liberum arbitrium bonum, & malum facere, non est necesse euenire.* Voluntariam autem necessitatem consequentem solummodo esse statim his ostendit. *Omnia præsciuit, Non tamen sua præscientia aliquam necessitatem intulit, vt fierent ; sed potius ipsi necessitatem intulerunt, cum suam voluntatem explerent.* His similia recitatis scribit dialogo de casu diaboli cap.21.

7. Et quidem verba illa, *quæ fieri tantum permittit Deus, vt homines bonum, & malum facere*, illis opposita, *quæ Deus vult, vt fiant*, naturales effectus,& ab antecedenti necessitate,seu naturali causarum naturalium oriundos significantibus, liberos nostros actus significant. Siquidem verbo *permittendi* (quod proprie sumptum respectu solum malorum operum locum in Deo habet)respectu omnium etiam bonorum ipsi applicitum id vnum aperte significat : Deum ita voluntatis nostræ determinationi, siue mali, siue boni electionem integram relinquere, ac si non magis bonum, (quoad determinationem attinet) vellet, quam malum : quod tamen velle non potest : quia non magis ad vnum, quam ad aliud Dei præfinitione, ac determinatione antecedenti voluntas creata prævenitur. Id quod nostræ huius expositionis verbis docebat Damascenus : in nostrorum actuum etiam prædestinationem præfato sensu negans 2. fide capite 30. init. *Opera pretium*,inquit,*est cognoscere omnia,præscire Deum; non autem omnia prædefinire, atque præfinire. Præscit enim, & ea,quæ in nobis (quorum*, scilicet,*sumus liberam adepti potestatem*, vt dixerat c.26.) *non prædefinit autem hæc. Nam non prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti ; prædefinit autem ea, quæ non in nostra potestate sunt* : & vt ex eius dialog.cont.Manich. col.antepenult. referebamus. *Deus ea, quæ voluntarie à nobis futura sunt, id est, ea, quæ in voluntate nostra sita sunt, nimirum virtutem, ac vitium præscions, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt.* Id ipsum continet sententia illa tanquam Nysseni lib.7. philosoph. cap.1. & lib.8.cap.4 recitata, & in eum sensum explicata à S.Thom.3.cont.9. cap.90. init. (quæ tamen Nemesij est lib. de anima,cuiusque facultatibus Nysseno attributo)scilicet, *Prouidentiam esse eorum, quæ non sunt in nobis.* Cum enim Nemesius eo lib. cap.40.post med.& cap.44. col.2. expresse asserat ea, quæ in nobis sunt, & à nostra potestate à duobus,scilicet diuina prouidentia,& arbitrio nostro pendere, ac proficiscitidque multis rationibus per singulas nostras actiones probet deinceps eo c.44. apertum fit eum prouidentiam illam solam de nostris operationibus liberis negare, quæ propria effectuum naturalium, & antecedenter præfinitiua, & necessitans ad operandum est : eodem vtique sensu Theodoretus lib.5. seu epitome diuinor. decretor. cap. de prouidentia inter med. & fin. in effectibus, qui à diuina prouidentia pendent naturales solum recenset, & subdit. *Quocirca oportet nos ea, quæ ab ipso fiunt, acquiescere ; eorum autem, quæ sunt in nostra potestate curam gerere.* Non quidem Dei de nostris actionibus curam,& prouidentiam negans, sed quæ illas præfiniat, ac prædeterminet, nostramque potestatem, determinationemque ad illas prouidentiam, & electionem excludat. Similiter Iustin. Matr. quæst.8. ad Orthodoxos initio quærit, *quomodo Deus non sit causa vtriusque ?* virtutis nempe, & vitij, statutoque dominio nostro, & potestate indifferenti ad vtrumvis, respondet. *Non Deus, vt boni, vel mali simus, sed arbitrium nostrum causa est.* Quia, scilicet, ille neutrum antecedenter præfinit, ac determinat;sed arbitrij dominium, & potestas : licet ille ad vtrumque concurrat, & ad bonum sua illud gratia instruat ; quæ verba, vt ab aliquibus desint exemplaribus, & librariorum incuria ; at oratio, & difficultas in aliis omnibus, ac fine illis, manca, & sine solutione manet. Item hoc eodem sensu Origenes lib.2.Periarch.cap.12.& lib.3.cap.3. dixit. *Nos à Deo non habere, quod bonum, vel malum velimus* : cum alias ad bonum Dei gratiam sæpe, dum de ea agit, imo semper requirat.

8. Denique, vt antecedentem nostros actus necessitatem omnem Chrysostomus à libero nostro arbitrio propellat, etsi pro necessitate præuenientis voluntatis,& gratiæ Dei recitatis supra locis, atque vbivis extiterit, Deum nostras voluntates præuenire negauit:scilicet præfinitiue, & prædeterminatiuè : ita enim scribit hom.12.in cap.7.ad Hebræ initio moralis : *quia ergo nihil Dei est Omnia quidem Dei sunt : sed non ita vt liberum arbitrium lædatur. Si igitur Dei sunt*, inquit, *omnia : quid ergo nos culpamur ? Propterea dixi (vt liberum arbitrium nostrum non lædatur) in nostro itaque arbitrio est, & in Deo : oportet nos quidem eligere primum, quæ bona sunt; & tunc ipse, quæ sua sunt introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium. Cum autem nos elegerimus, tunc nobis affert multam auxiliationem.* Respondent Dominicani præfinientes, & determinantes recentiores in exemplaribus græcis saltem omnibus eius homiliæ hoc testimonium non extare:ac proinde fuisse à Pelagianis (quorum magni referebat) inseratum.Sed debuissent notare impressionem originalis græci, à quo illud testimonium aberat : cuius enim Veronæ per Stephanum,& Fratres à Sabio 4. Kalendas Iul. anno 1529. totum integrum extat, vt testatur noster Ruiz d. 33. de Scient. sect.5. vidisse se cum græce linguæ peritis in eorum exemplarium, vno, quod habetur in nostro Hispalensi Collegio S. Hermenegildi Societatis Iesu : quid quod eam ipsam sententiam pluries alibi Chrysostom. posuit ? sic enim scribit hom. 42. ad Popul. Antiochen. *Omnia quidem in Deo ; sed non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur in nobis igitur, & in Deo sunt. Oportet enim nos prius eligere bona, & ille sua tunc inducit. Nostras non præuenit voluntates, ne nostram temeret libertatem. Cum verò nos elegerimus, tunc magnum nobis adfert subsidium.* Hom.item 17. in Ioann. ad id capitis 1. *Conuersus Iesus sic fatur. Hinc adm. neripesumes : Deum suis in nos beneficiis nostras non præuenire voluntates sed à nobis incipiendum esse : sed, cum nos prompto paratoque animo ad susciendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis affert salutis occasiones.* An & hæc in originalibus græcis ab hisce absunt domicilijs.

9. Dicunt secundo Chrysostomum ea homil.12. Augustino, & Arausicano Concilio Canon 4. Statuentibus gratiam Dei nostra bona opera præuenientem contra Pelagianos, & semipelagianos expresse aduersari, & ad horum errorum partes accessisse : cuius proinde locutio debet iam à Catholicis exulare. Respondet Ruiz proxime Chrysostomi mentem, & sententiam eo loci (& idem est de reliquis) cum Augustino, Arausicano, & reliquis Patribus de exclusione præuentionis diuinæ nos ad bonum necessitantis concordare, verboque, & vocis sonotenus, discordasse, & præfato errori fauisse: quod, vt minimum, certum est : cum toties alibi gratiam,& Posse insuper Catholicos post ortum, & damnatum errorem Pelagianum, & Semipelagianum : imo, & nunc etiam, ea locutione vti : dummodo explicent, quod ille mente retinuit. Nempe non præuenire nos voluntate, & gratia diuina ad bonum necessitante. Errores fuisse quidem postea suborti petunt sæpe, vt non sine meritis Patrum explicatione à posteris proferantur. Ita moneo, & ego. Sed æstimo nihil Chrysostomum in re tam grauit, verborum eis locis adhuc omississe, menteque reseruasse, quod præfatis erroribus præcauendis necessarium esset, si eius verba recte, subtilitateque scholastica

intelli

intelligantur. Dum enim ait à nobis, & à Deo bona omnia nostra esse, necessariam Dei, & suorum ad illa præcedentiam, sicuti, & arbitrij nostri statuit; quod, cum nequeat adeo immediate ab ipso contradici, solum restat, quod ea, quæ ex parte Dei nos ad bonum præueniunt in eo præstando nostram determinationem, liberumque ipsorum vsum nostri, quibus ad illum subdita sunt, expectent: atque ea ratione in actu exercito, & secundo sequantur. Quandoquidem determinatio, qua operantur, & cooperantur, non eorum, sed nostri ipsorum est. Verum apud minus doctos eis locutionibus, vt iacent, ac sine explicatione prudentius abstinebimus.

CERAMTEN V.

Ex hactenus statutis scripturæ, & Patrum principijs Recentium Thomistarum præfinitiones euertuntur, horumque præcluduntur effugia.

1. EX singulis scripturæ, & Patrum, pro quolibet ex statutis eorum principio confirmando, recitatis testimoniis ea omnia argumenta contra has præfinitiones instruere possemus, quæ hoc certamine instruenda ex cunctis eorum authoritatibus erunt. Verum, licet ea omnia pro suis quæque classibus singulatim recitanda fuerint, vt doctrinam hanc nostram, quam nouitatis præfinitores præterminantes Dominicani in simulabant tamdiu Ecclesiæ Patribus inolitam fuisse, vt in ea Ecclesia nata fuerit, adoleuerit, ac maiori, quam senis robore consenuerit. Tamen, ne legentium nausea toties eadem repeterentur argumenta huc simul, semelque post omnes Patrum authoritates, & ex eis omnibus efformanda seruaui: quæ nihilominus quisque ex vna, vel alia authoritate, quam malit poterit pro nata arguendi occasione efformare voluntas libera (à qua & est, & dicitur libera operatio, quæ ab ipsa actiue procedit) est voluntas cum potestate ad vtrumvis extremum contrarietatis, aut contradictionis eliciendum (puta consensum, vel dissensum, aut negationem consensus) prompta, & expedita ad vtrumvis, atque soluta omni vinculo necessitatis antecedentis pro priori naturæ ad alterum ex oppositis extremis, & omnino independentis ab vsu, & exercitio libero voluntaris, vt constat ex recitatis Patrum, & scripturæ testimonijs totis quæst. 1. & hac 3. & controu. 2. antecedenti. Atqui cum præfinitione consensus voluntas nostra non est cum potestate prompta, & expedita ad extremum illi oppositum, siue contrarie, siue contradictorie (scilicet dissensum, vel negationem consensus) neque soluta necessitate absolute antecedenti, & omnino independenti ab exercitio libero voluntatis ad eliciendum consensum: ergo voluntas cum præfinitione consensus non est potentia libera ad consensum iuxta statam, & constantem scripturæ, atque omnium Patrum doctrinam. Minor est in aduersariorum doctrina, certa. Etenim, & præfinitio consensus nostri emera Dei voluntate, & libertate, omninoque independenter à voluntatis nostræ exercitio libero, adhuc conditionate præuiso, misericorditer à Deo ponitur: insuper & positionem, ac eliciendam consensus à nostra voluntate pro naturæ priori omnino, & necessario antecedit: cum in eorum doctrina sit decretum concurrendi cum voluntate, & prædeterminandi illam præuie, & antecedenter natura, & causalitate ad consensum: Denique ita essentia, & suapte natura necessario, & inseparabiliter connexa physice, & metaphysice cum consensu, vt ea stante implicet, tam physice, quam metaphysice non esse, seu omitti à voluntate consensum, siue eius negationem cum sui præfinitione coniungi: consequentia verò huius discursus legitima est: quare, & ex scriptura, & Patribus præfatæ Recentiorum Thomistarum de nostris liberis actibus, & operationibus præfinitiones diuinæ erunt prorsus reiiciendæ.

2. Simile argumentum de impotentia antecedenti voluntatis nostræ ad actum nostrum, siue alterum extremum ex oppositis à Deo non præfinitum antecedenter, & independenter prorsus, ab exercitio libero nostræ voluntatis æquo robore efformari contra huius libertatem facile poterit: cum in aduersariorum sententia de præfinitionibus nostrorum actuum liberorum, quas impugnamus, & præfinitio determinatiua ad actum principium essentialiter ex parte actus primi requisitum ad quemvis nostrum actum liberum sit, vt nuper dicebamus, & ipsi constanter fatentur: ac subinde voluntas nostra absque eiusmodi prædeterminatiua præfinitione nostri liberi actus incompleta, & partialis solum potentia, neque absoluta potentia ad illum sit, ipsumve absolute potens efficere: sicuti de quavis partiali solum causa effectus, cum negatione alterius concausæ essentialiter requisitæ ad effectum constans apud omnes Philosophos, & Theologos est. Atque in re præsenti, etsi obiecti, in quod voluntas nostra actu suo ferenda est, actiue in eius actum non influat, quia tamen saltem vt conditio, se ex parte actus primi tenens ad ipsum requiritur, voluntas sine obiecti cognitione, neque soluta, & absoluta potentia ad tendendum in illud obiectum, neque absolute potens illud prosequi, etiam aduersariis recentibus Thomistis fatentibus, reputatur. Ex vtroque verò, vel alterutro argumento ita vniuersim instructo satis euincitur præfinitionibus hisce arbitrij, & voluntatis nostræ, ac subinde humanorum actuum libertatem iuxta scripturæ, & Patrum doctrinam prorsus euerti. Indeque facile & alia inferuntur absurda, eisdem testimonijs attacta. Nempe Consilium consultationem, electionem, vsumque omnem voluntatis, & arbitrij nostri eis præfinitionibus prædeterminatiuis aboleri: siquidem hæc omnia expeditam ad vtrumvis extremum eligendum ab omni necessitate antecedenti ad alterum, & impedimento ad aliud potentiam in voluntate & arbitrio nostro, seu (quod idem est) libertatem supponunt: vt Patres plures recitati, & Scriptura sæpe præsertim testimoniis perpensis quæst. 2. certam. 2. asserunt expresse. Item non solum præcepta, & leges inania, ridicula, & nugatoria eis præfinitionibus, vt aiebat Theodoretus, redduntur, sed & bona consilia, atque adhortationes ad pietatem, atque à vitijs reuocemur reprehensiones, & increpationes, quibus omnibus scriptura scatet, & Patres exundat, cassæ, & inutiles: cum ea omnia potestatem nostram, & libertatem ad vtrumvis expeditam supponant, in casumque ad actum prædeterminatiue præfinitum alicui adhibentur: cum eis præceptis adhortationibus, &c. Sublatis, æque, atque illis adhibitis, actum eliciturus ineuitabiliter sit; non præfinitum vero sit necessario omissurus, quantumvis præcepta adhortationes, vt illum apponat ingeminentur; cum eius prædeterminatiua præfinitio, partiale scilicet essentiale principium quare & absolute ad illum potentia deficiat: ac proinde non aliter ea omnia ipsi adhibebuntur, ac si fabella surdo narretur.

3. Absurda alia innumera contra præfinitiones hasce inducree in proximo est: neque ex eis pauca, cum à ratione contra eas agamus inducemus. Nunc enim ea solum attingenda fuere, quæ ab scriptura, & Patribus fuerunt attacta. Præstat tamen aliter, & aliter generale illud argumentum de euersione libertatis arbitrij per præfinitiones hasce ex Patrum, ac præcipue Anselmi doctrina, & verbis instruere. Necessitas antecedens voluntatis, & operationum eius libertati aduersa, *est quæ facit, cogitve rem, seu operationem esse*, siue *causa est, vt res sit*, vel non sit, *reique*, vel negationis eius, *positionem præcedit*, quæve *prohibet rem esse. vel non esse*: hæ siquidem omnes sunt definitiones, seu definitio variis vocibus explicata ab Anselmo cert. 4. à n. 4. necessitatis antecedentis libertati voluntatis, & operationū humanarum inimicæ: atqui necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ Thomisticæ est necessitas, quæ *positionem præcedit*, consensus præfiniti, *causaque est, vt sit*, eiusmodi consensus, *quæ facit, cogitque esse*, consensum, & *fieri*, à voluntate, ac necessario *prohibet non esse*, consensum præfinitum, atque esse, *dissensum oppositum*, per aduersarios, vt vidimus: ergo necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ consensus est necessitas antecedens voluntatis, & operationum nostrarum libertati inimica iuxta Patrum, & præcipue Anselmi, doctrinam. Confirmatur: quia

quia ex duabus necessitatibus essendi rem à voluntate, seu rei ab illa efficiendæ à Patribus agnitis, scilicet antecedenti natura, & causalitate operationem voluntatis (quæ etiam simplex, & absolute talis nominatur à Boetio, & aliis Patribus, vt vidimus, atque naturalis dicitur à Dionysio Areop. & Clemente Alex. cert. 4.) & sequenti, subsequentiue (secundum quid dicitur à Boetio, & aliis; & moralis à Dionysio, & Clemente) *quæ rei positionem non præcedit, nec facit, efficit, cogitve rem esse*, aut fieri voluntate, *sed quæ est, quia volumus, atque à libera voluntate descendit, & quam antequam sit potest voluntas cauere*; quæ *demum rei ita necessariæ positionem sequitur*, (vt Anselmi recitati hanc sequentem, seu consequentem necessitatem definientis verbis vtar) vel denique iuxta eundem Anselmum, Boetium, & Patres reliquos necessitas sequens est, *qua id, quod est, quamdiu est, siue ex suppositione, quod sit, necesse est esse; quia nequit esse, & non esse simul.* Ex his igitur duabus necessitatibus operationum nostræ voluntatis (vltra quas nulla alia à Patribus agnita fuit; imo neque potest inueniri ad earum libertatem, vel eius euersionem ostendendum) sequenti, seu consequenti solummodo non euerti libertatem humanorum actuum per præscientiam eorum, & prædestinationem diuinam asseruat Patres omnes tam cert. 4. quam controuers. 2. d. 5. q. 8. certam. 2. magno numero recitati: quia exercitium libertatis, siue exercitam iam libertatem voluntatis circa præscita, & ea, ad quæ prædestinamur supponunt: quare neque libero eius exercitio, quod præcesit, possunt vllatenus obesse. Atqui necessitas præfinitionum prædeterminatiuarum (consensus, v. g. nostri) consequens necessitas, & libertatem voluntatis circa ipsum exercitam sequens, & supponens non est, sed omnino ab illa independens, præcedens, neque à libera voluntate nostra descendens: ergo nullatenus cum voluntatis, & consensus præfiniti libertate componi per Patres potest.

4. His summatum à Patrum, & scripturæ authoritate perstrictis, instructisque argumentis quid à recentribus Thomistis respondeatur videndum, atque expendendum ex ipsis Patrum testimoniis, contextu, & instituto in præsentiarum erit, quin à ratione eorum solutiones hic impugnentur: id siquidem, cum à ratione, cui eædem adhibentur solutiones, agetur fusius oportuniusque præstabitur. Respond. primo. Patres, & scripturam solummodo asserere arbitrij liberi, atque, vt liberum perfster, potestatem absolutam, & expeditam ad vtrumvis, atque necessitatis ad alterum extremum, & impossibilitatis ad oppositum exclusiuam, quæ non extrinseca, sed intrinseca naturæ eius, & essentialis sit: quæ quidem quamdiu eius essentia, & natura manserit nequit ipsi deficere: manet autem posita præfinitione, imo & prædeterminatione physica, aliove quovis voluntati inhærente. Hæc solutio aliis terminis adhiberi etiam solet à Thomistis: nimirum, potestatem indifferentem ad vtrumvis, quam voluntas, & arbitrium nostrum liberum dicit, & necessitatem alterius extremi, & impossibilitatem oppositi, quam eius libertas excludit, debere esse necessitatem connexionis intrinsecæ, & essentialis prædicati cum subiecto secundum se consideratum, scilicet voluntatis seu personæ consensuræ secundum se consideratæ cum consensu, & absque suppositione cuiuspiam alterius: similiter impotentiam, seu impossibilitatem extremi oppositi: quia eorum quodvis solummodo opponitur indifferentiæ, & potestati ad vtrumvis & voluntati, & arbitrio nostro libero intrinsece. Id quod confirmari potest pluribus scripturæ, & Patrum testimoniis datis: quibus de hominis secundum se considerati conditione, & creatione est sermo, dum eius indifferens potestas ad vtrumvis adstruitur, ac necessitas ad alterum extremum, in potentiaque, & impossibilitas ad eius omissionem, aut oppositi appositionem ab eius voluntate, & arbitrio libero relegatur, vt videre est, in testimoniis præcipuis à nobis ponderatis ex Genes. 1. cert. 1. à num. 8. & Eccles. 15. toto certam. 2. & in aliquibus Patribus, quos ibidem recitauimus, qui asserebant, natura, & naturali conditione nostra vtrumvis nos posse, neque ad vnum determinatos, impotesve ad oppositum conditos nos fuisse. Secundo idipsum exempla, quibus Boetius, Anselmus, aliique Patres ad designandam necessitatem potestati indifferenti liberi arbitrij aduersam, atque ab eius libertate excludendam vtuntur. Ea siquidem omnia sunt necessitatis naturalis, & intrinsecæ, ac essentialis connexionis agentium cum suis effectibus: vt ortus solis, & volubilis cœlorum motus. Hanc ergo solummodo necessitatem essentialis, & intrinsecæ connexionis cum altero extremo; & naturalem, atque essentialem impotentiam, seu impossibilitatem oppositi contrarie, vel contradictorie, quæ solæ essentiali, & intrinsecæ arbitrij nostri potestati indifferenti ad vtrumvis, siue indeterminatæ de sese potentiæ voluntatis ad alterum repugnant, ab scriptura, & Patribus ad arbitrij nostri libertatem tuendam abiiciendæ solummodo sunt; non autem aliæ, quæ voluntati nostræ aliunde etiam pro priori naturæ, & causalitatis ad operandum, siue intrinsece ipsi, siue extrinsece accidant, & obueniant. Atque (vt nihil pro aduersariis dissimulemus, ac simul, semelque eandem solutionem tertio ab ipsis aliis vocibus repetitam sub eis etiam conuellamus) ita intelligendam necessitatem antecedentem aiunt: quia, & natura voluntatis secundum se quodvis ipsi adiungendum antecedit: & quidquid ipsi quomodocumque posterius adiungitur necessitans supponitur ad eius necessitatem præter voluntatem: quare neque eius absolute sumptæ necessitas est simplex, & absolute talis, seu in phrasi aliorum Patrum antecedens; sed ex suppositione, & secundum quid; & quæ eadem est, aliis tamen vocibus apud Patres explicata, atque sequens, aut consequens Anselmi necessitas.

5. Verum, quantumvis ludant verbis Thomistæ recentes solutione hac, aliter, atque aliter explicata, nec illudent nobis, neque argumenti efformati impetum eludent. Atque in primis quanto vocum contra mentem Patrum abusu simplicem, & absolute talem (quæ antecedens ab Anselmo, & aliis necessitas dicitur) & secundum quid, siue ex suppositione (quibus vocibus Patres necessitatem consequentem tradunt) tertio, & vltimo modo hanc explicent solutionem Thomistæ, nemo non videat. Etenim Boetius, & reliqui Patres, qui antecedentem necessitatem simplicis, & absolutæ nomine, consequentem verò conditionatæ, siue necessitatis ex suppositione vocibus explicarunt, hanc conditionatam, siue ex suppositione rei, & operationibus ipsius, libertati non officit, debere esse docuerunt: vt scilicet necessitas illa sit, qua omne, quod est, quandiu, siue ex suppositione, quod sit necesse est esse: quæ vt dicebamus necessitatis consequentis data ab Anselmo definitio est; Thomistæ verò illi suppositionem, qua necessitas inducitur operandi ad omne antecedens principium operandi præter voluntatem ipsam sua hac doctrina extendunt: quod apette Patribus repugnat. Simplicis autem, & absolutæ nomine Patres iidem omnem necessitatem, quæ non sit ex rei ipsius suppositione, quod sit (quo non voluntatis solum nude, ac secundum se consideratæ necessitatem intelligunt) simplicem & absolutam, seu (quod idem apud ipsos est) antecedentem vocant, necessitatem omnem, vt res sit, ac fiat, quæ aliunde quamè rei ipsius positione prouenat. Nullum ergo in Patribus ea doctrina fundamentum habet; imo verò omninò est Patribus aduersa: quod autem voluntas eis omnibus ipsi, siue intrinsecus, siue extrinsecus adiunctis natura præcedat, de præcedentia materiali, vel quasi verum est. Sed quid ad necessitatem, vel indifferentiam ad vtrumvis (operandum scilicet, vel non operandum) quæ in linea potentiæ actiuæ est, præstare potest? Secundo quibusvis vocibus explicata solutio vniuersim impugnatur: quia, & si extrinseca, & non intrinseca, & essentialis voluntatis sit ea necessitas consentiendi, & connexio cum consensu præfinito, tamen absolutè verum est esse necessitatem, quæ *non descendit de libera voluntate*, aut quæ *rem solummodo sequitur*, neque *eius positionem præcedit*; sed, quæ hanc *præcedit facitque rem esse, cogitque esse consensum*, & *prohibet*, ineuitabiliter eius omissionem, & positionem dissensus quæ sunt notæ necessitatis absolute, & simpliciter talis, & antecedentis, arbitrij, & operationum eius libertati aduersantis per Patres. Contra secundo: quia Patres eam duplicis illius necessitatis distinctionem contra fatalis necessitatis assertores Ethnicos, Hæbræos aliquot, aliosque sequaces docuerunt; vt ostenderent fatalem illam necessitatem, quæ nos inuitabiliter ageret ad operationem, ac proinde nostræ libertatis vsum pro priori naturæ anteverteret, eoque libertatem antecedens foret, prorsus arbitrij nostri euertere libertatem;

tatem: atqui fatalis illa necessitas, qua voluntas nostra ad vnum necessario apponendum determinabatur, imposque reddebatur ad oppositum extraessentialis, & extrinseca erat naturæ, & entitati voluntatis, quæ in nobis, quoad entitatem, integre, secundum totam suam entitatem persistebat, apud fatalis necessitatis assertores, neque id Patribus eos impugnantibus erat ignotum, imo, neque ab vllo, quantumvis stolido, potuit, positiue ignorari: ergo ex Patribus necessitas etiam extrinseca, seu extraessentialis voluntati ad operandum, dummodo absolute eius operationem natura, & causalitate antecedat (quomodo suam præfinitionem præcedere aduersarij fatentur, & statuunt) vtriusque euertit libertatem.

6. Quod autem fatalis necessitas extrinseca, & extraessentialis voluntati sit, per se notum est, & ex omnibus, quæ extiterunt fati, fatalisque necessitatis opinionibus patet. Primo enim eorum nonnulli in stellarum sola, nudaque virtute ad nos per influxum earum deriuata fatum, fatalemque nostram necessitatem operanti constituebant, teste Augustino 5. de ciuitate, cap.1. circa med. & cap.8. Nemesio de natura hom. & animæ facultatib. cap.35.36. & 38. Alij syderum virtuti naturali, & adspectui deorum voluntatem, & decretum ad fati, & fatalis necessitatis constitutionem adiungebant apud Augustinum eiusque commentatore citato cap.1. Nemesio citato c.36. aliisque Patribus frequenter homiliis de stella, & aduentu Magorum. Platino de fato cap.2.fin. Iulio Sirenio, & aliis) seu quod idem est Nysseno. 6. Philosoph. cap.2. S. Thom. 1.p.quæst.23.art.8.corp.& 116.art.3.corp. Tertio Seneca 2. natural. quæst. cap.35.36.37. & 38. & epist. 18. ex Cleante Stoico (cuius in suam sententiam versus latinos fecit, factosque recitat Augustinus cit.cap.8. fatum eiusque fatalem necessitatem in Dei præscientia, prouidentia, & voluntate collocauit: quarto demum fatum iuxta communē Stoicorum, est tota causarum à prima ad vltimam series necessaria connexione procedens, vt referunt Augustinus cit.cap.8. Seneca 4. de Benefic. cap.7. Cicero ex Proculo Homero Virgilio, & alij relatis à Iulio Sirenio 3. de fato cap.6.7. & 8. In his autem omnibus opinionibus aliquid, imo plura extraessentialia, imo omnino, adhuc inhæsiue, ipsi extrinseca fatalis necessitas claudit: ergo, cum Patres ethnicum fatum, eiusque necessitatem, tanquam libertatis nostræ ruinam, quia absolute antecedens necessitas ad operandum est, neque vllatenus ab vsu, & exercitio nostræ operationis liberæ dependens, reiciatis testimoniis refellunt, censent necessitatem absolutam, etiam extraessentialem, imo etiam inhæsiue extrinsecam, voluntati nostræ, eiusque operationi naturæ, & causalitate præcedentem, & potentiæ absolute tali indifferenti ad vtrumvis, in qua eius libertas constituit, & operationis subinde libertati repugnare. Contra tertio: quia iidem Patres, vt Christianam Catholicam, & Theologicam fati, scilicet præscientiæ, prouidentiæ, & prædestinationis diuinæ, eiusque indefectibilibus, & infallibilibus veritatis certitudinis, & subinde cum nostris operationibus connexionis cum earum libertate concordiam dilucide offenderent, eam antecedentis, & consequentis necessitatis distinctione explicuerunt: & quia præscientiæ, & prædestinationis necessitas consequens solum, non autem antecedens nostras operationes est harum libertatum cum earum indefectibili certitudine, & infallibilitate amice componi docuerūt; Sciebant autem apprime Patres (quod nemo quantumvis Bardus ignorat) præscientiam, & prædestinationem diuinam voluntatibus nostris non extraessentialem modo, sed omnino extrinsecam esse: quare certum ex Patribus sit, indifferentem potestatem voluntatis ad vtrumvis ab ipsis requisitam, vt libera sit, atque exclusionem necessitatis antecedentis prioritate naturæ ad alterum extremum impotentiamque eius ad extremum aliud, siue contrarie, siue contradictorie illi oppositum, non ex prædicatis solū intrinsecis, & nuda natura, & entitate voluntatis secundum se sumptæ, sed ex aliis omnibus, etiam extrinsecis, operationem eius præcedentibus saltem, vt necessario ad ipsam ex parte causæ requisitis (cuiusmodi præfinitio prædeterminatiua est, quam impugnamus) pendulas esse. Neque aliud in recentium Thomistarum doctrina dici potest: cum visione beata, quæ extraessentialis, imo, & absolute extrinseca voluntati est, amoris beatifici libertatem euerti asserant: quia antecedens eius necessitas est. Vt cum à ratione hanc solutionem refellamus q.7. cert.4. præclusis variis effugiis ostendemus.

7. Quod verò impugnationi secundæ responderi, vtcumque poterat antecedentem necessitatem extraessentialem voluntati ethnici fati libertatem iuxta Patres euertere, secus alias extraessentiales impugnatum est confutatione tertia ex fato Catholico. Et secundo impugnatur: quia non aliter impugnatur ab illis ethnica illa fatalis necessitas, nisi ex principio vniuersali, quod omnis necessitas absolute antecedens natura operationem voluntatis, etsi huic extrinseca, & extraessentialis sit, earum aboleat libertatem, imo, ni hoc statuatur vniuersim, nullatenus id ex aliis fatalis ethnicæ necessitatis specialibus euersio probabitur vt patet. Id quod vlterius ex Patrum contextu paret; cum enim varias speciales fati ab Ethnicis memoratas constitutiones, vel in stellarum influxu, & virtute, specialibus rationibus vnamquamque refellant: quoad libertatis euersionem ex eo solum, quod consequens non sit, sed antecedens operationem nostram, ab eaque omnino independens solummodo concordes illam reiciunt. Ex quibus illud etiam, cui vnice solutio innitebatur radicitus conuellitur. Etsi enim de conditione, & creatione hominis nude, ac præcise secundum suam naturam ea testimonia scripturæ, & Patres ea interpretantes loquerentur: cum ratio, ob quam euertenda libertas ab ipsis asseritur, sit, quia naturæ, & voluntatis secundum se productæ, & sumptæ necessitas operandi consequens operationem eius non est, sed antecedens: ea vero ratio in præfinitione, & quouis alio ex principiis requisitis ad operandum, etsi extra essentiam voluntatis sint, eandem vim habeat: quare determinatio, & necessitas antecedens operandi naturæ operantis intrinseca indiuiduum exemplum est generalis illius necessitatis antecedentis operandi, quæ extraessentialis, & extrinseca principia etiam, ad libertatis euersionem complectitur: quo factum est satis exemplis necessitatis naturalis ortus solis, & motus cœlorum, quæ Patres in exempla necessitatis antecedentis libertati repugnantis adduxerunt. Sed tamen, neque scripturæ testimonia illa ex Genes. 1. & Eccles. 15. (nedum reliqua omnia) neque Patres illa commentantes de potentia indifferenti ad vtrumvis exclusione necessitatis antecedentis ad vnum, & impotentiæ ad alterum ad arbitrij libertatem necessaria egerunt, voluntatem nudam considerantes sine boni, & mali propositione, adhibitione præcepti, præuenienteque Dei voluntate, & gratia ad bonum consequendum; sed cum illis: imo absque his duobus impotem boni esse voluntatem nostram, qui explicatius arbitrij ad bonum potestatem tradiderunt, asserebant, vt vidimus. In his autem Dei voluntas intercedit, quam præfinitionem aduersarij esse volunt: quare, & cum ea potentiam ad vtrumvis omni necessitate ad vnum, & impossibilitate ad alterum exclusis asseruerunt. Denique cum præfinitio prædestinatiua Thomistica sit decretum concurrendi cum voluntate essentialiter requisitum ad quamvis eius operationem, absque illo in nuda voluntate, non poterit absolutè voluntas extremum non præfinitum, neque erit proinde potentia absoluta ad vtrumvis: quæ absque omnibus absolute, & essentialiter requisitis principiis, & concausis ad effectum absolute talis potentia esse non potest.

8. Respondetur ab aduersariis secundo in re, & vocibus quarto: Necessitatem antecedentem à libertate arbitrij, eiusve ad vtrumvis indifferenti potestate per Patres, & scripturam excusam esse, coactionis solummodo, necessitatem: vt plurium testimoniorum Anselmi, & aliorum aperta verba sunt. Præfinitiones autem diuinas prædeterminatiuas nullatenus voluntates nostras, quæ etiam illis positis, *à principio intrinseco cum cognitione eorum, in quibus est actio*, nihilominus operantur: ac proinde earum operationes, *à principio extrinseco passo non conferente vim*, (vt ad violentam & coactam operationē erat opus) minime procedūt. Sed & hæc solutio eodem contra Patrū mentem ab vsu, atque præcedens delinquit. Illi enim ipsi Patres, qui verbo *cogēdi*, vtūtur, nō stricta coactionis significatione illud vsurpant, sed coactione late accepta prout omne antecedēs necessitatem à libertatis nostræ exer-

citio independentem complectitur. Primo: quia omnem necessitatem, quæ non oritur è rei ipsius suppositione, siue, qua necesse est rem esse, quia est, huicque opponitur, & facit rem esse, aut prohibet rem esse, aduersari libertati nostri arbitrij fatentur: quæ in necessitatem omnem antecedentem, & à nostra libertate independentem cadunt. Secundo: quia violentiæ, & coactionis antecedentis, quam nostræ libertati aduersari docent, exempla innaturalibus, ac minime violentis, & proprie cogentibus necessitatibus motus cœlorum, & ortus solis, & necessitatis moriendi adhibent Patres iidem, vt videre est, in Boetio, & Anselmo: quæ ad necessitatem coactiuæ stricte necessitatis inepte afferrentur. Imo verò Patres fere omnes recitati certam. 3. pro necessitatis exclusione à potentia liberi nostri arbitrij, non solam vim, & coactionem, eiusque necessitatem, sed necessitatem insuper omnem antecedentem ad operandum excludunt: quando præfati omnes Patres, vel contra fatalem ethnicam necessitatem, nostras operationes antecedentem, & pro priori naturæ determinantem, vel contra fati Catholici (quod in prouidentia prædestinatione præscientia, quæ est) antecedentem etiam necessitatem pugnant: vt ex datis testimoniis cerr. 3. & 4. & nonnullis cerr. 1. & 2. & contr. 2. d. 5. qu. vlt. patet. Aſt Ethnici fatales, & præfati Patres, ne dubitarunt quidem, ne dum iudicarunt, & asseuerunt fati alterutrius necessitatem antecedentem, quam reiciebant, esse strictæ coactionis, & violentiæ: siquidem eis adhuc positis voluntatem nostram ductam cogitationibus indifferentibus operari, etsi alterutrum fato esset antecedenter ineuitabiliter destinatum, à Deove prædestinatum, & præscitum: ergo, dum eam necessitatem fati alterutrius, si omnino antecedens sit ab arbitrio nostro, vt libertatis nostræ pestem excludunt, non necessitatem strictæ coactionis, quæ neque ab Ethnicis asserebantur, imo neque ab eis asseri, aut à Patribus intelligi poterat, sed alia non stricte violentia, sed quæcumque absolute necessitas omnino antecedens natura operationes nostras esset, libertatis nostræ inimica à Patribus declarata, eorumque concordi sententia, & iudicio ab arbitrio, & voluntate nostra libera relegata fuit. Atque his postremis confutata manet solutio affinis de potentia ad vtrumvis, & exclusione necessitatis alterius extremi, & impossibilitatis, seu impotentiæ ad oppositum voluntatis libertati necessariis, consideraræ solum secundum se, & cogitationibus indifferentibus. Et quidem solutio à necessitate coactionis adhiberi nequit post definitionem Pontificiam, & damnatiuam quinque propositionum Iansenij de qua in sequentibus.

9. Respondent tertio. Potentiam indifferentem arbitrij nostri libertati necessariam atque à Patribus assertam non in sensu composito esse debere; sed satis esse, quod sit in sensu diuiso, ac proinde necessitatem antecedentem operandi ab arbitrij nostri libertate ex scriptura & Patribus exclusam, & Catholice excludendam esse necessitatem adhuc in sensu diuiso extremi oppositi. Hanc solutionem bifariam Thomistæ recentes intellexerunt. Primo enim nonnulli intelligebant potentiam hanc liberæ voluntati sufficere in sensu diuiso præfinitionis, & prædeterminationis suæ. Cuiusvisve alterius comprincipij essentialiter prærequisiti à voluntate ad operandum, vt libera & in se voluntas esset, & vt talis libere præfinitam, & determinatam operationem exerceret: quia si præfinitio, ac prædeterminatio abesset, posset non operari, ac non præfinitam operationem voluntas elicere: vt scilicet potentiæ ad vtrumvis ex oppositis simultas nunquam daretur. Verum, quia hoc, & testimoniis scripturæ, Patrum, & Tridentini nonnulli ex iisdem Thomistis aduersari viderunt, in alium sensum eius distinctionis se tandem receperunt, qui iam est Thomistis communis, scilicet posita etiam præfinitione prædeterminatiua, &c. voluntatis ad operationem, & in sensu composito illius esse in voluntate potestatem, seu potentiam absolute ad eius omissionem operationis præfinitæ, & ad eius oppositam operationem; Cæterum præfinitionem prædeterminatiuam diuidendam necessario esse à voluntate, vt ab ea fiat, vel operatio opposita præfinitæ, ac determinatæ, vel huius omissio. Itaque aiunt in voluntate nostra, posita etiam præfinitione, & reliquis principiis Thomisticis requisitis antecedenter necessitantibus, & determinantibus ad operandum esse simultatem potentiæ ad vtrumvis extremum oppositum; non autem simultatem actus adæquati eius potentiæ: quia, cum ea potentia, quæ absolute ad vtrumvis ex oppositis est, posita etiam sua præfinitione, vt diximus, alterum eius potentiæ extremum, nempe oppositum, siue contrarie, siue contradictorie præfinito coniungi, simulque cum præfinitione esse non potest: est quippe inconiungibilis horum sententia cum illa, quæ essentia, & natura connexa est cum operatione, seu altero ex extremis præfinito: quare, & cum extremi oppositi coexistentia, & coniunctione repugnans: quemadmodum, & apud nos in voluntate nostra libera cum requisitis ad operandum est potentia ad vtrumvis extremum oppositum, simultate potentiæ ad vtrumque, seu vtrumvis, non autem simultate actus: quia, cum sibi alterum extremum alteri mutuo repugnet, voluntatis liberæ potentia non est ad vtrumque actum, seu extremum oppositum coniungendum: esset quippe potentia ad chimæram, siue physicam, siue metaphysicam coniungendam iuxta extremorum physicam, si solummodo physica contrarietate opponantur, repugnantiam: quare non est potentia voluntatis nostræ liberæ ad alterutrum extremum in sensu composito alterius, sed solummodo in sensu diuiso illius. Hanc quidem solutionem sensus compositi, & diuisi alterutro modo, sed præcipue postremo, explicatam à Deo efficacem, atque omnibus siue ab authoritate, siue à ratione impugnationibus nostrorum opportunam æstimant recentes Thomistæ, vt ea tanquam vniuersali nostrorum argumentorum quantumvis grauibus vulneribus, vt potentissimo malagmate vtantur, fuisque in scholasticarum disputationum nundinis empyricorum in morem vt generalem etiam penetrantium discursuum proficuum stillatum è Theologia purissima remedium (quod quintam essentiam empyrici vocitant) non sine iuratorum alumnorum plausu diuendant.

10. Quid autem ea solutione ipsi vendant, & emant alumni vbi à ratione agemus clarius apparebit. Præsentis autem instituti solum est ea solutione scripturæ, & Patrum testimoniis alterutro modo explicata minime satisfieri. Et primum sensus compositi, & diuisi modum, vel ex eius inuentoribus: primores, tanquam inutilem, & dissonum merito reiecerunt, quos reliqui successores imitati sunt. Et quidem in sensu etiam composito debere esse potestatem ad vtrumvis simultate potentiæ satrem probant innumera pene recitata scripturæ, & Patrum testimonia expressa de potestate arbitrij ad faciendum aliquid, tunc etiam, cum ab eo omittitur. Secundo, alij etiam recitati Patres asserentes potentiam liberi nostri arbitrij liberam non esse, nisi indifferens, imo eadem ad vtrumvis sit, neque ad alterum determinata, atque ad oppositum impos. Tertio: quia in sensu diuiso fati, seu positione fati ad oppositum, apud fatales ethnicos, quos Patres impugnabant, potestas ad oppositum in nostro arbitrio ab ipsis assertoribus fati asserebantur, neque fore tunc necessitatem antecedentem ad operandum, quod præsenti fato ineuitabiliter destinabatur; & tamen præsenti tunc fatali necessitate antecedenti operandi, quæ de fato erat, & impotentia præsenti in sensu composito fati voluntatis ad extremum oppositum destinato per fatum libertatem nostri, & arbitrij, & operis aboleri contra ethnicos docuere: ergo ex Patrum sententia potestas, quæ esset ad oppositū in voluntate in sensu diuiso à fato, non autem erat in sensu composito illius tuendæ potestati ad vtrumvis libertati arbitrij necessariæ satis non esset: ergo, nec, si in sensu diuiso à præfinitione Thomistica esset potentia in voluntate ad extremum oppositum præfinito, si tamen in sensu composito huius non sit absoluta potestas ad illud, sed potius impotentia, & necessitas ineuitabilis ad præfinitum extremum, non est in voluntate libertas, quod autem apud fati assertores ethnicos, & sensus diuisus absolute possibilis locum haberet, & in sensu diuiso à fato non esset necessitas ineuitabilis operandi destinatum fato extremum: & subinde, neque impotentia, seu impossibilitas, sed potius porentia efficiendi oppositū constat de se se, & ex variis fati apud ethnicos constitutionibus memoratis n. 6. Etenim iuxta illud constituentes in sola astrorum virtute, & aspectu, hoc tantillum immutato, ex

ex malo in bonum fatum conuerti, mutarique refert ex Nigidio Augustinus 5. de ciuit. cap. 3. rideteque Basilius hom. 6. exhamer. med. iuxta illos vero, qui syderum virtuti, & aspectui Deorum voluntatem ad fatalem necessitatem adiungebant, clarius sensus diuisus, & in eo potentia, & possibilitas oppositi constat: maxime, cum præstantiores Mathematici Ægyptij precibus ad Deum, vel ad astra posse fata in melius verti existimarent apud Nemes. Sanct. Thom. & Nyssen. supra citatos. Imo Chrysip. Antipater, & alij stoici Proceres, teste Nemesio cit. c. 35. *Omnia fato fieri aiebant, & appetitus nobis datos esse; sed eos aliquando fato impediri, aliquando non impediri.* Et tamen non obstante exclusione necessitatis ad vnum, & impotentiæ, seu impossibilitatis ad oppositum in sensu hoc diuiso, ob solam impotentiam ad vnum, & necessitatem antecedentem ad oppositum in sensu composito fati reiicitur hoc à Nemesio à cap. 35. ad 42. & Patribus aliis. Iuxta vero plerosque constituentes fatum in tota collectione causarum à prima ad vltimam locus etiam est potentiæ ad oppositum destinationi fatali; cum aliter, & aliter disponi series causarum possit, vel vna solum mutata. Tandem iuxta Senecam, & sapientiores Philosophos fatum in Dei præscientia & prouidentia, sensu quidem non Catholico, statuentes locus possibilitati, & potentiæ absolutæ ad oppositum in sensu diuiso est, vt patet. Nam aliter prouidere, & præscire Deus pro sua libertate absolutè posset. Et tamen quouis ex his modo fato, & fatali necessitate antecedenti ad vnum extremum, & impotentia ad aliud in sensu solum composito, & si in sensu diuiso non maneret, auferri arbitrij nostri libertatem constanter, & consone Patres docuerunt: ergo ex eorum sententia antecedens necessitas vnius extremi, & impotentia alterius oppositi in sensu composito præfinitionis Thomisticæ, & potentiæ ad hoc, & exclusioni necessitatis ad illud in sensu diuiso locum relinquat, euertet nihilominus à Patrum sententia libertatem. Denique quia fatum Catholicum, & Christianum immobilem, seu infallibilem præscientiæ, & prouidentiæ diuinæ de contingentibus, non aliter in sensu composito cum arbitrij nostri libertate consistere Patres docent, nisi quia nostræ libertatis vsum non antecedit, sed subsequitur: quare & eius necessitas, non simplex absoluta, & antecedens est, sed conditionata & ex suppositione vsus nostræ libertatis, à qua contingens positum est, atque consequens eius positionem est: & tamen in sensu diuiso, & esset potentia ad oppositum, & necessitas ad præscitum, prouisum, & præfinitum cessaret: ergo id non sufficit ad tuendam libertatem.

Persecuti fusius, quam opus videretur, sumus primam explicationem solutionis huius de sensu composito, & diuiso iam à Thomistis omnibus desertam: labore tamen minime otioso, iisdem quippe impugnationibus secunda altera eius distinctionis explicatio, in qua iam Thomistæ omnes conquiescunt, confutatur. Etenim quocumque modo, & quavis constitutione fati ethnici, eiusque fatalis necessitatis antecedentis vsum nostræ voluntatis ad operationem, & impossibilitatis inde subortæ extremi oppositi æquè habet (vel potius non habet) locum simultas potentiæ etiam ad oppositum in sensu composito præfinitionis Thomisticæ, eo ipso, quod sensus diuisus à fato æquè possibilis sit, atque sensus diuisus à præfinitione Thomistica esse potest: atqui, vt vidimus æquè est possibilis sensus diuisus voluntatis nostræ à fato, atque à præfinitione Thomistica: ergo æquè in fato, eiusque necessitate locum habet, (vel potius non habet, vt dixi. & statim ostendam) ea solutio sensu etiam secundo, si multitis potentiæ in sensu composito, licet non simultate actus; ast Patres intellecta possibilitate sensus diuisi voluntatis à fato admisso ab ethnicis, nihilominus fatali necessitate antecedente indifferentem potestatem voluntati liberæ necessariam, atque adeo & operationis eius libertatem euerti iudicarunt: ergo, quia simultas illa potestatis in sensu composito, quæcumque esset cum præfinitione in voluntate, libertati nostræ tuendæ, est insufficiens. Primi syllogismi maior constat ex doctrina aduersariorum: quia ex eo, quod in sensu diuiso à præfinitione coniungibilis sit consensus cum voluntate, licet simulare actus non sit coniungibilis cum præfinitione ad oppositum, aiunt in sensu etiam composito præfinitionis, coniungi ad vtrumque, diuisim, actum potestatem, neque vnam alteri repugnare, sed solum extremo oppositi sui actus: ergo eo, quod fatalis necessitas admittat sensum diuisum voluntatis ab ipsa, & sit in illo sensu coniungibilis consensus cum voluntate, licet simultate actus non sit coniungibilis cum præfinitione ad oppositum, seu cum voluntate in sensu composito præfinitionis coniungi potest, nec pugnat potestas, seu simultas potestatis ad vtrumvis voluntatis nostræ in sensu composito ethnicæ fatalis necessitatis. Contra secundo, quia si simultas hæc potentiæ ad vtrumvis posset esse simultas veræ potentiæ etiam ad oppositum antecedenter ineuitabiliter destinato per fatum, & præfinitionem Thomisticam etiam in sensu composito fati, & præfinitionis, malè Patres ex necessitate antecedenti fatali inferrent absolutè, non manere in nobis indifferentem ad vtrumvis potestatem. Id autem vnanimiter intulerunt: ergo, quia putarunt (& benè) cum antecedenti necessitate operationis nostræ potestatem ad vtrumvis nostræ voluntatis, siue simultatem potestatis ad vtrumvis earum libertati necessariam in sensu composito eius necessitatis stare non posse: ergo, cum præfinitionis Thomisticæ necessitas, & ineuitabilis omnino à nostra voluntate sit, & antecedens, æquè, atque fatalis cum nostra pugnat libertate eadem argumenta ex Christiano, & Catholico fato, cuius necessitatem, eo solum, quod antecedens nostram libertatem non sit, ab eiusque exercitio independens, Patres cum nostri arbitrij libertate componunt, efformantur.

12. Atque hinc præclusa manet alia solutio, quæ ab aduersariis adhiberi his argumentis posset, scilicet, Patres ex speciali antecedenti necessitate ethnici fati voluntatis simultaneam potestatem ad vtrumvis in sensu composito, & (quod idem est) libertatem euerti docuisse; non autem ex præcisa antecedenti necessitate ineuitabili. Etenim, si de necessitate eiusmodi vniuersim, & qua tali ac proinde de omni, libertatem euerti, verum non esset, à Christiano, & Catholico fato malè Patres eiusmodi necessitatem ad conseruationem libertatis relegandam iudicarent: vbi nota fatalem Catholicam necessitatem operationis nostræ, si antecedens esset, atque ab vsu nostræ libertatis independens, Thomisticam antecedentem esse: cum sit diuinæ voluntatis prouidentiæ, & prædestinationis, in quibus fatum Catholicum constituitur. Secundo malè arguerent Patres, & frigide euersionem libertatis à fatali ethnica necessitate antecedenti, ni ex principio vniuersali pugnæ antecedentis necessitatis cum voluntatis nostræ potestate ad extremum oppositum in sensu composito illius, siue cum eius libertate: cum non è generali, vt debetur, principio discurrent, vt speciale illud inferrent. Responderent enim facile ethnici fatalem suam antecedentem necessitatem, ni ex antecedentis prædicato cum ea potestate ad oppositum in sensu composito pugnaret, ex nullo alio speciali prædicato eiusmodi potestati, & libertati nostræ repugnare. Et ita sanè responderent, vt nullatenus impugnari à sano Philosopho possent. Tolle enim illud antecedentis ineuitabilitatis prædicatum à fatali ethnica necessitate, nullámque eius cum nostra libertate, vel vmbram pugnæ reperies. Denique simultas hæc potestatis ad vtrumvis etiam oppositum extremo præfinito in sensu composito præfinitionis explicari à Thomistis nequit, nisi recurrendo ad potentiam voluntatis secundum se, & nude consideratam, vel duplici indifferenti cogitatione instructam, quod effugium ex Patribus præclusimus num. 5. 6. 7. & 8. quod autem ex nostra doctrina de impotentia simultatis actus cum simultate potentiæ ad vtrumvis præfidij, & paritatis aduersarij pro sua subripiebant, inane est. Etenim cum potestas libera non sit ad vtrumque extremum oppositum coniunctim apponendum (scilicet consensum eiusque negationem, seu dissensum simul) sed ad vtrumque diuisim, siue vtrumvis, impotentia ponendi vtrumque simultate actus non contradicit potentiæ, siue potestati indifferenti ad vtrumvis: ac proinde cum ea impotentia hæc indifferens potentia amice componitur. Cum autem de facto ex potentia indifferenti, & expedita, solutáque ad vtrumvis libertatis nostræ alterum extremum apponitur, & si alterum oppositum in sensu

compositio illius apponi nequeat ob formalem repugnantiam cum illo, aſt apponitur dependenter ab vſu, & libero exercitio potentiæ indifferentis, & libertate voluntatis, à qua procedit, & quam, vt ſui cauſam ſupponit, & cui proinde nequit aduerſari, ſeu officere; ſicuti neque vllus actus ſecundus, ſeu effectus ſuo actui primo, & cauſæ officere poteſt, ſed perficere potius illum. Neceſſitas autem antecedens præfinitionis alterius extremi excludit ex parte antecedentis poſſibilitatem oppoſiti in ſenſu compoſito actus primi, & cauſæ requiſitæ abſolute tali completæ & abſolute talis, extremi præfiniti: quod poteſtati in actu primo ad oppoſitum in ſenſu compoſito præfinitionis contradicit, & ex rei natura, & ex recitatis Patribus. Vnde etiam elaret in ſenſu compoſito huius neceſſitatis antecedentis non ſolum repugnare potentiam ad oppoſitum ſimultate actus ſiue potentiam ſimultatis (quæ etiam potentiæ indifferenti, & liberæ ad vtrumvis de ſe repugnat) ſed ſimultate potentiæ ſiue potentiæ ad vtrumvis ſimultatem. Ex eo enim, quod præfinitio ob ſui ineuitabilem, & irreſiſtibilem à nobis neceſſitatem, ac ſubinde voluntas in ſenſu compoſito præfinitionis, eiuſque ineluctabilis antecedentis neceſſitatis inconiungibiles ſint cum extremo, ſeu actu oppoſito: ac proinde non poſſit coniungi præfinitio, neque voluntas cum illa coniungere ſimul actum, ſiue extremum oppoſitum præfinito, euidens videtur videtur non eſſe hunc actum, ſiue extremum oppoſitum actum ſecundum phyſicæ potentiæ voluntatis, vt ſub ea præfinitione eſt: ſiquidem implicat actum ſecundum phyſicæ actiuæ potentiæ abſolute talis, cum ea inconiungibilem eſſe, vt cum à ratione agetur oſtendemus.

13. Ex parte Dei præfinientis reſpondet primo doctrinam ſcripturæ, & Patrum hanc de potentia indifferenti ad vtrumvis ſoluta an neceſſitate ad vnum, & impedimento inuincibili antecedentibus ad aliud extremum oppoſitum, vt libera ſit, debere intelligi de neceſſitate, & impedimento antecedentibus à cauſis creatis, & ſecundis, non autem à Deo cauſa prima omnipotenti, & infinita. Sed (vt de phyſica qualitate prædeterminante, quæ cauſa ſecunda abſolutè eſt modo taceam) ſolutio eſt aperte contra Patres, qui contra fatalem antecedentem ethnicam neceſſitatem, quæ à pleriſque eius aſſertoribus in diuina voluntate, & decretis conſtituebatur eam nos doctrinam docuerunt. Secundo à fato Chriſtiano Catholico, quod eorundem Patrum, & cæterorum orthodoxorum ſententia in Dei prouidentia, prædeſtinatione, ſeu præſcientia ſtat, antecedentem neceſſitatem admittendam nuſquam eſſe, ſed conſequentem ſolam docent, vt voluntatis creatæ libertas perſiſtat: ergo Patres neceſſitatem antecedentem omnem, & ſi non à cauſis creatis, & ſecundis, ſed à prima cauſa Deo ſit libertati noſtræ voluntatis repugnare docuerunt. Tertio expreſſe Dionyſ. Areop. cert. 1. docet neceſſitatem operandi, à Deo adhuc, ſupra rerum naturam operante prouenientem, quæ potentiam indifferentem, & expeditam ad vtrumvis non relinquat, eius libertatum euertere. Reſpondent ſecundo. Non ita vniuerſaliter intelligendum eſſe neceſſitatem omnem ex Deo prima cauſa antecedenter in noſtras voluntates inductam cum huius libertate non concordare: poteſt enim abſolute ita neceſſitare, vt eius libertatem euertat, cuius etiam dominus eſt: quod, tunc fieret, cum Deus ſolam ſubſtantiam actus præfiniret, non autem modum libertatis: de qua neceſſitate antecedenti Dei præſcientia, prædeſtinatione, & voluntate efficaci inducta Patres loquuntur dum eam docent libertati noſtræ aduerſari. Præfinitionibus vero Thomiſticis, non ſubſtantiam ſolum actus noſtri, ſed modum etiam libertatis eius, præfiniri: quare neceſſitatem antecedentem ea præfinitione inductam voluntati non eſſe, vt operetur vtcumque, & actum ſecundum ſubſtantiam apponat; ſed, vt operetur libere, & apponat actum cum modo libertatis, vt iuxta eius naturam apponere debet ex Dei connaturali, & ſuaui prouidentia cauſarum ſecundarum iuri attemperata. Sed (vt præteream huius ſolutionis in terminis ipſis repugnantiam à ratione oſtendendam) contra ex Patribus primo: quia illa verba Dionyſij nuper citata, *adhuc ſupra rerum naturas operante Deo, qui poteſt omnia*, recitata cert. 3. n. 1. Supponunt neceſſitatem antecedentem omnem à Deo omnipotenti iuxta rerum naturas operante, & decernenter voluntatis noſtræ libertati repugnare. Contra ſecundo, quia male Patres omnem antecedentem neceſſitatem fati, ſiue ethnici, ſiue Catholici repugnare noſtrorum actuum libertati vniuerſim, ac ſine vlla limitatione docuiſſent, ſi ea diſtinctio locum haberet: cum in ethnico communius, & in Catholico fato, eiuſque antecedenti neceſſitate conſtanter, Dei omnipotentis voluntas, & præſcientia intercedat. Contra tertio, quia ethnici voluntatem Dei, eiuſque immobilem prouidentiam, quam ad fatum, eiuſque antecedentem neceſſitatem, vt minimum requirebant, plerumque, imo in qua totum illud ſapientiores conſtituebant, neceſſariam, & connaturalem, vt operationes noſtræ à nobis, noſtraque voluntate ponerentur, nec pure Deo ſua abſoluta poteſtate, & iure ſupra, & vltra cauſarum ſecundarum iura vtente eſſe docuerunt: quare, & ſuauem, noſtroque arbitrio, quantum fieri poſſet, accommodatiſſimam eſſe docebant, teſte Iulio Sirenio citato loco lib. 3. de fato: indéque contendebant voluntatis noſtræ libertatem cum ſuo fato, & fatali antecedenti neceſſitate conſiſtere; & tamen Patres contra eis peſſundati illam, & aboleri docuerunt. Contra quarto, quia idem ex fato Catholico, ſi eius neceſſitas omnem libertatis noſtræ vſum antecederet, euenturum afferebant Patres: cum tamen illud in ſola prouidentia, prædeſtinatione, & præſcientia diuina ordinaria, & rerum naturis accommoda ſtare Catholice, & vnanimiter ſentirent. Frigidius reſpondent, Deum non ex neceſſitate, ſed libere præfinire, etenim non Dei in decernendo, ſed noſtram in operando libertatem perire contendimus.

14. Ob hæc tandem præfinitionum prædeterminatiuarum ſuarum dependentiam aliquam à noſtræ voluntatis libertate concedendam iuxta Patres & eorum rationem naturalem: quare, & omnino eam antecedentiam ad vſum libertatis noſtræ ipſis denegandam tandem nonnullis recentibus Thomiſtis viſum eſt. Eam vero præfinitionum à noſtra libertate dependentiam non eodem explicant modo. Alij enim aiunt hãc dependentiam præfinitionis ab operatione libera eſſe tanquam à termino ſuæ eſſentialis connexionis, ſiue ſuæ efficaciæ intrinſecæ inſeparabili effectu. Sed certe hac ſolutione in terminis implicatur, vt ſuo loco à ratione oſtendemus. Secundo in vtriuſque fati, ethnici quouis modo conſtituti, & Catholici antecedente neceſſitate, quam Patres recitati impugnarunt: erat hæc dependentia ab operatione noſtræ voluntatis tanquam à termino intrinſecæ connexionis alterutrius fati, & efficaciæ ſuæ intrinſecæ effectu inſeparabilis & tamen hec dependẽtiæ genus, nec ſufficeret ad noſtram libertatem tuendam, neque, vt abſolute ab vſu noſtræ libertatis, vt ad eius conſeruationem oportebat, dependeret, neque illum omnino antecederet, merito cenſuerunt: quia ea dependentia, tanquam à termino connexionis, eſt depẽdentia à phyſice omnino poſteriori: quare, quæ abſolutam phyſicam actiuam (in qua linea libertas, ſeu indifferens ad vtrumvis poteſtas eſſe ſolummodo debet) antecedentiam non minuit, vel excludit. Alij eam dependentiam præfinitionum ſuarum ab vſu noſtræ libertatis deſignant: quia voluntas ſe prius negatiue diſponit, quatenus ei præfinitioni non reſiſtit, ac proinde virtualiter, ſeu interpretatiue conſentit: quam doctrinam ita explicant: vt quamvis, quantum ad incompletam actuationem præfinitionis, aut prædeterminationis in actu primo conſideratæ ea in poteſtate voluntatis non ſit; eſt tamen in poteſtate voluntatis quoad completam actuationem, ſeu actualem concurſum voluntatis cum illa: quam actuationem completam poteſt etiam poſita præfinitione incomplete actuante impedire, ac reſiſtere completæ eius actuationi: quare ea non reſiſtentia, ſeu virtuali, & interpretatiuo, quæ in illa eſt, conſenſu præfinitioni, aut prædeterminationi incomplete actuanti, eſt huius à voluntate noſtra dependentia, tanquam à diſpoſitione negatiua. Hæc etiã ſolutio verba ſolum dat, quia dependẽtia hæc præfinitionis, quo ad incompletam actuationem, eiuſque in actu primo, & ſecundum ſuam entitatem conſideratæ à cooperatione voluntatis, tanquã à termino connexionis eius eſſentialis erit, vt nuper docebamus; non autem ab vſu libertatis eius, vt aduerſarij ita reſpondentes fatentur. Quantum vero ad completam eius actuationem, & actum ſecundum

dum ipsius siue positiuæ cooperationis, siue negatiuæ non operationis oppositæ, seu non resistentiæ præfinitioni, a voluntatis quidem potentia, sed non indifferenti & libera, soluta, expedita, & absoluta à necessitate, & impedimento alterutrius extremi erit, vt ad liberam cooperationem, & operationem voluntatis, siue positiuæ, siue negatiuæ non resistendo præfinitioni opus esse scriptura, & Patres docuere illud de potestate voluntatis in sensu composito ad resistendum præfinitioni incomplete actuanti, vel præfinitionis Thomisticæ naturam destruit, negatque intrinsecam eius efficaciam, & antecedentem cum præfinita operatione voluntatis connexionem, vel eam ex parte actus primi, & principij essentialiter requisiti a voluntate nostra reiicit, vel recidit in solutionem iam ex Patribus reiectam de simultate potentiæ voluntatis ad vtrumvis & in potentia simultatis cum actu, aut extremo opposito. Alij denique nouissimi Thomistæ dependentiam hanc præfinitionis, & prædeterminationis, etiam secundùm se, & in actu primo, & secundum in completam actuationem sumptæ ab vsu nostræ libertatis admittunt. Sed hi quidem, si principium essentialiter requisitum à voluntate nostra ad operandum esse asserãt, eiusque intrinsecam cum operatione voluntatis connexionem retineant, Patrum testimoniis resistunt. Vtroque enim retento, liberum nihilominus vsum libertatis nostræ, à quo præfinitionis antecedens absolutè necessitas pendeat per stare contra ipsos volunt; sin alterum autem respuant à Thomistica præfinitione deficiunt: pluraque à ratione pugnantia loco euoluenda inuoluunt: quod ipsum erit de præfatis solutionibus physicæ prædeterminationi applicitis. Illud obserua solutionem aliam his argumentis contra physicam prædeterminationem iustructis familiarem iam: quod scilicet ea non sit qualitas physica præcedens, sed applicatio causæ secundæ à prima ad operandum; dummodo antecedens naturæ priori sit æque contra Patres esse. Si autem solum comitans operationem nostram, & ad eius signum solum, non vero ad anterius expectans, re & nomine à prædeterminatione, & præmotione physica deficere. Neque tamen posse eam solutionem hoc sensu vltimo præfinitioni Dei accommodari, quæ creatam operationem, adhuc quatenus à Deo est, natura anteuertit: quippe quæ eius principium actuum ex parte Dei est: ni Dei decreta libera efficacia effectibus, seu operationibus creatis constitui velint: solumque proinde nostras cooperationes comitari, quo non præfinitiones Thomisticæ, sed Vazquianorum doctrinæ erunt.

CERTAMEN VI.

Quæ ex scriptura & Patribus contra statutam hactenus veritatem aduersariis sonant, eidem potius fauent.

1. Præcipuum aduersariorum ex scriptura fundamentum, & cui maxime fidunt, replicatoque sæpe, atque semper (vt vidimus) insistunt, est illud Pauli: *Quis est, qui te discernit?* Ex quo putant deduci discretionem prædestinati à reprobo (vt eius loci, etsi non littera, exemplo tamen, asseri Augustinus, & Patres alij, atque Scholastici omnes censent) à solo Deo esse non posse, nisi salutis nostræ causa ab eo prædestinatione prædeterminativa salutis, & nostrorum actuum ad eam conducentium præfinitione suapte natura cum eis connexa, & à nobis subinde irresistibili apud nos agatur. Alioqui, aiunt aduersarij, si prædestinatione nostra, qua à reprobis discernendi sumus, à Deo posita, & actus nostri ad salutem necessarij, & salus subinde nostra ex parte nostri non poni absolutè possunt, nosque absolutè illius intrinsecæ efficaciæ resistere absolutè valemus: & prædestinationis diuinæ certitudo, & infallibilitas absolutè nutat: nec Deus solus nos discernet: sed ipsi potuis nos ipsos à reprobis discernimus. Cæterum, quam infirme ex hoc loco pro sua sententia aduersarij pugnent ostensum satis à nobis est vbi diximus Dei prædestinationem in sui positione, ac proinde discretionem per illam prædestinati a reprobo, à solo Deo pendere; qui absolutè potuit hunc præ illo prædestinare, vel secus; neque vllatenus in tui positione ab absoluta contingentis positione, tanquam à causa motiua, meritoue nostro pendere sed solum, tanquam à materia apta, & capaci, vt prædestinetur: quæ æque à reprobo apposita est, qui sub aliis auxiliis, & circunstantijs æque erat consensurus, & ratione cuius proinde alter ab altero discretus non sit, petatve à Deo per prædestinationem discerni, & si neuter, ni posito auxilio consensurus absolutè esset, discerni ab altero per prædestinationem posset: sicuti nec posset, si cum nullo posset consentire. Quare & si status futuritionis conditionatæ, & eius subinde scientia, eique innixa prædestinatio, qua auxilium habiturum effectum decernitur, ab eius absoluto nostro libero vsu obiectiua præcedentia in sui etiam pro suo vnaquæque signo dependeant: qui, si, vt absolutè potest, auxilio posito non consentiret, sub illo consensura conditionatè verum minimè fuisset. In ea tamen dependentia nulla est, neque alterius ab altero prædestinatiua in actu primo per absolutum consensum discretio, nec ius, aut motiuũ discretionis: sed mere passiua capacitas discretionis illius, quæ etiam per futuritionem conditionatam consensus sub auxilio altero reprobè est, quod si daretur auxilium, in sui etiam positione antecedenter à libero alterius vsu obiectiue penderet.

2. Itaque futuritio conditionata, quæ prædestinationem præcedit, atque pro casu positionis auxiliorum in sui positione ab vtriusque libertate obiectiue penderet, vtrumque capacem prædestinationis constituit: sicuti & prædicatum rationalis, quod in vtroque est, ac sine quo subiectum prædestinationis capax esse nequit: quin tamen per hoc prædestinatus à reprobo discernatur. Illud, quod prædestinatio possit absolutè frustrari, incertaque sit, si potestate antecedenti non consentire possimus: omnino est falsum cum enim scientia conditionata, cui necessario prædestinatio innititur, in suo statu suspensæ futuritionis obiectiue pro casu purificatæ conditionis, seu auxilij per prædestinationem à consensu absoluto dependeat, prædestinatione ipsa, & purificatione conditionis, seu auxilij consensus ipse & exercita per illum in actu secundo libertas deuoluitur, & supponitur: cum consensu vero, & exercitio libertatis in actu secundo potestas ad eius omissionem, vel oppositi positionem non est, nusquamque pro vllo naturæ signo fuit: esset enim potestas chimerica ad coniungendum duplex contradictorium, vt sæpe diximus. Quare, & si posita prædestinatione, & purificatione conditionis, seu auxilij per illam potestas antecedens, & absolute talis in voluntate sit ad consensum eiusve omissionem apponendam, ac proinde ad scientiam conditionatam, & prædestinationem pro priori ad earum positionem impediendam, ne fuerint; nullatenus tamen est absoluta potestas ex suppositione, quod sint ad eorum effectum impediendum, easque frustrandas, incertasque, & falsas, seu fallibiles reddendas: sicuti neque ad abolendum consensum absolutum, quem illæ supponunt, ex suppositione quod sit potestas vlla in voluntate nostra est, esseve pro vllo signo potest; quæ res, quia non satis à doctis nostris, & ingeniosis recentioribus cõplutensibus penetrata fuit, & discreta efficacis etiam de se, antecedentisque voluntatis, seu præfinitionis Soaristicæ regulatæ per scientiam mediam de nostro consensu absolutam antecedentem irritabilitatem non satis sana, sed absurda potius theologia admiserunt, existimantes ex absoluta voluntatis nostræ potestate antecedenti omittendi consensum auxilio etiam posito potestatem falsificandi scientiam mediam, & irritandi Dei prædestinationem, imo & consensus præfinitionem illi scientiæ innixas admitti necessario debere: cum tamen potestas absolute antecedens impediendi illas ne essent, non autem irritandi eas iam positas, siue ex suppositione, quod sint, solũmodo inferatur, vt vidimus.

3. Opponunt secundo ex pluribus scripturæ testimoniis in hanc sententiam conspirantibus. Scilicet cor hominum, etiam Regum, quantumuis potentium, omnesque hominum vias in manu, seu potestate, & voluntate Dei esse, vt quoquoversum illud, illasque pro libito conuertat, seu quo voluerit vertat illud. Non autem ea erit Dei in cor, seu voluntatem nostram, nostrasque vias plena potestas, si posita Dei voluntate absoluta de consensu plena nobis absolutè potestas antecedẽs sit nõ cõsentiẽdi:

cum autem voluntate Dei inefficaci de se se potestas hæc nostra omittendi consensum ita à Deo volitum non aduersetur, dicendum planè videtur omnes nostras vias, seu operationes, ac proinde cor, seu voluntatem nostram ad omnes, & singulas illas voluntate Dei antecedenti de se se efficaci, & connexa cum illis præueniri debere. Cæterum quam extra scripturæ mentem sententia hæc, & loca, quæ in eam conspirant, ab aduersariis obiiciantur ex datis scripturæ locis, quibus in manu, & potestate nostra operationes nostras esse apertè docemur, satis clarer. Item ex Patribus eo sensu præfata loca vnanimiter interpretantibus Conciliis & definitionibus Pontificum q. 4. in eandem sententiam expendendis, in quibus Spiritus sanctus sententiæ, & menti suæ alibi contentæ aduersari non potuit. Cum ergo & Dei in cor, viasque nostras, & nostra item in easdem potestas ab scriptura, Conciliis, & Pontificibus asseratur: ea sanè conformior illis censenda est, quæ vtramque, & Dei & nostri operationum nostrarum potestatem tueatur: quare negandum omnino est plenam nostram, diuinæ voluntatis, & gratiæ suppositis, potestatem obiectis locis asseri repugnare, atque, vt hæc plena sit efficacis voluntatis necessario fore. Cum enim Deus videat, quibus mediis intentum finem, vel operationis nostræ liberæ, vel salutis obtinebit, si ea donet, eaque, vt vniuersorum dominus, intra ius, & potestatem suam habeat, vt ea pro libito donet eorum voluntaria donatione voluntates nostras, quoquo velit vertere, & conuertere potest, sicque illæso arbitrij, & libertatis nostræ iure *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia* (etiam humana) *suauiter*.

4. Dices. Si plena Dei potestas in humanas actiones eiusmodi solum est, vt ex consensu nostro (qui posita Dei voluntate, præparatione, & collatione non esse absolutè antecedenter potest) atque eius conditionata futuritione, pendeat: cum absolutè omnibus, & singulis possumus non consentire, poterit esse homo aliquis, qui nulli consensurus sit: ac subinde, cuius cor in manu Domini, eiusque operationes potestati diuinæ non ita subdantur, subiacerent ve, si eiusmodi homo à Deo produceretur, & existeret. Sed tamen obiectio hæc aduersariorum doctrinæ minimè fauet (& si totum, quod in ea supponitur, & assumitur admittatur) neque præsenti nostræ sententiæ aduersatur. Etenim futurum nullum contingens absque diuina præfinitione, seu voluntate ab intrinseco efficaci antecedenti, & connexa de se, suaptéque natura cum illo, & eiusdem farinæ mediis esse absolutè posse Thomistæ contendunt argumentis, quæ de omnibus vniuersim contingentibus futuris, vel certè de nullo, probant: ac proinde præfinitiones diuinas, & media de se, atque suaptè ingenio efficacia cuiusvis contingentis absoluti principia necessaria, atque ex parte actus primi, & antecedentis essentialiter requiri. Hoc nos negamus, asserendo ea principia necessaria, siue ex parte principij essentialiter requisiti ad futurum contingens absolutum computanda non esse. Admisso autem toto, quod in obiectione assumitur, eaque probatur solum euincitur respectu vnius, vel alterius hominis possibilis Deo præfinitionibus, mediisque de se efficacibus, vt consensum volitum obtineat opus esse, non vero respectu reliquorum. Secundo, cum Dei voluntas, qua sua potestate in nostras operationes vti solummodo potest, in actus prauos, seu peccata nostra ferri formaliter, aut interpretatiuè, adhuc inefficaciter, nequeat, vt d. 2. ostendemus locum obiectio non habet adhuc respectu hominis illius possibilis: quare non ex præfinitione, aut medio de se ineuitabiliter connexo (quod interpretatiua saltem peccati voluntas esset) actus eius prauus procedere posset, sed solum ex mediis illis cum negatione actus praui antecedenter absolutè componibilibus: quare dominium, & potestas Dei in praua nostra opera, & voluntatem illis exercendam nec præfinitiones, nec media de se efficacia, sed omnino indifferentia concernit. Tertio respectu operum nostrorum, non prauorum (& si velis prauorum) sed vel honestorum vel indifferentium, quæ Deus velle etiam formaliter, nec solum interpretatiuè valet, si ab homine illo possibili, omniaque media non de se, sed extrinsece ab eius consensu efficacia abiecturo vellet consensum Deus obtinere; fateor præfinitione mediisque de se efficacibus opus ipsi fore: tunc autem consensum quidem eius intenturum, obtenturumque Deum, non autem consensum liberum, sed omnino necessarium, ob antecedentem, atque omnino independentem ab vsu libertatis eius apponendi illam ineluctabilem, vt diximus, necessitatem: quare nihil tunc, etiam admisso casu pro necessitate præfinitionis, mediue de se efficacis ad futurum absolutum contingens apponendum euincitur: cum tunc etiam futurum illum, non quidem liberum, sed prorsus necessarium illis ex parte antecedentis positis esset. Stet ergo totam obiectionem admissam nihil, ne in casu quidem illo, probare pro necessitate præfinitionis ad contingentis non solum omnis, sed illius adhuc, absolutam futuritionem: sed solum illius hominis consensum absolutum libertum esse non posse, sed solummodo necessarium sicuti nostra hæc doctrina fert, & facta ex Scriptura & Patribus argumenta contendunt: contendentque haud segnius alia ex Conciliis, Pontificum decretis, & ratione. Et quamquam hominis illius possibilitas, quæ ea obiectione asseritur non quæstionis præsentis, sed controuertitur potius de auxiliis, & prædestinatione (à qua in præsentiarum abstinemus) examinanda videatur: dicam tamen breuiter de ea, quid ex tacto in obiectione dominio, & potestate Dei in liberas creatas operationes verius putem.

5. Censeo ergo eiusmodi hominem, seu rationalem creaturam omnibus coniunctim, & singulis auxiliis indifferentibus, vel cogitationibus non consensuram repugnare. Primo: quia, & si scripturæ in numera loca, quibus Dei dominium, & potestas in cor hominum, eorumque liberas operationes asseritur de productis, producendisque explicari, vtcumque possent, re tamen vera, genuinaque, & germana interpretatione de omnibus vniuersim hominibus, liberisque creaturis intelligenda sunt: cum non ob specialem aliquam productarum conditionem, sed ob communem omnibus rationalibus, liberisque creaturis ad Deum earum Dominum subordinationem, & subiectionem sententia illa eis locis asseratur, indefinite dicta, quare, & vniuersim de omnibus, etiam possibilibus, fuit. Ratio autem ex dominio Dei supremo, & infinito Theologica est: quia Deus non solum naturalium agentium, actionumque eorum Dominus est, sed liberorum, & agentium, & effectuum iure, & potestate infinita essentialiter, & simpliciter vtendi illis omnibus pro libito: ergo implicat esse creatam voluntatem liberam, cuius liberas operationes nequeat absolute Deus mouere, ducere, & deducere, quo velit. Patet: quia infinita simpliciter, & diuina potentia siue physice, siue politice non est, quæ ad omnem effectum, seu terminum absolute possibilem non extenditur: ac proinde, si, vel vnum minutissimum possibile vltra potentiam Dei actiuam esset, ad ipsumque non extenderetur, potentia actiua Dei, siue omnipotentia non esset. Tum sic. Sed si eiusmodi creatura rationalis possibilis admittatur, admittetur operatio, vel omissio libera, quæ dominio Dei non subiaceat, & similiter libera voluntas, qua Deus vti nequeat deducendo illam ad liberam aliquam, imo & plures operationes: ergo admissa ea creatura rationali possibili dominium Dei in agentia, & operationes creatas liberas periret: quod est implicatorium: subsumprum antecedens patet: quia cum mediis omnibus possibilibus de se indifferentibus coniunctim etiam sumptis admittitur non consensura, ac proinde libere non consensura; cum tamen absolute posset consentire: & tamen cum vltra media omnia possibilia, &, quæ sola libertatem non læderent, nihil, quod libertatem seruet, possit Deus adhibere ad consensum illum liberum ab ea creatura obtinendum, fit plane eius creaturæ libertatem in consensum exercitum, eumque liberum cõsensum exercite diuino dominio potestati, & voluntati non subiacere: cum ad eum apponendum per creaturam illam, eiusque liberam de facto appositionem medium illa non habeat vllum; & si illud habeat, vt apponatur necessario. Idem argumentum fit ex infinitate prouidæ Dei potestatis, & omnipotentiæ, in quorum detrimentum cedit ab eo peruicax voluntas, cui nec prouidentiæ, nec omnipotentiæ diuinæ infinitæ vires occurrere, opponique cum victoria queant; quam rationem satis de se efficacem pluris facio: quia eam S. Thomæ q. 6. recitandi esse video: ideo asserentis diuinam prædestinationem semper in nobis, non obstante potestate nostra absoluta antecedenti

cedenti ad oppositum, effectum sortitura, ac proinde infrustrabilem à nobis esse, quia adminicula, & media potest adhibere Deus, vt toti collectioni eorum resistendum non sit, neque moraliter resisti possit. Sicuti species quævis incorruptibilis diuina prouidentia dicitur: quia in indiuiduorum deficientium defectum alia, & alia substituere potest, plura, & plura quidem, quam corrumpantur: de factoque, vsque ad tempus sua prouidentia præstitutum substituet, in quibus species quæque seruetur.

6. Tertio opponunt ex scripturæ, frequenti etiam sententia, nimirum voluntati Dei resisti minimè posse: ast voluntati Dei prædestinantis nostrum consensum & salutem, ac media congrua applicante ita potestate nostra antecedenti per arbitrij nostri libertatem possumus à prædestinatis resilire, vt ommissionem consensus cum eiusmodi voluntate, & medij coniungere possimus: ergo voluntati Dei, etiam prædestinantis, resistere absolutè possumus: ergo ea arbitrij nostri liberi potestas apertè scripturæ repugnat. Maior expressa est Genes. 50. num. 19. vbi pro scelere in ipsum patrato timidos fratres Iosephus alloquitur: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Esther 13. num. 9. *Domine Domine Rex omnipotens in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui tua possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israël.* Ad Roman. 9. num. 19. *Voluntati eius qui resistit?* Id est, potest resistere: & sexcenta in eandem sententiam. Sufficiunt autem hæc ad maiorem illam ex scriptura statuendam: præsertim, cum hæc de voluntate Dei circa ea, quæ à libera nostra voluntate pendent, sint expressa. Sed enim, si sensus horum, & similium locorum is sit, quem aduersarij intendunt, oportebit scripturam, & Patres recitatos, Concilia, Pontificum definitiones palinodiam recantare: cum ex datis iam, dandisque eorum testimoniis constet, prædestinatos etiam, congruéque vocatos posse non consentire, resistendo, abiiciendoque vocationem, id est eius effectum: resistentia autem per omissionem consensus eis, quæ non sunt, minimè est, sed quæ sunt, sicuti & abiectio; quare potentia resistendi voluntati Dei de nostra salute, aut consensu libero, quæ est, & mediis ad eum oblitendum applicitis à Deo, siue resistendi in sensu composito eorum eis testimoniis asseritur. Reperendus hic opportunè est Augustini vulgatus ille ad rem hanc vniuersalis aphorismus ex lib.3. de lib. arbitr. cap.18. *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato eiceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cauere potest? Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur.* Quod ipsum de honesto & meritorio opere à contrario dictum intellige. Maximè, cum eius sint verba. *Non enim ea Deus, quamvis prædestinet, facit voluntatem cogendo; sed in sua illam potestate dimittendo.* Cum ergo potestas resistendi Deo in nostra voluntate libera asseratur ab scriptura absolutè, idque exigant libertatis nostræ iura, imo ipsa libertate includatur; de alterius solum generis impotentia resistendi voluntati Dei, etiam prædestinatiuæ nostrorum actuum liberorum, in voluntate nostra asseri ab scriptura citatis locis potuit. Quare de impotentia consequenti intelligenda sunt: quatenus prædestinatio ipsa, vt diximus consensum nostrum sub conditione futurum, eiusque conditionatam scientiam, vt à Deo habeatur, supponit: quæ à consensu nostro absoluto pro statu obiectiuo dependent, vt diximus. Vnde posita prædestinatione, quæ tandem in sui positione consensum ipsum supponit, ne antecedenter quidem possumus non ponere consensum: quia esset coniungere cum consensu supposito eius negationem, ad quod potestas libertatis nunquam fuit, imo neque vera, & non chimærica potestas esse potest, vt diximus suprà; sed solum ad alterutrum pro priori naturæ ad alterutrius positionem apponendum.

Hoc solummodo docet Augustinus de corrept. & grat. cap. 14. verbis (quæ obiici etiam ab aduersariis solent) hisce: *Deo volenti salutem facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in nolentis, aut volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Quibus cum velle nolentis, & nolle volentis in eius potestate, scilicet antecedenti expresse asseratur. Potestate solum consequenti resistentiæ impotentia in homine asseritur: quatenus conditionatum consensum, ab absoluto purificata conditione in sua obiectiua veritate pendentem, in sui positione diuina illa voluntas supponit; non scilicet apponenda, ni absolutus purificata conditione consensus, à quo conditionatus, eiusque scientia pendet, esset absolutè futurus. Ea vero voluntate posita nulla ad consensus ommissionem, vt dixi, & impediendum effectum voluntatis illius potestas est: quia in eius positione libera consensus positio supponitur; cum quo nulla vnquam vera, ac non ficta potestate, siue creata, siue increata, eius omissio fuit coniungibilis. Quia vero eius voluntatis ab intrinseco non efficacis, vel saltem, vt ab intrinseco efficacis, non requisitæ essentialiter ad consensum (quod satis præsenti controuersiæ est) vsum, & exercitium liberum indifferentis potestatis arbitrij in consensu eliciendo supposuit, consequentem solum necessitatem inducit, neque antecedentem oppositam antecedenti arbitrij ad vtrumvis potestati, potest inferre. Solum quippe est impotentia ad vtrumque simul, quæ potestati ad vtrumvis, seu alterutrum minimè aduersatur. Et hæc quidem de impotentia resistendi voluntati prædestinatiuæ, siue auxilij congrui collatiuæ iam supposita satis aperta sunt. Voluntati vero Dei, qua nullum auxilium immediatè conferret, sed solum apud se statueret vniuersim, appositurum se omnia media, quæ posset, seu facturum ex parte sua, quidquid posset, vt salutem per consensum nostrum, & meritorium, quare & liberum de facto obtineret quid dicetur? In eo casu, licet consensus, & salutis liberè obtinendæ præfinitio, seu voluntas efficax non adesset; tamen quoddam impotentiæ genus resistendi eiusmodi voluntati vlterius in voluntate nostra inuenitur, quod anterius quidem ad consensum aliquo modo sit, & tamen de facto potentiæ indifferenti ad vtrumvis non aduersatur, & si voluntas eiusmodi independenter à scientia media à Deo concipiatur. Hæc enim impotentia resistendi nihil aliud est, quam creaturæ rationalis subiectio, & subordinatio, etiam in suis liberis operationibus supremo Dei dominio in creatam omnem libertatem voluntatis, & operationum eius, quod vt suprà diximus, stare in Deo nequit, ni in tota collectione mediorum aliquod saltem contineatur, cui, licet non connexo de se cum consensu, sit voluntas creata consensura si detur, & si absolutè illo etiam dato, posset non consentire. Illa verò Dei voluntate faciendi, quantum ex parte sua potest, ad salutem per liberum nostrum consensum obtinendam; atque adeo ad obtinendum à nobis liberum consensum ipsum tota Dei omnipotentia, & mediorum de se indifferentium collectio, ad quam omnipotentia exenditur, applicita est: cui mediorum collectioni coniunctim sumptæ resistere liberè de facto incapax creata voluntas est. Sed quoniam, nec medium, quod de facto, ex ea etiam voluntate Dei, decernitur, nec tota collectio mediorum per illam applicita antecedentem connexionem cum voluntatis nostræ consensu habent; imò vero cum eius libertate illam habent, fit, vt hæc impotentia resistendi de facto dominio Dei, & toti auxiliorum collectioni in libertate creatæ voluntatis ineluſa, antecedenti voluntatis nostræ potestate ad vtrumvis, in qua eius libertas consistit, minimè officiat, sed ad consequentem physicè impotentiam reducatur.

Et sanè de hac impotentia videntur mihi intelligenda scripturæ (præsertim Esther 13. vbi ea redditur ratio, quod vniuersa in Dei ditione posita sint) & Augustini opposita loca, & aliud quod ex Prosperi carminibus, c.15. de ingratis opponi solent, & sic habent.

Ipsa suum consumat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit. Non moribus vllis
Fit mora: non cæptis anceps fulcitur vllis.

Siue Dei voluntas, siue gratia. Quamquam interim non negem Augustinum recitatis verbis, nec de voluntate prædestinatiua, sed de omni Dei voluntate etiam non prædestinatiua salutis, nec de impotentia resistendi illi explicato sensu fuisse locutum, sed de impotentia resistendi cum victoria, & impunitate resistentis. Sic enim immediatè, & continuo subnectit. *De iis enim, quæ faciunt, quæ non vult* (scilicet non prædestinatis) *facit ipse qua vult.* Sed & locus ex Genesis 50. de omni Dei

volun

voluntate etiam permissiua peccati fratrum Ioseph in eius venditione apertus est, nec solum de prædestinatiua. Tertius locus ex 9. ad Roman. non Pauli ex propria, sed ex impiorum persona verba continet: cum enim docuisset ibi Paulus prædestinationem iustorum, & indurationem impiorum per voluntatem eius permissiuam Dei miserentis, vel non miserentis esse. Idque exemplo indurationis Pharaonis, & aliis scripturæ locis ostendisset, concludit: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ex quo impiorum nomine sibi Paulus obiectat. *Dicis itaque homo, quid adhuc quæritur*, seu irascitur, pœnisque in Pharaonem, & impios animaduertit. *Voluntati enim eius* ex qua eorum impietas, & induratio processit *per te quis resistit?* Aut iuxta græcam lectionem *restitit vnquam?* Quorum obiectionem illico retundit primo ex supremo dominio Dei in homines, ex quo, non nisi insolenter voluntatis Dei ratio ab ipso petere homo potest. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Et exemplo figuli, & luti, quod in hoc, vel illud vas pro arbitratu, & iure suo effingere potest, solutionem confirmat. Secundo respondet obiectioni ex sua doctrina factæ à versu 22. misericordi electione, & indurationè arbitraria Dei suo iure & dominio vrentis neminem fieri bonum, aut malum independenter à propriæ voluntatis libero vsu, quin impios, & induratos propria se voluntate indurare, non siue Dei, oppositum potius volentis, misericordi sufferentia, atque in suæ potentiæ, & diuitiarum gloriæ suæ in electos ostensionem patienti dissimulatione. *Quod si Deus*, inquit, *volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ apta.* Siue græce, *qua apta, & apparata sunt*, nimirum à se ipsis. *In interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*: quia positiua voluntate ex gloriæ fine media habitura effectum disposuit, &c. patienter autem, quæ sua voluntate alij de se, & contra nostram voluntatem agunt, gerimus; non quæ nos agimus propria voluntate; vel alij iuxta illam; de quibus gaudium, non patientia est. Idcirco non à Deo parata vasa iræ, sicut vasa misericordiæ ait, sed aliunde, id est à se ipsis: quare iustè quæritur, & irascitur in vasa iræ Deus. Vnde à versu 30. ostendit Iudæos à vera iustitia repulsos, Christianos vero electos, quia Christi fidem hi receperunt, respuerunt illi. Quibus etiam aperte docet electionem, aut reprobationem non ita nostras agere irresistibiliter voluntates, vt non ab earum potestate, & exercitio libero pendeat: quasi illum in sui existentia, & effectu omnino ineuitabiliter anteuertat. Id quod superioribus etiam versibus Apostolus docuerat. Vt doctè ad oppositum versum, & caput ferè totum obseruat noster Cornelius à lapide. Nihil ergo præsidij in his scripturæ locis, & sententia de impotentia nostra resistendi voluntati prædestinatiuæ, & electiuæ Dei pro se, & contra nos inuenire aduersarij possunt in illo.

Sed neque in alio Augustini testimonio ex epist. 107. ad Vitalem reprehendentis quod dixerat, *Consentire, aut non consentire ita nostrum esse, vt, si velimus fiat; si autem nolimus nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Quod petitioni Ecclesiæ à Deo, vt faciat, vt faciamus aduersari ait: facit autem Deus, vt faciamus sua electione, prædestinatione, & gratia: ergo eiusmodi hæc sunt, quibus volendo, aut nolendo, libera nostra voluntas nequit resistere. Et Prosper. epist. ad August. ita Massilienſium errorem refert *quod voluntas diuinæ gratiæ*, seu voluntatis *sibi pariat opem*, non gratia, seu voluntas diuina sibi *humanam subiiciat voluntatem.* Quibus ex sensu Concil. Arausican. 1. canon 6. damnat *subiicientes gratiæ seu voluntatis diuinæ* adiutorium, *humilitati, & obedientiæ humanæ.* Et Arausican. 2. can. 4. *Si quis, vt à peccato expurgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem, vt etiam purgari velimus per spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur resistit spiritui sancto.* Sed his ex Prospero, & Arausicanis canonibus cum aduersus Pelagianum, & semipelagianum errorem expressè sint abunde est satisfactum controu. 2. vbi nostræ sententiæ de gratiæ & voluntatis efficacia ab extrinseco nostro consensu libero, non autem eis intrinseca à Pelagiano, & semipelagiano errore discrimen perspicuum fecimus. Solum ergo vti error semipelagianus refertur à Prospero, damnaturque Arausicanis canonibus, subiectio gratiæ & misericordis Dei voluntatis ad opus voluntatis nostræ, seu pium affectum, quamvis minutulum, viribus solius naturæ, absque auxilio gratiæ à nobis habitum & expectandum à Deo, vt nos prædestinet, ac eligat; cum potius primum etiam iustificationis initium gratia Dei per Christum necessariò debeat præcedere, sicque diuinæ gratiæ, & electioni, seu prædestinationi voluntatis nostræ honesti affectus omnes, quantumvis exigui, debeant subiacere: Quod, & nos semper profitemur. Quod autem neque voluntas illa prædestinatiua, siue gratia (ex qua, quidquid boni affectus, ac operis in nobis est initium sumere necesse est) non ab intrinseco efficax sit, neque ita voluntates nostras ad elicienda honesta subiiciat, vt necessitate antecedenti ea non elicere nequeant, imo vero horum conditionaram futuritionem, & scientiam, aquarum vel altera, vel vtraque efficax, tam Dei prædestinatiua voluntas, quam gratia, extrinsecus, & sit, & denominetur: ac proinde id tanquam materiæ solum aptæ, non autem tanquam meriti, aut motiui alicuius constitutio à Deo expectetur, vt liberè omnino, & liberaliter absque vllo nostro iure, sed suo mero arbitratu eligat, ac prædestinet: nullatenus vti semipelagianus error à Prospero refertur, aut Arausicanis canonibus damnatur. Eundem planè errorè in Vitali Carthaginensi reprehendit Augustinus t. 2. citata epist. 107. ita apertè, vt mirum sit à non omnino eius epistolæ, & Augustinianæ doctrinæ ignaris nostræ opponi. Dixerat enim initio. *Quomodo dicis, quod te audio dicere, vt rectè credamus in Deum, & Euangelio consentiamus non esse donum Dei, sed hoc nobis esse à nobis: id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse*, nisi per legis, & scripturarum lectionem meram, & auditionem, vt ex ipso statim refert: quibus, vt consentiamus, vel renuamus, ac subinde eam vnicam Dei operationem in nobis euacuemus, vel secus naturalis solius potestatis arbitrij nostri esse vitalis aiebat: quod totum vel pelagianum, vel semipelagianum est. Cæterum Dei gratiam, quam cum Augustino necessariam vlterius ad quodvis bonum opus fatemur, euacuari ab arbitrij nostri libertatem posse, & Paulus fatetur cum obsecrat: *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et Augustinus citatis locis, maximè illis, *quibus aliorum ex vocatis fidem, & aliorum infidelitatem* eo tandem refert: *quod illi credere voluerunt; hi vero noluerunt.* Facit autem vt faciamus voluntate, & prædestinatione sua Deus: quia, vt idem Augustinus etiam aiebat, auxilia, etsi indifferentia de se, habitura tamen effectum donat: ac propterea, & donat effectum *in radice oportunæ vocationis*, & voluntatis nostræ præparatione per illam.

10. Opponunt distinctionem antecedentis, & consequentis voluntatis à Damasceno, & Chrysostomo traditæ, ita à S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 6. ad 1. & Scholasticis explicari: vt antecedens sit, quæ fertur in obiectum secundum se sumptum, consequens, quæ in illud cum aliis adiunctis circumstantiis, & præsuppositis, cuiusmodi est Dei præfinitio, & prædeterminatio. Sed nihil tale ij Patres, neque Scholastici (præter Thomistas recentiores) ex ipsis docent; sed solum agunt de Dei consequente voluntate ad quam determinari, imo cogi, & compelli per liberas nostras operationes asserunt: quæ de Dei, præsertim punitiua voluntate, frequentia tam apud hos, & reliquos Patres sunt, elegantissimèque persequitur Saluianus de prouid. & gubernat. illud: *Clamor Sodomorum venit ad me expendens* cuius verba dabimus *controu. 4.* de voluntate diuina salutis omnium agentes. Anselmi testimonia etsi perspicua friuolis, quas reiecimus solutionibus tentant, atque illud ex ipso opponunt. *Quando Deus vult effectum sequi voluntatem: tunc necesse est voluntatem esse libe-* *ram, & esse quod vult.* Et tamen necessitas diuini decreti de effectus à voluntate prosecutione antecedens est prosecutionem voluntatis nostræ; sicuti & decretum, quod eam inducit: ergo, etsi decretum Thomisticum operis antecedentem necessitatem inducat voluntati nostræ ad operandum, neque eius, neque operis libertatem euertet Anselmi sententia. Verum, si, vt sonant, non vt sentiuntur ab Anselmo, verbis vti genuina nobis, &

& ingenium esset, etiam contra aduersarios obtineremus præfinita à Deo subsistentia actus nostri quomodolibet, etiam non præfinito modo libertatis, quo à nobis fiat nihilominus eius, & voluntatis nostræ libertatem seruari: siquidem, tunc etiam vellet Deus effectum sequi voluntatem. Sensus igitur est voluntatem tunc liberam esse debere; & debere tamen esse effectum: quia necessitate consequenti, & voluntas effectum sequetur, & prosequetur, iuxta doctrinam ab ipso semper, ac sæpè ex instituto asserta, & stabilitam. Siquidem illa Dei voluntas efficax ab intrinseco, siue effectus ex parte sui solum apponendi, vel potius disponendi, siue apponendi absolutè, quare & ex parte etiam nostra apponendi, (de quo modo non disputo) conditionata scientia regulari debet: quare tandem effectus conditionatam futuritionem supponit, quæ in suo illo statu, & veritate obiectiua à futuritione absoluta pendet: ac subinde, tam ipsa, quam scientia, quam voluntas per eam regulata, impediri ab vsu absoluto libertatis nostræ potuit, ne pro suo signo, & priori fuerit iuxta dicta à nobis non semel. Et quidem Anselmus de voluntate Dei prædestinatiua, quæ efficax, non ab intrinseco sit, sed ab extrinseco, seu, quod idem est, effectura nostrum consensum, solummodo loquitur. Nam decreta ab intrinseco efficacia directa etiam, ac regulata per scientiam mediam repugnare verosimilius, & nobis certum omnino ex Anselmi doctrina, & ratione Theologica est.

11. Plura ex Augustino congerunt vt libertatem nostram cum necessitate à Dei voluntate antecedenti prouenient consistere probent 6. de Genes. ad lit. c. 15. fine indefinitè, & vniuersim ait: [Dei voluntas rerum necessitas est.] Scilicet vt sint: ergo & actuum liberorum, vt sint, necessitas Dei voluntas erit. In primis, si illa Dei voluntas antecedens, & efficax necessario requisita non sit, vt actus nostri liberi sint, nihil ex loco, quomodolibet intellecto pro præfinitione Thomistica elici poterit; sed solum pro Soariticis præfinitionibus per scientiam mediam regularis. Ex quibus solam consequentem necessitatem, sicuti ex prædestinatione, seu decreto collatiuo auxilij iidem contendunt. Illis autem verbis necessariam, & essentialiter requisitam esse ad actus liberos apponendos Dei voluntatem efficacem minimè asseritur. Sed certè Augustinus de rebus independenter à nostro libero arbitrio, rebusque ita à Deo decretis, vt creatione Adami in ætate, seu statu virili agebat, vt immediatè præcedentia verba exprimunt. In quem sensum à Magistro referuntur in 2. d. 17. c. 4. & Scholastici, & Vvaldensi 1. doctrin. fid. c. 30. post med. & explicanda germane sunt. Similia, quæ ex c. 17. init. & circa, extra rem opponi ab aduersariis ex Augustino solent. Sed ex 5. de ciuit. cap. 10. obiiciunt. [Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, vt ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim, & vitam Dei, & præscientiam Dei sub necessitate ponimus: si dicamus: Necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire.] Quorum in Deo necessitas omnino antecedens est, sed cum toto illo cap. aliisque innumeris locis. Augustinus recitatis verbis cert. 2. num. 1. Ad libertatem voluntatis, de qua agimus indifferentem eius ad vtrumvis potestatem requirat, ab omnique necessitate, impedimento alterius partis expeditam cert. 3. n. 9. & contra. 2. d. 5. q. 8. vbi aliis vocibus simplicis & absolutæ necessitatem antecedentem alterius partis libertatem nostræ voluntatis euertere fatetur; secus necessitatem conditionis, siue secundum quid irreuerenter de Augustino putatur, suæ huic constanti doctrinæ eo etiam capite, quo illam ex instituto statuit, aduersari. Secus neque aduersarij dicere audebunt necessitatem antecedentem viuendi, & omnia sciendi, quæ Augustinus in exemplum adducit relinquere in Deo libertatem, de qua hic agimus ad viuendum, vel non viuendum, aut ad omnia sciendum, vel aliqua ignorandum: ergo neque, vt ostenderet necessitatem, quæ ex scientia, & prædestinatione nostrorum operum est, non obesse libertati absolutæ: sicuti neque necessitas absolutè talis vitæ, & omnis scientiæ Dei libertati à coactione non obest. Postmodum vero à ratione ostendit eam prædestinationis, & præscientiæ necessitatem libertati nostræ non obesse, quia libertatis nostræ exercite opera supponit: ac proinde consequens est non antecedens. Quo eodem sensu ait cap. 11. de corrept. & grat. vers. fin. Non relinqui infirmitati nostræ voluntates sine Dei adiutorio, quo inseparabiliter, & indeclinabiliter necessitate consequenti à Deo aguntur, & in eis agitur vt velint, ne tot tentationibus, & periculis præsua infirmitate succumberent, verba sunt. [Nam, si in tanta infirmitate vitæ huius hominibus relinqueretur voluntas sua sine adiutorio Dei (sine quo perseuerare non possunt) manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur, per congruam vocationem, vt vellent: inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet. Et ideo perseuerare non possent consequenti possibilitate, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent, antecedenti potestate, subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt à diuina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur.

12. Vrgent ex enchiridio c. 105. vbi de statu Beatorum. [Postea vero sic erit, vt malè velle non possit; nec ideo libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato. Neque enim culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri, non solum nolimus, sed nequaquam. Protsus velle possimus. Sicut ergo, nunc etiam, anima nostra nolle infœlicitatem, ita tunc nolle iniquitatem, semper habitura est.] Et consone 22. de ciuit. cap. 30. propè med. [Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabiliter liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare; sed potuit, & peccare. Hoc autem nouissimum, & potentius erit, quo peccare non poterit.] De natura & grat. cap. 46. [*Per quam absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nescio qua, & bona constrictione natura, nec dicere audemus: ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ: quia non potest velle peccare.* Concordat Anselm. dial. de libero arbit. cap. 1. dicens: *Libertatem arbitrij non puto esse potentiam peccandi: quippe, si hoc eius esset definitio; nec Deus, nec Angelus, qui peccare nequeunt liberum haberent arbitrium. Quod nefas est dicere.* Subinferius. *Non pertinet ad definitionem arbitrij posse peccare. Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas.* Inferiusculè. *Qui sic habet, quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat liberior est, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod dedecet, & non expedit, valeat adduci.* Omnia hæc scholastici plures citati à nostro Ruiz d. 45. sect. 4. de libertate à coactione explicant. Vt autem genuine respondeamus difficultatum contra nos ex his testimoniis tria capita distinguenda sunt. Primum ex reprobata ab Anselmo in definitione libertatis, adhuc partialis, potestate ad peccandum leuissima difficultas est. Nam potestas peccandi ad speciem vnam libertatis generatim definiendæ pertinet: scilicet libertatis peccandi quare non magis ad libertatis vniuersim, & generice sumptæ adhuc partialis, seu partialiter pertinere potest, quam rationale, quod vnius speciei animalis essentiale est, ad animalis generice, & vniuersim sumpti essentiam, & definitionem spectare queat; alioqui, vt inferebat in simili Anselmus nihil animal esset, quod rationale, aut homo non foret. Secunda difficultas de necessitate amoris viatorum erga beatitudinem in communi quam non obstare libertati nostræ Augustinus aiebat. Cui duplex solutio est iuxta duplicem satis probabilem Theologorum doctrinam. Nimirum Beatitudinem in communi nos ad amorem sui non necessitare, quoad exercitium, sed solum, quoad specificationem: ac proinde libertatem contradictionis relinquere; licet non relinquat libertatem contrarietatis: quia, & si ad sui amorem non cogat, ast eius nolitionem, seu fugam in nobis non patitur: quare eam nolle non possumus, vt Augustinus aiebat, possumus autem non velle. Altera doctrina est: admittendo fœlicitatem, & beatitudinem

nem in communi non posse nos, pro hoc etiam statu non amare, adhuc quo ad exercitium: id autem non tollere quominus fœlicitatem, & beatitudinem in particulari, hanc scilicet, & illam, liberè, & quo ad speciem, & quo ad exercitium amare possimus, & amemus alteramque alteri exercitæ præferamus: quod solum vult Augustinus, & sufficit, vt libertas nostra absolutè non desit. Tertia difficultas est de libertate Dei, & Beatorum cum impotentia peccandi: quam perfectiorem, maiorem, potentioremque Augustinus, & Anselmus aiebant: sed opus erat aduersariis ostendere hos Patres libertatem ad peccandum, & non peccandum, cum impotentia peccandi maiorem, perfectiorem, & potentiorem in Deo, & Beatis asserere: id quod iam nemo Thomistarum dicere audebit: cum ad libertatem, de qua disputamus, simultatem potentiæ ad vtrumvis extremum necessariam esse fateantur, & testimonia hæc negant in Deo, & Beatis ad peccandum potestatem. Solum ergo volunt Patres in eis non aboleri absolutè libertatem, ex eo, quod ad peccandum libertas deficiat: siquidem ad alia omnia honesta, & bona, quorumque omissio peccatum non sit, prosequenda, vel secus, potestatem, ac libertatem habent, & maiorem quidem perfectiorem, & potentiorem: tum quia potentia ad peccandum imbecillitas potius & impotentia est: tum quia per impotentiam peccandi alia libertas à seruitute peccati perfectissime, & nobilissime à Deo, & Beatis possidetur: nempè eius seruitutis ineapacitas Dei, per naturam, & Beatorum, per statum suum felicissimum, & amorem Dei clarè visi: in quem super omnia feruntur, ac iucundissime inardescunt.

QVÆSTIO III.

An Conciliorum, & Pontificum definitionibus Thomistarum recentium præfinitiones ad absolutam contingentis futuritionem aduersentur?

ET hoc seorsim adamusim examinari oportet. Siquidem res nobis, non solum contra Caluinianos, & Lutheranos, sed & contra Catholicos nostrarum actionum præfinitores à Deo Conciliorum, & Pontificum, atque Ecclesiasticarum definitionum obseruatores est. Præsertim, cum videam horum aliquos non solum de efficacibus contra ipsos Tridentini definitionibus declinandis, atque à se auertendis (quod mihi haud facilis operæ videbatur) sed in nos etiam conuertendis curare: atque adeo Ioannem à S. Thoma clamare: *Nimis stupide ipsis obiici Caluinismum*, contra quem eiusmodi definitiones editæ sunt. Ex hoc enim districto definitionum Tridentini, se non ensis, Innocentij, eiusque immediati successoris, & Domini nostri Alexandri 7. aduersus Caluinum, Lutherum, & ipsorum reliquias editarum examine clarebit, malè ne obiicientium, an malè respondentium stupor sit?

CERTAMEN I.

Certa nonnulla pro expedita, & genuina definitionum Tridentini contra Caluinum, & Lutherum intelligentia prænotantur.

1. PRimo supponendum est Concilium Tridentinum decreta, & Canones subiiciendos aduersus errores Caluini, & Lutheri (quibus præsertim ab Ecclesia eradicandis coactum concilium illud fuit) statuisse, & euulgasse. Indubitatum id etiam apud hæreticos, & catholicos Thomistas recentiores semper fuit: quare suppositione, quam probatione opus habet. Sunt autem ea Tridentini ad rem præsentem testimonia, canones, & decreta. Primum sess. 6. cap. 5. vbi statuit: & si nostræ conuersionis, & iustificationis exordium è gratiosa Dei voluntate, vocatione, & auxilio, minime remuneratorio, ad illam excitante, & adiuuante semper sit, fieri tamen illam, & peragi à nobis [eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando: ita vt tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat illam inspirationem recipiens (consensu suo vt præfati hæretici aiebant) quippe qui illam, & abiicere possit; neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit (vt Pelagiani, ac semipelagiani aberrarunt) vnde in sacris litteris cum dicitur (Zachar. 4.) conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos; libertatis nostræ admonemur, cum respondemus (sine orationis Hierem. & cap. 31.) conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: Dei nos gratia præueniri confitemur.] Media igitur inter aduersos errores (& Pelagij totum iustificationis, & conuersionis negotium nostri arbitrij liberati, & potestati quondam tribuentis, & Caluini, ac Lutheri totum Dei voluntati, & gratiæ Dei committentis) via incedendum Catholicis decernit: vt & Dei voluntati, & gratiæ, & arbitrij nostri potestati in conuersionis negotio suæ partes catholice contra vtrumque errorem seruentur. Eius vero decreti catholica doctrina ita contra Caluinum, & Lutherum, eorumque præfinitiones canonem 4. sess. eadem instruxit Tridentinum. [Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis (formalis habitualis) gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere: anathema sit.] Item canonem 22. contra vtrumque memoratum errorem his edidit verbis. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse iuxta Pelagium, vel cum eo non posse anathema sit.* Quod extremum contra præfinitores omnes actionum humanarum est, vt postea expendemus. Denique canone 32. *Si quis dixerit: hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, &c. anathema sit.* Est autem canonis huius definitio definitioni canonis 6. adeo connexa, atque meritum operis cum eius libertate connexum sit.

2. Supponendum est secundo: vocibus cooperandi, & agendi ex parte nostri, etiam id, ad quod mouemur, præuenimur, excitamur, adiuuamurque à Deo non solum significari actiuum nostrum influxum & operationem, seu cooperationem similem cooperationi agentium reliquorum naturalium, sed actionem, & cooperationem cum pleno eius dominio, & potestate ad oppositum. Probatur primo, quia alium modum operandi, etiam spontanee, ac sine propria coactione Caluinus Lutherus, & affectæ, quorum eis locis doctrina anathematizatur, aliam actionem, & cooperationem Deo excitanti, præuenienti, adiuuanti, & cooperanti non negabant, arbitrio nostro: imo expresse admittebant semper & præsertim locis postea referendis, dum concordiam suarum, cum Thomisticis præfinitionum, & solutionum examinemus; solamque actionem, & cooperationem nostram cum dominio, & potestate non agendi, siue agendi oppositum negabant. Secundo: quia agere stricte id solum apud Philosophos, Patres, & scholasticos semper significauit. Arist. 1. magnor. moral. [Neque enim inanimatum aliquod agere dicimus: neque etiam animatorum citra hominem quicquam. Manifestum est igitur actionum hominem esse progenitorem,] & 2. Physicor. textu comment. 58. & 59. [Fœlicitas actio quidem est: est enim actio bona. Quare, quæ agere nequeunt, ea neque à fortuna quicquam efficere possunt. Et propterea neque inanimatum vllum, neque bellua, neque puer quicquam efficit à fortuna: quoniam electionem non habet.] Ad quæ S. Thom. lect. 10. [Ad agendum propriè dominium sui actus requirit,] sicuti Aristoteles voce electionis, & facultatis eligendi, & 6. ethicor c. 1. sub init. [Tria sunt in anima, quæ habentur agendi principia, veritatis

veritatisque sensus intellectus, appetitus. Atque sensus nullius est principium actus. Quod quidem ex eo patet: quia belluæ sensum quidem habent; actionis autem sunt expertes.] Cuius eandem reddit rationem de necessario actionum dominio, vt eis agere propriè dicantur agentia; S. Thom. lect. 2. iterum, atque iterum. Inde etiam Arist. 3. ethicor. c. 5. ante med. absurdum reputat, *hominem non esse procreatorem actuum perinde, vt liberorum*, seu filiorum est. Quia alias belluas in potestate agendi, cum suorum scilicet actuum dominio non superaret. Eandem sententiam, vt communem, exploratam, & sum supponit Plato in Phædro, seu dial. de pulchro, atque ex illa animi nostri immortalitatem his probat refecatis aliis antecedentibus, & subsequentibus valde obscuris, & fabulosis. [Cum autem immortale appareat id, quod à seipso mouetur: si quis hoc ipsum animæ essentiam, & rationem dicat, non pudefiet. Omne enim corpus, cui contingit, vt extrinsecus moueatur, inanimatum est; cui, vt extrinsecus ipsum ex se ipso animatum: velut hæc sit animæ (rationalis) natura,] &c. Quibus rationem propriæ huius acceptionis agendi, iam afferendam dedit.

3. Hinc Nemesius Episcop. Emissen. lib. de anima, & eius facultatibus c. 29. alias 5. Philosoph. c. 1. ita actionem propriè dictam definit. *Actio est muneris alicuius functio cum ratione*, id est, consilio, & deliberatione *actiones autem laus, & vituperatio consequitur.* Dixit autem, & ibi, & locis aliis datis q. 2. cert. 1. & 3. nullam laudem, aut vituperationem esse actionum, quæ non ex libertate, potestate, ac dominio ad oppositum, sed potius ex determinatione, & necessitate à nobis fiunt. Consensit Irenæ. 4. aduers. hæres. & titulo, & textu c. 71. & c. 72. sub init. & post med. Chrysostom. hom. 11. in Ioann. quorum verba dedimus locis proximè citatis. Propterea Paulus ad Roman. 7. ex eadem sententia aiebat. *Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Quæ Patres, & interpretes conspirato de operibus, in quibus à concupiscentia ex originali relicta præuenimur, quæque absque libertate, & deliberatione nostra, saltem plena, in nobis fiunt interpretantur: atque ideo ea in nostris operationibus minimè esse computanda cum Paulo docent. Illud item ad Roman. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt*, &c. Patres, interpretes, & scholastici cum August. & S. Thom. ita agi, nos Dei spiritu moueri, vt agamus, & nos: ne liberum nostrum arbitrium, eiusve in suas actiones dominium, vt proprietate sermonis agamus, necessarium, euertatur. Et Dionys. 4. de diuin. nom. circa fin. agentia libera *per se mobilia*, siue in se operabilia vocat: quia ea solummodo *possunt se ipsa mouere*, siue in se, atque à se agere in se ipsa. Et cap. 8. post med. aliquorum sententiam hanc: *debere inesse per se mobilibus, per aliud mobilem necessitatem*: id est libera agentia non esse suæ libertati, vt se ipsa moueant, sed alteri committenda, quod necessitatem motus eis imponat: vti errorem confutat, quia tunc non agerent, sed ab illo altero agerentur cui sententiæ, & rationi omnino concordat sanctus Thom. in comment. lect. 4.

4. Proprietatem huius locutionis fatetur Damascenus, atque eius egregiam rationem dedit non semel. Etenim 2. de fide c. 22. post med. ait. *Irrationalis appetitus irrationalium: & ducuntur à naturali appetitu*, &c. *In hominibus autem rationis compotibus, ducit magis rationalis appetitus, quam ducitur. Liberæ enim potestate, & cum ratione mouetur.* Quasi dicat: si libera potestate, & rationis deliberatione moueretur solum ab alio actiones determinante: passiuè quidem potius ageretur: ac subinde actiuè proprie non ageret, seque duceret; sed duceretur: vt de irrationali appetitu diximus. Pergit in eadem sententiam subinferius. *Liberè consultat, liberè iudicat, liberè amat, liberè eligit, liberè mouetur, & liberè agit in hus, quæ secundum naturam suam.* Ecce conditiones liberè, seu propriè, & strictè agendi. Sed clarius adhuc, & conclusionem, & rationem hanc dedit c. 27. his verbis. [Quod rationale est, domina est suarum actionum, & arbitrio liberum. Vnde & rationis expertia ducuntur magis à natura, quam ducant; quapropter non contradicunt, resistuntve naturali appetitui, sed simul atque quidquam appetierint, impetu feruntur ad prosecutionem. Verum homo, rationalis cum sit, ducit magis naturam, quam ducatur. Qua propter appetens vbi quidpiam velit, potestatem habet refrænandi appetitum, aut ipsum sequi.] Pro verbo *ducere* habet *agere* vetustior translatio, quam sequuntur scholastici vetustiores S. Thom. proximè citandus, S. Bonauent. Albert. Alex. Scotus, Henric. Ricard. Bassol. infrà. Et græca quidem vos æquè vtrumque significat, & *ducere*, & *agere*. Imo, & agere tantumdem, atque ducere, impellere, mouere, & incitare apud thesaurum linguæ latinæ huiusque peritos valet. Prestius tamen, & luculentius & rem hanc, & rationem dedit nobis August. 5. de ciuit. c. 9. sub finem scribens: [Causa rerum, quæ facit, & non fit, Deus est. Aliæ vero causæ, & faciunt, & fiunt: sicut sunt omnes creati spiritus maximè rationales. Corporales autem causæ, quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumerandæ: quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.

5. Huic porro sententiæ, & rationi annuit expressè S. Thom. singulatim testimonia approbans recitata, & in primis q. 5. de verit. art. 9. ad 4. vbi hanc Augustini sententiam obiecerat, respondet: [Quod illud dicitur agere, quod habet dominium super actionem suam. Secundum quem modum loquendi dicit Damascenus: quod animalia bruta non agunt, sed aguntur.] Et textum recitatum Aristotelis ex 2. Physicor. sic illustrat commentario suo lect. 10. [Eius proprie est agere, quod habet dominium sui actus. Quod autem non habet dominium sui actus magis agitur, quam agit. Et ideo actus non est in potestate eius, quod agitur; sed magis in potestate eius, quod agit ipsum.] Et ad recitatum locum Arist. ex 6. ethicor. sic ait lect. 2. [Duo opera dicuntur esse propria homini: scilicet cognitio veritatis, & actus; in quantum, scilicet, homo agit tanquam dominus proprij actus, & non tanquam actus, vel ductus ab aliquo. Inferiusculè. Sensus nullius actus principium est, eo, scilicet, modo, vt per sensum haberi possit dominium actus. Quod quidem manifestum est per hoc, quod bestiæ habent quidem sensum, non tamen communicant actum: quia non habent dominium sui actus. Non enim à se ipsis agunt, sed mouentur instinctu naturæ.] Et 3. 2. q. 1. art. 2. corp. [Rationalia seipsa mouent ad finem: quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium. Vnde subdit. Proprium est naturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens in finem. Naturæ vero irrationalis, vt quasi ab alio acta, vel ducta siue in finem apprehensum sicut bruta animalia, siue in finem non apprehensum, vt ea, quæ omnino cognitione carent.] Et 3. cont. gent. c. 110. post med. [Omnia, quæ ratione carent, aguntur tantum, & non agunt seipsa. Non enim sui actus dominium habent, ac ferè statim. Substantiæ rationales, siue intellectuales, non tantum aguntur; sed etiam agunt se ad proprios actus.] q. 9. de potentia art. 1. ad 3. docet nomen hypostasis, siue suppositi, & si generale substantiis omnibus, rationalibus tamen, tanquam nobiliori modo per se stantibus, applicitum ab antiquis fuisse [quia hoc, quod est per se agere excellentiori modo conuenit substantiis rationalis naturæ, quam aliis. Nam solæ substantiæ rationales habent dominium, sui actus; ita, quod in eis est agere, & non agere. Aliæ vero substantiæ magis aguntur, quam agant.] Quam rationem applicandi communem vocem hypostasis suppositi nobiliori, nimirum rationali, vt aiebat Boëtius lib. de duabus nat. post med. dedit etiam S. Thom. commentans eum Boëtij locum, denique 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. [Non præfigitur homini virtus operatiua determinata ad vnum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quasi ab altero directè in finem; non autem seipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt.] Eidem conclusioni, & rationi de propria actione solis rationalibus agentibus liberis competenti annuunt Albert. 2. p. quæst. 91. in 1. & 2. corp. q. 16. arg. 7. Alex. 2. p. q. 29. in 1. art. 2. q. 74. n. 2. post med. & cum Damasceno proximè recitato. S. Bonau. in 2. d. 25. art. 1. q. 1. corp. med. & ad 3 & 4. Scotus q. vn. vers. fin. circa §. *Dico ergo.* & deinceps Bassolis q. 1

art.2, vers. fin. Ricard. art.1. quæst.2. vers. *Sed contra*, Hentic. Gandau. quodlib.1. quæst.16. sub init. quodlib.9. quæst.5. quodlib. 11. quæst.6. part.2. sum. art.45. q.3. post med. Theophil. Rayner. in Pantheologia sua verb. *Prouidentia*, cap.3. fine verb. *gratia*, c.2. fin. Conradus 1.2. q.1. art.2. comment.4.

6. Supponendum est tertio recitatis Concilij locis non eo solum Lutheranos & Caluinistas, quod nomen libertatis arbitrij nostræ in respondendo, & consentiendo diuinæ voluntati, vocationi, adiutorio, motioni, excitationi, & auxilio gratiæ inficiarentur; sed quod rem ipsam quæ libertatis nomini subest, eaque voce significatur, negarent: id quod negare ausit catholicorum nemo. Etenim, vt rectè eminentissimus, ac venerabilissimus noster Cardinalis Bellarminus, & Gabriel Pennotus, grauis cum primis, & acutus Theologus suo propugnaculo libertatis lib.1.c.19.n.8.tantus studiorum vigiliarum, orationum disputationum, sessionum, à tot, tantisque Patribus in Tridentino habitarum, apparatus ad quæstionem de solo nomine desiendam, & quæ satis dictionariis, & thesauro Latinæ linguæ dirimererur, otiosus, & inutilis videretur. Probari autem (si forte negantes quandoque fuerint) facilè potest. Primo: quia libera cooperatio nostra voluntati, motioni, & adiutorio Dei ipsissima definitione essentiali libertatis secundum rem sumptæ definitur, & illam, quæ ea definitione definitur negantes recitatis testimoniis damnantur: ergo rem ipsam, nec solum libertatis nomen negantes damnantur recitatis Tridentini testimoniis: & subinde libertas nostræ cooperationis; secundum rem ipsam, nec solum secundum nomen libertatis eisdem locis definitur. Consequentia est certa: antecedens probatur illis verbis datis ex cap. 5. *Quippe qui illam* (inspirationem, qua per prædestinationem, & voluntatem Dei cor hominis tangitur) *& abiicere potest*. Et illis etiam ex can. 4. quibus damnat dicentes: *hominis arbitrium non posse Deo mouenti, excitanti, & vocanti dissentire, si velit*: ait posse abiicere inspirationem illi renuendo, posseque Deo excitanti, vocanti, & mouenti pro libito dissentire res ipsa libertatis, seu potestas indifferens ad vtrumvis (in qua illa reipsa in actu primo consistit) omnino est: atque Deo vocanti ita ex ea potestate indifferenti cooperari, vt possit homo eam renuendo abiicere, atque arbitrium dissentire, si velit est res ipsa exercitij libertatis in actu secundo, seu cooperationis liberæ: ergo eis locis res ipsa, nec solum nomen, libertatis etiam, cum in actu primo, tum in actu secundo posita Dei prædestinatione, vocatione, & adiutorio definitur: eamque negantes Lutherus, & Caluinus damnantur. Probatur secundo ex eadem sess. 6. Tridentini can. 5. immediato, in quo, Caluinus, Lutherus, & asseclæ dicentes. *Liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse, aut rem esse de solo titulo: imo titulum sine re* anathematizantur. Vbi apertè præfati hæretici eo canone damnati nomen libertatis admittere dicuntur: rem vero ipsam libertatis solummodo negasse: de eoque errore damnantur; non autem de nomine libertatis negato, nedum de eo solum negato, quod admittebant.

7. Tertiò probatur. Quia, cum post Tridentinum maior longè potiorque (vt quæst.6. videbimus) Theologorum pars: & Patres omnes recitati quæst.2. & 4. recitandi asserant arbitrium, etiam non coactum, sed necessitatum antecedenter, atque irresistibiliter determinatum ad vnum extremum ex oppositis apponendum, non ritè, rectèque, sed abusiuè solum liberum dici, Tridentini damnationem non denegata solum à præfatis hæreticis libertatis voce, sed etiam reipsa libertatis fuisse euincitur: alioqui ij omnes apertè à Tridentino deficerent, planéque hæretici deprehenderentur: ac merito ab aduersariis ea in re hæresis accusarentur; quod tamen aduersariorum nemini hucvsque in mentem venit: & si alios Pelagianorum, & Semipelagianorum errores præfatis doctoribus, vt cumque, affucre illi omnes in casum tentarint: quin & Patres Concilij, ita etiam cap. illo censent: dum ideo libertatem de nostra cooperatione Deo vocanti prædicant: *quia possumus Dei ita vocantis abiicere vocationem.* Quod quidem res ipsa libertatis est: quarto cum voces eatenus solum definiri queant, quatenus significatæ per illas sermonis proprietate obiectiuæ veritates de fide, ac reuelatæ à Deo sunt. Non potuit hæc propositio, *arbitrium nostrum Deo vocante, & mouente, ac prædestinante liberum est: quia vocationem abiicere potest*: ni res ipsa libertatis de fide, ac reuelata à Deo esset, simulque definiretur, vt talis. Denique res hæc certis adeo discursibus non eget, sed verbis hæreticorum ipsis euincitur, qui se de re libertatis, non autem de nomine cum Catholicis certare errore suo fatentur. Audiatur Caluinus 2. instit. cap.2.sect.7. & 8. *Egregia*, inquit, *libertas, si homo quidem non cogitur ad seruiendum peccato, sic tamen est αὐτεξούσιος, vt vinctus teneatur peccati compedibus eius voluntas? equidem Logomachias* (pugnas de nomine) *abominor, quibus frustra Ecclesia fatigatur; sed religiose censeo cauendas eas voces, qua absurdum aliquid sonant: præsertim vbi perniciose erratur. Quotus autem quisque est, qui, dum assignari homini liberum arbitrium audit, non statim concipit illum esse, & mentis sua, & voluntatis dominum, qui flectere se in vtramque partem à seipso possit?* Rei ergo libertatis (quam in potestate & dominio arbitrij ad flectendum se in vtrumque à se ipso omnes sitam intelligimus) periculum timet in eius vocis vsu: quam cum eius significati correctione admitti posse, sic statim pergit. *Atque sublatum erit eiusmodi periculum, si de significatione*, (libertatis arbitrij à sola nimirum coactione) *diligenter plebs admoneatur.* Ac rursus ait. *Ita si quis dictionis huius vsum non prauæ intelligentia* (immunitatis ab omni necessitate, nec solum à coactione) *sibi permittat, per me non vexabitur ob hanc rem. Sed, quia sine ingenti periculo retineri non posse censeo: magno contra Ecclesiæ bono futurum si aboleatur: neque ipse vsurpare velim: & alios si me consulant, abstinere optarim.* His æque clara, cum Caluini, & sequacium, tum Lutheranorum ad rem hanc testimonia sequentibus certaminibus producemus.

8. Supponendum est quarto: præfatas Concilij definitiones (& idem est de definitionibus Concilij Senonensis, & Pontificum Innocentij, & eius successoris Alexan.7. vt ex rationibus statim subiiciendis patebit) non esse solum de auxilio sufficienti, & motione Dei, ac non proueniente à præfinitione prædeterminatiua iuxta Recentium Thomistarum sententiam, de qua in præsentiarum agimus, sed de omni auxilio, & motione Dei efficaci, & quæ à præfinitione prædeterminatiua proueniat iuxta eosdem, nec solum de aliqua motione inefficaci scilicet, vel aliqua efficaci suppositio est contra Bañez 1. part. quæst.23. articul.3. ad 7. argum. Iabeli & 1.2. quæst.10. art.1. §. *Iam vero ad solutionem*, qui vnus ex Thomistis expresse de auxilio sufficienti eas definitiones interpretatur. Alij verò nonnulli in eum sensum possunt benigne intelligi, ne videantur adeo expresse Tridentini, & Senonensis definitionibus aduersari: dum ait Nauarrete controu. 21. de auxilio, §. 8. circa finem *voluntatem non posse resistere physicæ prædeterminationi*. Dauila dum ait de auxil. cap. 20. *Deo mouenti nil valet resistere*, quod vtique de solo auxilio efficaci in eius sententia dici potest. Aluar. d. 92. de auxil. num. 8. concluf. 4. cum dixit. *Necesse non est, quod cuicumque auxilio præuenientis gratiæ possit homo absolutè dissentire, si velit.* Probatur facile primo ex verbis ipsis earum definitionum. Eis quippè dicitur cap.5. *Nos cooperari, & assentiri liberè Deo vocanti*, &c. redditurque ratio. *Quippè, qui & illam abiicere potest*, & can. 4. *ita cooperari hominem assentiendo Deo, vocanti, vt possit dissentire, si velit.* Soli vero gratiæ, & motioni Dei efficaci, non autem sufficienti, cooperatio, & assensus noster adiungitur (in quocumque velis vocationis auxilij, & motionis diuinæ efficaciam, siue intrinseco, siue extrinseco constituere: de quo modo non disputo) omnium opinione: ergo de auxilio, & motione efficaci fuere præfatæ definitiones Concilij. Confirmatur: quia, nec Caluiniani, nec Lutherani, contra quos ibi agebatur, negabant vocationi Dei cuivis, atque ex inefficaci voluntari operis, & consensus nostri oriundæ posse nos

nos dissentire, resistere, eamque abiicere; sed ei solum, per quam arbitrio nostro necessitas agendi imponitur, resisti, ac dissentire à nobis minime posse: atqui vocatio, motioque Dei ita necessitans nos ad agendum sola est motio, & vocatio efficax oriunda ex præfinitione consensus iuxta hæreticos præfatos: ergo de eiusmodi motione, & vocatione efficaci definitiones Tridentini procedunt. Vrgetur: quia præfati hæretici nullam vocationem gratiamve Dei mouentem nos, & adiuuantem ad bona, & salutaria opera recognoscunt, præter efficacem ortam ex præfinitione diuina de eiusmodi operibus, quare Canone 17. recitando infra num. 11. damnantur quod reprobis omnem Dei gratiam auxiliantem denegent. Vnde Cornelius Iansenius inter errores alios in materia gratiæ hunc etiam ex Caluinismo ebibit. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Vt ex definitionibus Innocentij I., & Alexandri certum, 5. constabit, quem errorem, vti exploratum Caluinismi, & Lutheranismi dogma Germaniæ vtriusque, & Galliæ Lutherani, & Caluinistæ tutati sunt: & post eas etiam definitiones obstinato defendunt: omnis autem vocatio, motioque Dei, cui nunquam resistitur efficax est: ergo à Caluinistis, & Lutheranis, à quibus solum admittitur gratia, seu motio Dei, cui nunquam resistitur, nulla gratia, & motio Dei, quæ efficax non sit, sed solum sufficiens, admittitur. Quare quæ contra hos hæreticos Concilia, & Pontifices contra Iansenistas super eo definierunt de gratia, & motione Dei efficaci, orta ex præfinitione efficaci consensus definierunt, vt prima parte suppositi huius ponebamus.

9. Secunda eiusdem suppositi pars erat. Definitiones præfatas non posse intelligi de gratia, seu motione, & vocatione Dei efficaci aliqua solum, non autem de omni, sed de omni gratia, & motione Dei efficaci esse vniuersim omnino, ac necessario intelligendas. Hæc pars videtur directè pugnare cum genuino sensu sententiæ Didaci Aluarez recitatæ num. proximo, qua Concilij definitiones à suis præfinitionibus & prædeterminationibus auertere tentauit. Verum, si perdoctus Pater vidisset attente acta Concilij Tridentini videret ab eius Patribus præclusum effugium: quare non esse à Sano Theologo deinceps tentandum. Etenim 2. p. Actor. Tridentini Theologus quidam Concilio, & Patribus proposuit, vt illis verbis ex Canone 4. recitatis, *posse dissentire si velit*, adderetur, *communi vocationi*, vt alicui alteri, cui de facto consentit liberum arbitrium, non communi locum definitio relinqueret, vt non posse dissentiri, credi, dicique posset; eam verò propositionem Concilium reiectauit, ac vniuersim, & sine eo addito, & limitatione Canonem voluit, iussitque euulgari. Probatur secundo: quia propositio, qua definit Concilium hominem posse abiicere efficacem motionem, & vocationem Dei, illique dissentire, si velit, indefinita est: ergo vniuersim de omni motione, & vocatione efficaci debet intelligi. Probatur: quia, nisi ita propositiones indefinitæ definitiuæ intelligantur, nihil definitiones præstabunt. Facile enim dicent hæretici errorem suum non damnari: quia non damnatur propositio in omni, sed in aliquo sensu indeterminato, qui nondum explicatur in ea definitione: quare necdum suum sensum esse ea propositione indefinita damnatum: ergo eiusmodi propositiones definitiuæ, & doctrinales vniuersalibus æquiualent, vt aliquid valeant, nec sistant in vanis definitionum vmbris, & larvatis paterorum terriculamentis. Probatur tertio: quia ex Tridentini definitione libere cooperatur gratiæ, & motioni Dei liberum arbitrium, nec se habet, vt in animæ instrumentum: *quia illam abiicere potest, illique dissentire, si velit*, ergo contra omnem gratiam, & motionem Dei, cui non possit dissentire arbitrium, si velit, eamque renuendo abiicere, definit Concilium tollere illius libertatem: & ita demum omnes Thomistæ fatentur. Hæc quidem in omni motione Dei efficaci Caluiniana, & Lutherana reperiri certissimum est: quia contra eam editæ illæ definitiones, & anathematismi sunt. Et quia ita Caluinistæ, & Lutherani fatentur An verò etiam inuocatione, & præmotione Dei ab intrinseco efficaci, seu prædeterminatione Thomistarum recentiorum inueniatur? nunc non disputamus: spectat enim ad materiam de efficaci gratia, & auxiliis, à qua abstinemus: quamquam ad id dignoscendum magnam afferant lucem, quæ hic de præfinitionibus Thomisticis disputantes subiiciemus.

10. Quintò suppono: ex præfinitoribus, hactenus Catholicis, humanarum actionum cum Thomistis recentibus, tum Scotistis pauculis iunioribus, omnes in eo conuenire: vt auxilij, seu motionis diuinæ efficacia intrinseca, inseparabilisque à consensu, ad quod mouet, & arbitrio nostro auxiliatur, omninoque ab exercitio nostræ libertatis independens, illudque sit antecedens: Item efficaciam antecedentem hanc essentialiter supponere diuinam consensus præfinitionem. Id autem non eodem modo ab eis omnibus asseritur. Nam Scotistæ pauculi memorati, atque ex Thomistis nonnulli, adhuc pauciores, censent auxilium efficax inseparabile antecedenter à consensu esse non ex intrinseca sua entitate nuda, sed ex præfinitione diuina, seu decreto absoluto de se efficaci consensus ipsius, sine quo consensu in statu absoluto, siue existentiæ, aut futuritionis absolutæ poni, esseve nequit. Thomistæ verò reliqui communiter docent efficaciam auxilij antecedentem connexam inseparabiliter à consensu, ad quem efficax auxilium est, quaque independenter à nostro arbitrio posita irresistibiliter, & ineluctabiliter ponendus consensus est, & cum qua coniungi eius omissio nullo modo possit physicæ promotioni, & prædeterminationi Dei, necessariæ essentialiter, vt consensus à voluntate, & arbitrio nostro opponatur, intrinsecam omnino esse. Ceterum sine præfinitione diuina eiusmodi auxilium efficax, siue auxilij efficaciam, ac physicam præmotionem, & prædeterminationem physicam poni in rebus minime posse: quia nimirum præfinitio necessario prærequisitum, & essentiale principium actiuum totale cum efficacis auxilij, physicæve præmotionis, & prædeterminationis, tum patriale consensus ipsius est, & connexum subinde cum consensu ipso antecedenter ineluctabiliter, & irresistibiliter à nostra voluntate. Præsentis autem instituti nostri non est, in quonam eiusmodi efficacia auxilij diuini formaliter realiter consistat disputare: an in nuda, & intrinseca auxilij efficacia? an in aliquo extrinseco, siue omnino antecedenti, siue subsequente exercitium liberum nostræ voluntatis. Sed an præfinitio consensus essentialiter consensum, siue tanquam auxilij efficaciam realiter formaliter constituens, siue tanquam necessario prærequisitum principium illius, antecedens, cum eoque ita connexum de se, vt ea posita ineluctabiliter, & irresistibiliter ab arbitrio nostro consensus necessario apponendus sit, vt cum ea inconiungibilis sit consensus omissio præfatis definitionibus, & anathematismis Tridentini repugnet?

11. Quod vt dilucidius appareat: ac simul nos à disputatione de efficacia auxiliorum in præsentiarum abstinere cunctis innoteat, Suppono sexto, & vltimo definitiones, & anathematismos præfatos, non de solis auxiliis, seu gratiis efficacibus abstracte, ac sine Dei voluntate consensus, & auxilij loqui, sed, vt illam concernunt, siue imbibitam in eis, siue suppositam. Probatur primo, quia Caluinus, & Lutherus in suis præfinitionibus humanorum actuum à Deo præcipue aberrarunt, quin de mediis vix curarint: asserentes prædestinationem, & reprobationem in præfinitione siue boni, siue mali antecedenter ad vsum nostræ libertatis, & arbitrij, & cui in effectu apponendo resisti nequeat, consistere. Hoc enim ita statuto parui eorum referebat, cuiusmodi naturæ, & conditionis esset inde ortum, & paratum gratiæ auxilium. Vnde Canone 18. eiusdem sess. 6. contra eos dicitur. *Si quis iustificationis gratiam non, nisi prædestinatis, ad vitam contingere dixerit; reliquos verò omnes qui vocantur vocari quidem. Sed gratiam non accipere, vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum anathema sit.* Secundo: quia gratiæ auxilium quodvis ab eiusmodi præfinitione nequit re ipsa & gratiæ formalitate præscindere: cum non solum ab illa necessario in sententia eorum proueniat, sed, & ex illa gratiam esse habeat: quippe gratia, & beneficium omne è gratuita, & liberali voluntate, qua à donatore confertur, ineffe gratiæ, & beneficij realiter formaliter constituitur. Tertio: tam cap. 5. quam can. 4. Deo Tangente cor hominis eius inspirationem abiici posse, & arbitrium à Deo motum eius motioni posse dissentire, si velit, definitur: in Deo verò mouente, & tan-

gente cor hominis ab eius voluntate mouendi, & tangendi non præscinditur. Vtrumque ergo, capitis, scilicet definitio, & Canonis anathematismus in oppositum errorem editus, non solum de gratiæ auxilio, sed & de voluntate Dei, cui dissentire, & à qua discedere absolute non possimus loquuntur. Et quamvis de auxilio solum in terminis esset, cum rationem definitio contineat ad ea omnia, ad quæ ea ratio aperte, ac certo extendatur, & definitionem virtualiter, & implicite extendi certum omnino est. Nunc autem examinandum est an contra Thomistarum recentium præfinitiones ex vna parte ad absolutam humanorum actuum existentiam, & futuritionem essentialiter prærequisitas, & necessarias de se connexa inexitabiliter cum operatione præfinita, atque ex alia parte omnino independenter à nostræ libertatis vsu à Deo conceptas Tridentini definitiones procedant.

CERTAMEN II.

Argumentum contra præfinitiones Thomistarum recentium ex præfatis locis Tridentini de seruata libertate cooperationis nostræ à Deo vocante, & præmouente instruitur, eorumque tentata effugia è mente Caluinistarum, & contra Concilij mentem videri.

1. EX his Tridentini locis argumentor sic. Eo per Tridentini testimonia, & definitiones datas, libere cooperatur arbitrium Deo mouenti, excitanti, tangendique cor hominis, &c. quia tunc etiam, cum cooperatur, Dei motionem, vocationem, & inspirationem, *abiicere potest*, illi renuendo, & ita Deo mouenti, *potest dissentire, si velit*: atqui mouenti & vocanti Deo ex præfinitione præfata consensus nostri arbitrium, nec vocationem abiicere tunc potest illi renuendo, nec Deo ita vocanti dissentire, si velit: ergo ex Tridentini definita etiam ratione præfinitiones prædeterminatiuæ nostri consensus prædictæ arbitrij libertatem euertunt: quare & definitæ etiam ipsius libertati in cooperatione Deo mouenti, & vocanti contradicunt. Minor, quæ sola opus probatione habet, probatur primo: quia ex doctoribus omnibus ita præfinientibus eiusmodi præfinitiones, & necessaria essentialiter principia sunt, vel ad consensum & auxilium, seu motionem Dei efficacem apponendam, vel ad eam constituendam in actu primo efficacem. Vt vidimus cert. 1. num. 10. quare, & omnino antecedenter, & independenter à libertate exercenda in consensu positæ sunt. Insuper eis positis non potest non esse, seu omitti consensus, cum quo essentia, & entitate sua connexæ sunt: & sine quo esse in seipsis, vt esse ponuntur, nusquam possunt: ergo neque eis positis potest voluntas illa abiicere, eisve dissentire. Probatur consequentia, quia illarum abiectio, dissensusque illis est non esse, seu omissio consensus à voluntate: atqui positis præfinitionibus nequit esse non esse, seu omissio consensus à voluntate: ergo nec potest esse abiectio illarū, seu dissensus illis à voluntate. Primam illam minorem admittunt in simili de efficaci inerrabilique auxilio Dominicani recitati cert. 1. n. 8. Secundo arguo: quia nil aliud Caluinianæ, & Lutheranæ præfinitiones, Deusque ea præfinitione vocans, ac præmouens, in eorum errore eis locis à Tridentino damnato, habent, quam non posse voluntatem eiusmodi præfinitioni, Deoque ex illa vocanti, & præmouenti dissentiri, eamve, vel Deum ita mouentem abiicere: quin aliquid aliud contra libertatem asseruerint, aliave ratione, aut alia de causa à Tridentino damnentur, vt ex data definitione, & anathematismo constat: sed hoc totum in præfinitionibus Thomisticis inuenitur: ergo æque hæ, atque Caluinianæ, & Lutheranæ præfinitiones ea definitione, & anathematismo damnari videntur. Probatur tertio: quia nihil aliud, quoad præiudicium libertatis nostræ, asserunt de suis præfinitionibus hæretici prædicti, quam de suis asserant Thomistæ recentiores: nullamque potentiam ad dissentiendum Deo præfinienti, & ita vocanti admittere hi possunt, quam illi admittere nequeant, imo quam de facto non admittant: ergo æque tanguntur Tridentini definitione, & anathematismo vtrique. Prima antecedentis pars probatur. Tum, quia præfati hæretici de suis præfinitionibus solum aiunt necessario antecedenter, & independenter ab vsu nostræ libertatis poni, eisque positis non posse absolute non poni à nostra voluntate consensum præfinitum, cui essentia, & entitate sua præfinitiones suæ connexæ sunt: quod totum præfinitiones Thomisticæ habent: quod enim nonnulli aiunt Thomistæ ab hæreticis non admitti libertatis nomen, quod ab ipsis tamen Catholice admittitur: friuolum est. Ostendimus enim certam. 1. num. 6. Concilij definitionem, & anathematismum circa rem libertatis, nec solum circa eius nomen esse.

2. Insuper prima eius antecedentis pars constabit ex dicendis pro secunda parte antecedentis, quam probo ex variis doctrinis, & solutionibus, quas Thomistæ recentiores huic argumento ex humanorum actuum libertate cum ab authoritatibus Tridentini, tum à ratione, & principiis naturalibus efformato solent adhibere; nosque ostendemus eas etiam omnes non solum in Caluinistis præfinitionibus locum eundem habere: atque adeo, si aliquæ ex illis via Thomisticæ præfinitiones definitioni Tridentini non opponantur, eiusque anathematismum euadant, eadem Caluinicas, & similes Tridentini fulmina declinare: nihilque subinde firmum contra Caluinistarum, & similium præfinitiones actum à Tridentino fuisse, cum tamen nihil aliud in primis curarit: quod dictu absurdum est, & nefarium. Sed etiam eas omnes solutiones singulatim à Caluino, & similibus pro suis præfinitionibus datas, & eis non obstantibus, tanquam inutilibus, præfinitiones à Tridentino damnatas esse, tanquam libertatis nostræ ruinam, nec potestatem ad oppositum in arbitrio nostro relinquentes. Hoc vnum est præsentis loci institutum: eas siquidem singulatim à ratione (cuiuscumque demum euasiones sint) præcludere quæstionis 6. negotium erit. Iam Thomisticas solutiones iterum percurramus, conferamusque cum Concilij verbis, & Caluini, ac similium euasionibus. Prima est præfinitionibus Thomisticis, quantumvis antecedentibus, atque independenter ab vsu libertatis nostræ positis, & de sese connexis cum consensu voluntatis præfinito, voluntatem nihilominus nostram ad consensum non cogi. Sed liberum à coactione consentire: quam solam libertatem à coactione definitam volunt contra Caluinum, & alios hæreticos nostrarum actionum præfinitores: quia ita Deum eas præfinire, atque ex ea præfinitione nos vocare aiebant: vt nec cor aperiret, sed potius clauderet: quare nec iura seruaret libertatis arbitrij, sed potius illud cogeret ad actionem præfinitam. Præfinitionibus verò Thomisticis aperiri à Deo cor, non claudi: quare, nec cogi, ita ex Thomistis aliqui, & prolixius Ioann. à S. Thoma 1. par. d. 20. art. 7. pag. 677. & 693. ex congregat. 38. ex habitis Romæ pro disputationibus de auxiliis, in qua ita retulisse errorem Caluini Armacanum ait. Sed certe vt id docuisset Caluinus, non id solum de suis præfinitionibus docuit: de alio quippe citatis locis damnatur aperte: quod libertatem à necessitate, nec solum à coactione ab humano arbitrio suis præfinitionibus abstulerit, auferendo ad oppositum eius, quod operatur potestatem. Concilij enim definitio de libertate, & ratio etiam ibi definita ait, ad libertatem exerciti operis requiri ex parte principij potestatem ad oppositum: atqui potestas ad oppositum operis exerciti non requiritur ad libertatem à sola coactione, sed etiam ad libertatem ab omni vinculo necessitatis arbitrij ad operandum, etiam per aduersarios: ergo hæc libertas, nec sola libertas à coactione arbitrij nostri in operando, seu cooperando volenti, & vocanti, & præmouenti nos ex illa sua misericordi voluntate Deo definitur à Tridentino contra Caluinum: quare ex definitionibus Tridentini patet nunc, vt minimum, non solam libertatem à coactione, sed etiam libertatem ab omni vinculo necessitatis negasse. Vnde etiam constat solutionem hanc irrito ad euertendam Tridenti-

ni

ni authoritatem, & nostrum inde efformatum argumentum deelinandum induci. Contendit siquidem cum præfinitionibus Thomisticis esse aliquam necessitatem arbitrij ad operandum: ac non esse potestatem ad oppositum operi præfinito, neque libertatem absolute talem ab omni necessitate ad operandum: quod, etsi ea necessitas coactionis non sit, verum esse potest: imo & de facto ita esse argumentum factum euincit; ergo ei non satisfit sola libertate à coactione: etsi, quoad eam libertatem, Thomistæ à Caluinistis eam negantibus discordarent.

3. Sed certe, ne in eo quidem, à Caluinistis præfinitoribus discrepare videntur præfinitores Thomistæ. Caluinus siquidem necessitatem antecedentem suarum præfinitionum coactiuam arbitrij nostri non esse, ac proinde eis positis liberum à coactione præfinitum opus operari expresse etiam vbique fatetur. Primo enim vt ex 2. institut. cap. 2. sect. 7. & 8. referebamus cert. 1. n. 7. tet, quaterque, asserit voluntatem non cogi quidem à Deo eius opera præfiniente, atque ex ea præmouente, & vocante. Licet libertate hac à sola coactione, ac non ab omni vinculo necessitatis in operando ex communi hominum iudicio de essentia absolutæ libertatis, liberum nec esse, nec dici absolute posse censeat; dici tamen liberum permittat, si prius explicetur libertatis voce solam libertatem à coactione intelligi ab ita loquentibus, eisdemque capitibus, & sect. etiam 6. frequenter eandem suam doctrinam repetit. Sed illa speciatim notanda, quæ præmissa triplicis libertatis distinctione à necessitate quam inamissibilem vocat, & à peccato, & à miseria, quas ait per peccatum amissas subnectit. *Hanc distinctionem ego libenter recipio: nisi quod illic* (in membro primo libertatis inamissibilis à necessitate) *necessitas cum coactione perperam confunditur: inter quas, quantum discriminis sit, & quam necessario considerandum alibi apparebit.* Additque, *liberi arbitrij dici hominem non ex libera alterutrius electione: sed quia voluntate agit, non coactione optime id quidem.* Ac deinde Augustinum laudat dicentem cap. 14. de corrept. & grat. *Deum homines voluntatibus trahere.* Reprobatque dicentes. *Deum homines sicut lapides mouere*, c. vero 3. exemplo Augustiniano equi à sessore moti vsus, omnem à Deo præfiniente, & præmouente coactionis in voluntatem nostram suspicionem propulsat, asserens se sicuti Augustinum eo exemplo vti, *quandiu melius non occurrit*, & eo cap. 3. sect. 14. ait, *quod autem dici alibi* (Augustinus) *non tolli gratia voluntatem, sed ex mala mutari in bonam: & cum bona fuerit adiurari, significat tantum: hominem non ita trahi, vt sine motu cordis, quasi extraneo impulsu feratur; sed intus sic affici, vt ex corde obsequatur.* Iterum citato cap. 2. hoc alio Augustini loco recitato. *Agis, & ageris: & tunc bene agis, si à bono agaris spiritu Dei, qui te agit. Agentibus adiutor est: nomen adiutoris prescribit, quod, & tu aliquid agas.* Subdit. *Priore membro admonet actionum hominis non tolli spiritus sancti motu: quia à natura est voluntas, quæ requiritur, vt ad bonum assit: quod autem mox adiungit: ex nomine auxilij posse colligi nos etiam aliquid agere: non conuenit ita accipere, quasi seorsim aliquid nobis tribuat; sed ne forte putet ignauiam, sic Dei actionem cum nostra conciliat: vt velle sit à natura; bene autem velle à gratia.* Sed ad hæc est illustrius Caluini testimonium, quod præter data, & alia eius fragmenta quam plurima refert Ruardus art. 7. à pag 377. deinceps vbi hæc ex illo, *voluntatem autem necessitate in malum trahi, vel duci, quamvis libertate abdicata, offendit eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt. At si quis interroget eos: an non necessario Deus bonus sit? An non Diabolus necessario malus? quid respondeant? sic enim connexa est bonitas cum diuinitate, vt non magis necessarium sit ipsum esse Deum, quam bonum. Diabolus autem per lapsum sic ab omni communione alienatus est, vt nihil, quam male agere, possit: quod si quis sacrilegus abgeniat Deo parum laudis ex sua bonitate deberi, ad quam seruandam cogatur, cui non erit prompta responsio: quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessario iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas.*] Alia adhuc libertati nostræ non à coactione solum, sed & à necessitate fauentia ex Melanchthone referam n. 5.

5. Audi Vvicleffum hæresum harum semina iacientem.

care dicet, quod sit peccandi necessitati obnoxius? quis in suas partes Magistrum vt trahat corrumpit teste Bellarmino 3. de grat. & lib. arbitr. cap. 4. circa med. *Pronuntiat*, inquit, *tandem Lombardus: non liberi arbitrij ideo nos esse, quod ad bonum & malum, vel agendum, vel cogitandum peraque polleamus; sed dumtaxat, quod coactione soluti simus.* Eodemque teste lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap. 15. sent. 8. Ruard. eod. art. 7. pag. 376. Camerario de grat. & lib. arbitr. cap. 3. post med. & cap. 6 sic ait 2. aduersus Pighium. [Si coactioni opponitur libertas liberum esse arbitrium, & constanter asseuero: & pro hæretico, quisquis secus sentiat; quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu; sed sponte sua. Sed cum aliud vulgo concipiant, dum hoc epitheton homini attributum, vel audiunt, vel legunt: & ad facultates, vires que referant: & imaginatio hæc in mentem veniat habere sub potestate sua bonum, & malum, vt alterum eligere suapte natura queat, hæc causa est, cur mihi displiceat.]

4. Similiter Lutherus, etsi meram passionem voluntati nostræ tribuere, videatur, tamen apud Ruardum citat art. 7. pag. 356. aliquam tribuit illi actiuitatem, licet non à se, sed per impressum à Deo impulsum his verbis, *Voluntas incarnata, seu in opus externum effusa recte potest dici cooperari, & actiuitatem habere: sicut gladius in vulnere facto*: quare eius discipuli solam actiuitatem à se, id est potestatem agendi, & non agendi opus præfinitum arbitrio nostro negatam à Luthero aiunt, vt videre est in Kemnitio examine Tridentini censura in sess. 6. circa fin. teste Bellarmino 6. de grat. c. 9. Iudoco Toletano 1. par. Apologiæ pro Trident. circa med. fol. 185. & in Buccezo apud Bellarmin. lib. 3. cap. 4. med. Et sane, licet Lutherus aliquid amplius aliquando verbis sonet hoc vnum contendisse exploratum est: nempe voluntatem nostram nihil ex dominio, & potestate indifferenti in suos actus agere, non autem eam sine cognitione, & concursu actiuitatis suæ intrinsecæ, ac proinde violenter operari, & coacte; sed solum non operari liberam à necessitate omni ad operandum. Vide illum fragmentis variis teste Rossense art. 36. sub med. fol. 346. sæpe dicentem. *Non est in potestate hominis, non est in arbitrio hominis.* Et illam sui erroris ampliorem explicationem ibidem ab eodem, & à Ruardo citato art. 7. pag. 356. recitatam. [Error est, quod liberum arbitrium sit Dominus actuum suorum: quod vna solius Apostoli authoritas satis confutat, fuistis serui peccati; liberati autem à peccato serui facti estis iustitiæ. Ita in quocumque statu vitæ sumus serui sumus, seu concupiscentiæ, seu charitatis.] Subinferius. [Liberum arbitrium est figmentum in rebus, quia nulli est in potestate sua quidquam cogitare, vel mali, vel boni; sed omnia (vt Vviclephi articulus Constantiæ damnatus recte docet) de necessitate absolute eueniunt.] Ex quibus constat Lutheri in suo errore mentem eam solum fuisse, vt libertatem à necessitate negaret, non autem à coactione: voceisque illas meræ passionis eo sensu ab eo dictas, quo Tridentinum damnat asserentes mere passiue nos in actionibus humanis, & vt in anima instrumenta nos habere: hoc est, quin dum assentimur possimus dissentiri si velimus Deo volenti nostrum opus, & ex ea voluntate nos præmouenti, & vocanti, atque ita collatam vocationem, & præmotionem abiicere. Eadem est Melanchthonis doctrina apud Ruardum cit. art. 7. & pag. 160. aientis. *Non probo deliramenta Manichæorum, qui prorsus nullam voluntati actionem tribuebant: ne quidem adiurante Spiritu Sancto: quasi nihil interesset inter statuam, & hominem.* Punctumque controuersiæ suæ suorumque cum Catholicis de libertate absolute tali; siue ab omni necessitate proponit, ac iuxta suum errorem dirimit locis Vvitembergæ cusis anno 1521. teste Ruardo citato ar. 7. pag. 358. Cochæo 2. de lib. arbitr. text. 3. [Est autem libertas, posse agere, & non agere: posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionem vocatur: sitne libera voluntas? Responsio: quandoquidem omnia quæ eueniunt, necessario iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas.] Alia adhuc libertati nostræ non à coactione solum, sed & à necessitate fauentia ex Melanchthone referam n. 5.

tem.2. Trialogi cap.13. ita apud Vvaldens. 1. doctrinal. fid. art. 1. cap. 23. loquentem: *Deus necessitat creaturas singulas actiuas ad quemlibet actum suum: etsi sunt aliqui prædestinati; hoc est post laborem ordinati ad gloriam.* Ecce prædestinatorum actiuitatem, laborem, & ex parte etiam sua conatum, & spontaneum subinde, is hæreticus recognoscit; non autem absolute liberum, sed necessarium. Dicit enim apud Vvaldensem eo lib. 1. col. 2. & 3. *absolute necessarium est, quod damnatus ponat obicem in peccato.* Et rursus. *Infans præscitus, & baptizatus necessario viuet diutius, & peccabit in Spiritum Sanctum, ratione cuius merebitur, vt perpetuo damnetur.* Et apud eundem ibidem cap. 23. *Propositum Dei oportet necessario impleri, & sic omne futurum necessario euenire.* Et cap. 22. col. penult. ex eodem Vvicleffo hæc refert. *Deus non illibertatur quicquam facere, licet absolute necessario illud fiat: sicut non illibertatur producere verbum, vel Spiritum Sanctum, licet absolute necessario illud agat.* Et c. 25. hæc etiam ex illo recitat. *Est libertas in Angelis confirmatis, qui tamen ad hoc agendum quod agunt, summa necessitate trahunt.* Cum autem in Deo, & Angelis circa præfata, non sit libertas indifferentiæ potestatis solam in illis libertatem à coactione admittit: atque ita eius hac in re errorem Asseclas tueri testatur Vvaldens. cit. cap. 23. *Vvicleffista communiter respondent: quod Deus non necessitat necessitate coactionis ad bonum, vel malum futurum: quia illa sola tollit arbitrij dignitatem; non autem alia necessitas præueniens absolute futuritionem effectus.* Et cap. 24. longe à med. hæc ex ipsis refert. *Non inuite peccauit, quia voluntate sua necessario peccauit.* Michael, item Baius horum sequax propositione 38. ex damnatis à Pio V. & Greg. XIII. vt referunt Bellarmin 3. de grat. & lib. arbit. c. 5. §. *Adde quod*, & Soario 3. par. tit. 1. d. 37. sect. 2. circa fin. aiebat, *quod voluntarie sit, libere fit, quamuis necessario fiat.* Aliis hæreticorum locis recitandis parco: quia ex datis abunde constat hæreticos hosce à Tridentino damnatos cum operum nostrorum è suis præfinitionibus necessitate nostram à coactione libertatem, non minus clare, quam recentes Thomistas cum suarum præfinitionum necessitate fuisse professos: quare ea via Tridentini definitionem, & anathematismum declinari ab his minime posse.

6. Respondent secundo ex Aluares 3. de Auxil. d. 22. num. 30. & 2. responsion. cap. 2. n. 7. & lib. 4. cap. 3. n. 16. cap. 13. num. 1. 5. & 12. & ex actis congregationis illius 38. (vel potius suis) Ioann. à S. Thom. 1. p. d. 20. artic. 7. §. *Igitur cum nobis*, quoad antecedens totum præfinitionum necessario, & essentialiter connexarum cum opere præfinito, atque ante omnem vsum libertatis nostræ potitarum, iliudque opus ineuitabiliter deuoluentium, &c. sibi cum hæreticis conuenire: neutrosque in eo errasse; Ab illis vero quoad consequentiam maxime Thomistas discordare. Hæretici enim ex eiusmodi præfinitionibus omnino antecedentibus ex parte actus primi, & pro eo signo necessitatibus voluntatem ad contensum præfinitum inferri libertatis nostræ euersionem fatentur, & mordicus erronee defendunt; eam verò illationem Catholice Thomistæ negant. Verum, vel hæc differentia stat in negata à Thomistis illatione ex communi ipsis cum hæreticis antecedenti præfinitionum ad nostræ libertatis euersionem, quoad nomen solum, vel quoad rem libertatis: & quoad nomen quidem constat ex cert. 1. num. 6. & 7. & ex proxime datis hæreticorum, præcipue Vvicleffi, & suorum testimoniis n. 5. & Caluini n. 4. vers. finem, neque eius libertatis nomen negasse, neque de eo damnatos; sed de re ipsa libertatis negata: quin nec iure à Tridentino damnandos, quod nomen libertatis negarent, si rem ipsam libertatis non manere Concilium admitteret: quod verò, quoad rem auferri ex illo antecedenti arbitrij nostri libertatem præfati hæretici docuerint, hæresis accusatos damnatosque à Tridentino minimè fuisse, patet omnino: quia, cum ea fuerit Molinæ & doctorum societatis doctrina, & præcipuum ipsius pro scientia media, & auxiliis non ab intrinseco, sed ab extrinseco efficacibus fundamentum: eaque omnia ad Sedem Apostolicam delata, ac tot publicis disputationibus examinata, ac demum ea omnia, vt sanæ doctrinæ, & prorsus à Catholica fede eadem sit declarata: eam consequentiam ex illo antecedenti deductam, neque à Tridentino eis locis contra præfatos hæreticos damnatam, neque erroneam esse certissimum est. Contra secundo: quia ex ipsis Patribus, qui Tridentino adfuere, etiam Dominicanis primoribus, eam consequentiam legitimam, & irrefragabilem Patres iudicarunt: ac proinde nō illam damnatam esse à Tridentino, sed vniuersim antecedens, vt cert. 3. videbimus. Tertio contra: quia, vt qu. 5. constabit post Tridentinum maior longe, potiorque Theologorum pars eam consequentiam ex illo antecedenti necessariam, ac prorsus ineuitabilem censet. Contra quarto: quia vt quæst. 7. patebit ea consequentia ex principiis naturalibus, primis, & per se notis in Philosophia, & Theologia naturali euidenter procedit, vt idcirco nesciam, an omnino verum sit, quod in re præsenti Lutherani, & Caluinistæ proueribij loco (ita è controuersiis Catholicis accepi) iactare solent, *se quidem melliores Dominicanis præfinitoribus, & prædeterminatoribus Philosophos esse; etsi hi forte sint Theologi ipsis præstantiores.* Et sane, vt prudenter, & docte Soarius noster 1. de auxil. cap. 11. n. 1. Id Thomistarum in principio isto Caluinico, & Lutherano (ex quo ægerrime, vt minimum, arbitrij, & actionum nostrarum libertas defenditur) fœdus, quo, vel Ecclesiæ, vel Catholicorum hominum fructu initum, retentumque tandiu sit, prorsus ignoratur: quinto denique: cum fatentur se in antecedenti, & principio illo toto præfinitionum ex parte actus primi requisitarum, & necessitantium ad opus cum in toto illo sit, & necessitas operis ex parte actus primi, & pro eodem signo omissionis impossibilitas, seu arbitrij impotentia ad omittendum præfinitum, quam hæretici admittunt, & ex qua Tridentinum infert libertatem nostri arbitrij, & consensus euerti, cum definit, eo nos libere consentire Deo ex misericordi voluntate nos excitanti, mouenti, & corda nostra tangenti, *quia ei dissentire, si velimus*, eumque ita mouentem, &c. *abiicere*, absolute possumus: nescio quo pacto, fonteve consequentia, quam potius definit, ibidem damnata dici ab aduersariis potuit.

7. At inquiunt ab ipsis totum antecedens hæreticorum admitti, quoad necessitatem ex parte actus primi ad consensum præfinitionibus eius inductam; non autem quoad impotentiam ad oppositum, seu consensus præfiniti omissionem. Mitto solutionis in terminis ipsis repugnantiam. Eo enim ipso, quod aliquid quovis signo, & modo necessarium est, pro eodem modo & signo eius contradictorium est impossibile; si statæ modalium propositionum regulæ conseruandæ, & obseruandæ sint, de quo fusè qu. 7. Secundo: error Vvicleffi propositionibus recitatis num. 5. contentus solam necessitatem operis nostri à Deo præfiniti continet, quin de impotentia pro eo signo arbitrij nostri ad eius omissionem verbum sit vllum; & tamen eius error damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 8. Tertio; is etiam error vt reliquorum Lutheri, & Caluini hac in re fons, & scaturigo damnatus eis locis à Tridentino fuit. Quarto Melanchton ipse in epitome moralis Philosophiæ teste Ruardo cit. articul. 7. pag. 362. hanc etiam solutionem tentauit his verbis. *Necesse est hominibus delectum, & libertatem esse, qua sibi officia legis imperent: cum constet eos aliequi posse contraria actiones facere.* Et tamen, etsi hic potentiam ad oppositum ex presse concesserit: quia necessitatem præfinitionum suarum pro signo antecedenti ad opus non deseruit, ac retractauit, sed simul semper defendit Tridentino fulminatus, ab omnibus merito censetur: quia, dum ea necessitas non abiicitur, potentia pro eo signo priori naturæ, pro quo necessitas operis est, & subinde libertas, verbo quidem tenus, non autem re ipsa concedi potest: vti ex modorum, quibus vtrumque componere Thomistæ volunt impugnationibus cum hic, tum qu. 6. citata clarebit. Contra quinto arguo, & quartam impugnationem confirmo: quia idem Melanchthon Ioannis cochlæi impugnationibus lib. de libero arbit. contra ipsum perculsus, vt suarum præfinitionum necessitatem pro priori ad opus cum huius libertate, & potentia arbitrij nostri ad oppositum, quam cochlæi argumenta eluincebant, facilius componeret; illam suarum præfinitionum necessitatem fatalem non esse fassus est; sed quæ operis præfiniti contingentiam, & potentiam subinde ad oppositum arbitrio nostro relinqueret. Eius verba ex opere locorum communium impresso anno 1545. refert Ruardus etiam art. 7. pag. 359. in hunc

hunc modum. *Non esse defendendam fatalem necessitatem, sed aliquam contingentiam concedendam. Non necesse fuit Alexandrum occidere clitum.* Et tamen hac in materia hæreticus habetur à Tridentino damnatus: quia non omnem necessitatem pro priori naturæ abiecit, etsi fatalem verbis negauit: quod etiam de suarum præfinionum necessitate Thomistæ contra quos agimus respondere solent.

8. Sexta impugnatio plurimas continet, quas singulatim contra modos singulos, quibus cum præfata præfinitionum necessitate potentiam arbitri ad oppositum operis præfiniti, atque ex ea præfinitione apponendi tuentur, vt Tridentini impetum mitius excipiant. Primus ipsisque solemnis, & (vt rentur) tutissimus, cunctisque notissimus, est ex distinctione illa sensus compositi, & diuisi, quæ si verò, quem habet sensu applicari doctrinæ suæ posset, eoque, quo ab ipsis accipitur in præfinitionibus etiam hæreticorum locum non haberet, Tridentinæ definitioni obviarent neque eius anathematismo subiacerent. Sed eam tamen Reuer. Salm. Acad. Theologiæ Antecessor Dominicanus Mag. Ioannes Vincentius manuscripto in 1. part. quæst. 19 art. 8. dub. 2. concl. 3. teste Ledesma de auxil. art. 14. §. *Hæc difficultas celeberrima*, his sugillauit, *distinctio sensus compositi, & diuisi in hac parte leuissima est: tota enim consistit in verbis.* Dupliciter autem ea distinctio, atque ex ea solutio explicata à Thomistis fuit. Primo, vt necessitas operis præfiniti, & impotentia arbitrij ad eius oppositum illius necessitatis comes, sit in sensu composito præfinitionis; sit potentia ad oppositum, & proinde necessitatis consensus negatio, sit in sensu diuiso præfinitionis, seu voluntatis à præfinitione, ita Bannez 1. par. qu. 22. art. 3. dub. vult. prope, §. *Ad motiua*, & art. 5. dub. 1. ad 7. Lucili, Cabezudo 3. par. t. 1. qu. 52. art. 5. qu. sua 2. Concl. 6. §. *ad 12. argum.* Ledesma de auxil. art. 10. §. *Tertia solutio*, Aluarez 9. de auxil. d 94 n. 2. & 2. responsion. cap. 1. n. 30. Franciscus Dauila de auxil. c. vlt. pag 390. *Vbi sensus diuisus est, quia si motio vocationis auferatur poterit dissentire voluntas; compositus quod stante vocatione simul stare possit resistentia voluntatis.* Eumque esse alterum suorum Thomistarum sensum testatur Nauarrete t. 2. controuer. 21. §. 18. sub titulo, *libertas voluntatis*, quo etiam sensu eos refert Lorca 1. 2. t. 1. quæst. 2. §. 2. eamque sensu eodem solutionem suorum esse commilitonum testatur Thomista Cabrera 3. p. t. 2. qu. 18. art. 4. d. 8. n. 313. eoque Stomacho reiectat, *vt merito appellari ab aduersariis errorem in fide*, docuerit: quæ retuli, quoniam Thomistæ nonnulli querule dolent hunc suæ distinctionis sensum illis impositum à nostris esse, cum ipsi secundo solum, mox subiiciendo, sensu illa fuerint vsi. Sed præter citatos legant Nauarretum suum cit. controuer. 21. §. 3. qui eam visus est supra, vt alienam referre, scribentem de suo. *Supposita præmotione Dei necesse est quod voluntas operetur actum ad quem præmouetur; & non potest contingere, quod voluntas non operetur.* Legant, & eius vbi proxime cenforem Cabreram, qui t. 3. qu. 61. art. 1. d. 8. §. 7. n. 121. & 130. ait, *posito auxilio præuio in sensu composito necessario operatur voluntas, & non potest non operari.* Legant item Franciscus Dauila citatum cap. 19. *ex ipsamet motionis diuinæ natura fit, vt voluntas non possit non velle.* Et sane etiam post secundum, in quo quiescere volunt, excogitatum sensum vulgaris illis ea propositio est, *posita præmotione* (& quod idem est ad præsens præfinitio) *non posse voluntatem dissentire, aut non posse non esse consensum in sensu composito, siue coniunctim cum illa.* Aiunt non posse absolute voluntatem aliquid, siue illud non posse absolute poni à voluntate in sensu illo composito, illum omnino est, atque voluntatem non habere potentiam absolute in sensu composito ad illud apponendum, siue, vt illud ab ipsa apponatur, vt persequar. qu. 7. quare in re, hactenus prima illa eius distinctionis explicatio, quam à Deo detrectant, suisque falso impositam dolent, atque hæreticorum propriam, non suorum clamat Mag. Herrera Dominicanus, & Primarius Salmant. manuscripto de auxil. dub. 5. post. 6. concl. 7. retenta à Thomistis videtur. Hæc satis pro citationum fidelitate: eius verò explicationis sensus est, quem rectè explicuit Basil. Legion. manuscripto de auxiliis anno 1613. d. 4. dub. 2. falsoque vi argumenti Thomistas refert: scilicet dissentiendi potentiam hanc esse in voluntate, si gratia efficax, seu præfinitio absit, abesseve.

9. Hac verò distinctione, & sensu eius primo Concilij definitioni, & anathematismo, indeque efformato argumento minime satisfieri probatur primo: quia Concilij verba expresè potentiam abiiciendi, & dissentiendi esse in voluntate nostra Deo volenti, & misericorditer vocanti, excitanti, & tangenti cor hominis inspiratione sancta, cui de facto respondet admittendam definit, vt saluetur libertas, & negantes illam damnat: atqui cum abest Dei voluntas misericors ex eaque vocatio, excitatio, motio, tactusque cordis à Deo, non est Deus misericordi voluntate mouens, vocans, excitans, tangensque cor, &c. ergo, etsi tunc adsit potentia voluntatis nostræ abiiciendi Deo misericorditer vocanti, &c. non est potestas abiiciendi, & dissentiendi definita à Concilio: ergo, vt detur potentia dissentiendi, & abiiciendi definita a Concilio in voluntate necessaria ad eius in operando libertatem tuendam, Dei misericors voluntas, atque ex illa vocatio, & motio, &c. adesse debent: proinde potentia definita à Concilio in sensu composito eorum omnium concedenda est, quam quia aduersariorum præfinitiones non patiuntur, aduersarij negant. Secundo: Nemo hæreticus ex damnatis in Tridentino, siue Vvicleffitis, siue Lutheranis, siue Caluinistis asseruit in sensu diuiso à suis præfinitionibus esse arbitrij necessitatem ad consensum præfinitum; ac subinde in potentiam ad oppositum, seu (quod eodem recidit) negauit potentiam arbitrio ad omissionem consensus præfiniti, siue ad oppositum dissensum: quin expresè illam asserebant, vt videre est in opere Caluini contra Albertum Pighium lib. 4. vbi ait deficiente Dei præfinitione, & gratia omissionem consensus non solum esse à voluntate possibilem, sed pro tunc necessario futuram: quia quando sub illis voluntas non est, *in modum lapidis obdurescit*, & recitando loco contra secundam huius distinctionis explicationem Thomisticam hoc etiam docet: cum ergo negata ab his hæreticis potentia abiiciendi, dissentiendi Deo volenti consensum, & ad illum vocanti, & mouenti, non sit potentia in sensu diuiso, sed in sensu composito voluntatis, & vocationis diuinæ, hanc assertam contra ipsos Concilij definitione, & Anathematismo certissimum est. Contra tertio: quia potentia hæc in sensu diuiso solum est potentia, quæ esset, si abesset præfinitio, vt recte Basilius Legionensis: atqui potentia sub conditione non purificata, absoluta potentia non est: ergo ex potentia in sensu diuiso non saluatur potentia absoluta, qua nos, dum Dei voluntati, & motioni cooperamur, posse absolute dissentire, & abiicere Tridentini definitione dicimur. Contra quarto: quia in Concilio definitur contra Caluinum, Lutherum Vvicleffum, & Asseclas voluntatem Dei, & inde ortam gratiam efficacem non euertere libertatem cooperantis Deo, eiusque voluntati, & inde ortæ efficaci gratiæ, quia hæc relinquunt potentiam ad oppositum in cooperante; atqui potentia ad oppositum in sensu solum diuiso à præfinitione, & gratia efficaci non est satis ad saluandam libertatem in cooperando sub illis: ergo, non hæc, sed potentia voluntatis cooperantis præfinitioni, & gratiæ efficaci Dei, dum adsunt, siue in sensu composito illarum definita est à Tridentino. Minor probatur exemplis quam plurimis, & obuiis. Nam vinctus, & catenatus, etsi habeat potentiam ambulandi in sensu diuiso à catenis, & vinculis, non tamen ambulandi absolutam, & quæ absolute talis, & sufficiens sit, libertatem ambulandi. Item in aduersariorum sententia voluntas sub visione beata non habet potentiam absolutam liberam ad amandum Deum, & sufficientem ad libertatem, sed necessitatem absolutam ad illum amandum libertati ad illud repugnantem: & tamen habet potentiam non amandi illum in sensu diuiso à visione beata: ergo, &c. ex quibus constat hac solutione, si præstaret, posse damnatos hæreticos Tridentini damnationes ridere, seque illis minime tangi merito iactare.

10. Ob hæc à Deo perspicua secundam suæ huius distinctionis explicationem, & sensum aduersarij tandem excogitarunt: admittentes potentiam in sensu composito præfinitionis, & vocationis efficacis, quibus cooperatur, & assentitur nostra voluntas ad oppositam omissionem assensus, seu dissensum; etsi non sit potentia ad coniungendam omissionem consensus, seu dissensum cum præfini-

tione ; & motione Dei, cui voluntas assentitur ; sic enim cum præfinitione stat quidem potentiæ ad vtrumque simultas, licet non sit potentia simultatis extremi oppositi præfinito cum præfinitione, & motione Dei præfatis : sicut stat recte cum amore, absoluta, & actualis ad odium etiam potentia requisita ad amoris libertatem: etsi non sit potentia simultatis, ad odium scilicet cum amore coniungendum : & quemadmodum, licet in subiecto albo non sit potentia simultatis in sensu composito, seu ad coniungendam nigredinem cum albedine ; est tamen in sensu composito potentia etiam ad recipiendam nigredinem : quare & simultas potentiæ ad vtramque. Ita Aluarez 9. de auxiliis d.92.num 6. & 2. responsion. c.1. num.29. & 30. Ledesma de auxil. art.10. §.*Tertia solutio*. Num.Cabezudo 3. part.tit.1.quæst.62. sua verò qu.2. concluf.6. §. *Ad quintum argum.* Cabrera 3. par.t.2.q.18. art.4 d.2.§ 10.n.364. Zumel.1. variar. d.5. in appendice, §. *Ad tertium*.Ioseph à Sancta Maria tract.de lib.arbit. in communi quæst 4. art.6. §.*Deco* 7. & §.*Supponendum* 7. Nazarius 1. par.qu.19. art.5. controuerf. vn. §.1. *Vt simul qu*, 22.art.4. controuer. 2. ad argumenta conclusionis 7. §.*Secundo respondeo*. Greg.Martinez 1.2.t.1. qu.10. art.4. dub.1. conclus.2.§. *Ad 1. argum.* Magist. Petr. de Herrera Primar. Salmantinus citata Lectura de auxil. anno 1610. dub.5. post 6. conclusion. §.*Secundo hoc declaratur*. Et iam omnes Thomistæ hoc secundo distinctionis sensu in tuto se à Tridentino fulmine positos censent. Sed eos tamen censeo secundo hoc distinctionis sensu, & explicatione, tutiori haud quaquam loco positos esse, quam primo. Etsi subterranea (quorum obscuritati magis secunda hoc explicatio similior) sint à fulminibus tutiora. Enimre ipsa eadem cum illa explicatione prima est, vt ostendam cum eam q.7. à ratione euoluam,& impugnem:secundo.Hanc ipsam doctrinæ,& distinctionis explicationem reiectam à Tridentinis Patribus testatur Doct.Ioan.à Bononia Louaniensis professor. Et Archidiacon. Panormitanus opere de prædestin. & reprobat. cuso Louanij anno 1565. duobus post absolutum Tridentinum anno 1563. nimirum titulo de lib. hominis arbitr. sub init. §.*Cæterum, quia non desunt*, pag.103. his verbis de Thomistis ita explicantibus præfata Tridentini testimonia locutus [Huius œcumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur : dum dicunt habere hominem libertatem arbitrij, vt excitationi, monitionique resistere possit ; sed his diuinis inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi : quoniam ex dicto Reuerendiss.Dom.Hieronymi è Bononia, Sedis Apostolicæ Nuncij dignisf. necnon Archiep. Compsani, Professoris Theologiæ peritiss. atque sacri Palatij Magistri eximij apud Carolum Imperatorem V. cognomento Maximum residentis eandem opinionem in S. Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem,optimo iure,percepi reiectam.

11. Contra tertio : quia Concilium definit voluntatem voluntati Dei, & inde ortæ vocationi efficaci posse dissentire, eamque abiicere renuendo : ast dissentire, &c. est coniungere dissensum cum illis:ergo definit posse voluntatem coniungere dissensum cum præfinitione consensus. Discursus est irrefragabilis : procedit enim à potentia ad definitum, à potentia ad definitionem, quæ idem realiter est cum definito. Rursus confirmatur,quia dissentire dicit essentialiter de connotato existentium cius, à quo dissentimur, vt patet : quia dissensus est recessus vel à iudicio, vel à Concilio, monitioneve alterius, qui non existentibus non est. Sicuti, & dissentiri reuelationi, & definitioni, seu definitis ab Ecclesia veritatibus minime possumus, nisi existenti reuelationi, definitioni, & veritatibus vere, & realiter definitis. Idcirco, nec dum negantes conceptionem immaculatam hæretici sunt : quia, etsi veritas proxime definibilis sit, nondum tamen est eius definitio : ac proinde nondum est, esseve adhuc potest dissensus explorato reuelatis, & definitioni certo proponenti veritatis reuelationem, cui opus est dissentiantur negantes, vt hæresim incurrant : ergo dissentire, ac renuere reuelationi, monitioni, & præfinitioni Dei necessario, & essentialiter importat coniunctionem dissensus cum reuelatione, motione, ac præfinitione Dei:nequit autem,per aduersarios ita distinguentes & explicantes, voluntas coniungere dissensum cum eorum præfinitione,motione, seu vocatione de se efficaci ad consensum : ergo nequit dissentire illis, salve abiicere, vt à Concilio definitur. Quarto : quia simultas hæc potentiæ ad dissensum in sensu composito negata potentia simultatis admittebatur à Caluino, & similibus, qui eo anathematismo Tridentini damnantur, & contra quos definitur potentia dissentiendi : ergo definitur potentia ista simultatis voluntatis, & motionis diuinæ cui cooperatur, & assentitur voluntas cum dissensu. Antecedens constat primo ex Ametlio Caluinista titul.4. *Bellarmini eneruati* lib.4. cap.3. num.1. eandem doctrinam de potentia ad oppositum, seu simultate potentiæ ad vtrumque in sensu composito præfinitionis,& prædeterminationis ex Aluarez refert, atque, vt Caluinianæ suæ sectæ, laudat, & probat 2, quia potentia, quam Thomistæ admittunt ad dissensum stante præfinitione, & motione Dei ab intrinseco efficaci, & in sensu composito illarum est solum facultas entitatiua voluntatis intructa (si placet) cogitatione, seu cogitationibus ad vtrumque, quæ stant cum præfinitione, & præmotione efficaci : ac proinde inquiunt stat potentia, & possibilitas absoluta voluntatis ita instructæ, & secundum hæc consideratæ ad dissensum cum potentia ad consensum præfinitum, seu potentiæ ad vtrumvis, etsi non sit potentia simultatis dissensus cum præfinitione, & præmotione de se efficacibus. Hoc autem ipsum fatentur Caluinus 2. institut. cap.16.& probat exemplo fragilitatis, & infragibilitatis ossium Christi, seu potentiæ, & impotentiæ passiuæ eorum, vt frangerentur : vt primam de sese haberent, cum tamen eorum fractio cum decreto Dei ne frangerentur, coniungi non posse : verba dabimus statim. Nec satis est : quod potentia dissensus, & resistendi, seu posse dissentire vocationi ampliet terminum ad vocationem possibilem, nec solum ad existentem. Primo : quia Concilia,& Pontifices aiunt resistentiam,& dissensum esse Deo vocanti, siue actuali eius vocationi, & motioni,quæ de facto adest.Secundo,quia actualis resistentia non nisi actuali motioni esse potest : ergo possibilis dicet possibilitatem resistendi vocationi possibili, seu possibilitatem coniungendi dissensum, vel omissionem consensus cum vocatione. Hæc autem in aduersariorum doctrina repugnat: ergo, & potentia resistendi, & dissentiendi Deo vocanti ab eis definita ; alias esset potentia realis, & vera ad actum chimæricum, & impossibilem.

12. Dicunt iterum præfinitiones suas esse præfinitiones actionum nostrarum, vt liberarum : ac subinde non excludere potentiam voluntatis ad oppositum eius, quod ex eis præfinitionibus operatur, cum hæc de essentia sit potentiæ liberæ : imo verò illam obfirmare : cum posita præfinitione de modo etiam libertatis in operando, inde etiam implicet voluntatem non eo modo operari, sicque fieri, vt Deus omnia etiam humana fortiter & insuperabiliter, atque irresistibiliter, ac simul suauiter iuxta scripturam disponat, ac prædestinatio nostram non destruat, sed confirmet potius, & perficiat voluntatem, ac libertatem, vt aiebat Augustinus. Caluinicas vero, & similes præfinitiones prædeterminationes de nostrarum actionum substantia, non curato modo conanturali operandi libere voluntatis nostræ esse ; ac proinde potentiæ absolutæ ad oppositum aduersari, & impotentiam in sensu composito sui inducere. Hoc etiam volunt (si quid volunt, nec inanes voces sunt) verba illa ex aduersariis relata numer. 2. præfinitionibus suis necessitari voluntatem à Deo aperiendo cor, non claudendo illud, sicut Caluinicas, & Lutheranas : quia & obiecto indifferenter proposito, & cum modo libertatis voluntatis consensus in Thomistarum sententia præfinitur. In hac etiam solutione est terminorum eius contradictio à ratione ostendenda quæstione 6.Quod autem præfentis instituti est, ostendamus eam etiam solutionem Caluinistarum, & Lutheranorum fuisse, contra quos nihilominus explosum vibratumque Tridentinum fulmen.Audi Caluinum 2. institut. capite secundo, section. 15. eidem verborum fusis ; duram sui erroris frontem linientem, & vocum suauitate lenientem. *Interim*, inquit, *non negamus verissimum esse, quod Augustinus docet: non destrui gratia voluntatem ; sed magis reparari ; Statimque.* [Nihil iam obstat quominus recte agere dicamur,

dicamur, quod agit spiritus Dei in nobis, etiamsi à seipsa nihil conferat nostra voluntas, quod à gratia Dei separetur. Ideoque memoriæ tenendum, quod alibi ex Augustino citauimus: frustra quosdam satagere; vt in hominis voluntate quidquam boni proprium reperiant: quidquid enim mixturæ ex liberi arbitrij virtute afferre student homines ad Dei gratiam, nihil aliud quam eius corruptio est.] Inferius. [Etsi autem quidquid in voluntate boni est ex mero spiritus instinctu prouenit; quia tamen nobis naturaliter ingenitum est velle non abs re coagere dicimur, quorum laudem,] &c. Audi etiam Melanchthonem apud Ruard. cit. art. 7. pag. 171. *Etiamsi præuidet, Deus, & determinat contingentia, tamen ita determinat, ne modum agendi voluntatis, seu ordinationem illam tollat.* Audi & Tuscum Caluinistam lib. 2. contra scientiam med. (apud Annatum in eius scientiæ defensione d. 1.) ita c. 1. p. 432. respondentem argumento de euersione libertatis. [Verum hic Soario rentimur cum vniuersa fere Dominicanorum familia negantium prædeterminationem physicam libertati creaturæ damnosam esse.] Ac statim [Respondemus physicam prædeterminationem ad agendum necessario libertati humanæ inimicam esse, non sic physicam prædeterminationem ad agendum congruenter humanæ naturæ: hoc est deliberato, & libere.] Amessius Caluinista t. 4. *Bellarmini eneruati.* lib. 3. cap. 3. n. 7. hæc recitat ex Aluarez d. 83. concl. 3. *Deus per auxilium efficax gratia physica, siue ad modum causæ physicæ prædeterminat arbitrium creatum, vt libere, & infallibiliter consentiat, & cooperetur Deo excitanti, & vocanti.* Subditque illico. *Hæc sententia sic explicata est nostra:* quod repetit lib. 4. c. 3. n. 1. & lib. 2. c. 2. n. 5. ait: *quod attinet nihil aliud volunt nostri,* (pari Caluinistæ, seu contra Remonstrantes) *quam, quod scholastici docent Thomistæ. Deus motione præuia, applicat voluntatem creatam, vt libere, & infallibiliter operetur: sicut applicat causas secundas, vt naturaliter operentur.* Aluar. d. 23. n. 3. quibus verborum suauibus condimentis hæresim præfinitionum suarum necessitatem, arbitrij in potentiam ad oppositum subdole ita contexit, Melancton vt, doctissimo etiam Ruardo, fecerit fucum: quemadmodum olim Pelagius vocum etiam quarundam suauitate Palestinæ Synodi Patribus.

13. Quoniam verò (vt sæpe hic ostendimus) impotentia ad oppositum in sensu composito præfinitionis de consensu nostro necessitatem ab eis inductum eodem modo, & signo necessario comitatur, hanc verbis etiam, & distinctionibus eisdem temperare aduersarij conantur, vt potentiam absolutam ad oppositum à Tridentino statutam positis, stantibusque præfinitionibus, & præmotionibus suis videantur tueri. Primo aiunt necessitatem suis præfinitionibus inductam non esse necessitatem operandi in voluntate ex natura sua, & secundum se, & essentialia cum ipsius, tum dissensus, qui posita præfinitione non repugnat in se: ac proinde potentia seu posse absolute, quæ ampliant terminos ad omne id, quod absolute, & in se non repugnant, locum in voluntate, cuius consensus præfinitus est, etiam cum præfinitione, & in sensu composito illius omnino habet in id tamen fuit Aluarez d. 92. de auxil. n. 10. §. *Ad 2.* versu. *Secundo respondetur.* Ex quo Ioann. à S. Thom. & fere reliqui. Sed audiant Caluinum 2. institut. cap. 16. eodem enim prorsus modo, & suarum præfinitionum necessitatem, & nostræ voluntatis cum illis potentiam absolutam ad oppositum præfinito consensui fatetur verbis hisce. [Interea, quod statuit Deus, sic necesse est euenire; vt tamen neque præcisè, neque suapte natura necessum sit: exemplum in Christi ossibus familiare occurrit: cum induerit corpus nostro simile fragilia fuisse eius ossa, nemo sanus negabit, suapte nimirum natura; quæ tamen frangi fuit impossibile ex decreto Dei. Vnde iterum videmus non temere in scholis inuentas fuisse distinctiones de necessitate secundum quid, & absoluta: item consequentis, & consequentiæ.] Nec sat erit addi à Thomistis indifferens iudicium rationis bonum, & malum in obiecto voluntati proponens, vt à præfinitionibus Caluinianis recedant, & cum suis libertatem definitam arbitrij nostri componant. Illud liquidem omnes homines præfinitores etiam, siue fatales, siue Caluiniani cum suis præfinitionibus iudicium indifferens stare experimento euidenti norunt, nec infitiabuntur: demum Concilium potentiam ad vtrumvis voluntatis non nudæ sumptæ, sed vocatæ, & prædestinatæ definit.

14. Eis item verbis suas etiam esse duas illas Thomistarum distinctiones, quibus inductam præfinitionibus suis in arbitrium nostrum necessitatem actus præfiniti apponendi, & impotentiam eius ad oppositum à Tridentini definitione, & anathemate liberare, & à necessitate, & inde sub orta impotentia ad oppositum Caluinica, & Lutherana separare contendunt: scilicet necessitatis consequentiæ & non consequentis, & alterius absolutæ necessitatis, & necessitatis secundum quid; ita enim scribit ex Lemos Ioann. à S. Thoma d. 20. artic. 7. pag. 677. errasse Caluinum, *quod scilicet non distinxit inter necessitatem consequentis tollentis libertatem, & necessitatem consequentiæ saluantis libertatem.* Re autem ipsa idem valet distinctio necessitatis consequentis, & consequentiæ, atque necessitatis secundum quid, seu ex suppositione, & absolutæ in vtrorumque sensu. Absoluta quippe tantundem significat, atque natura sua, seu consequentis causalitate ex illa; ex suppositione verò, siue secundum quid, & consequentiæ idem atque ex aliquo extra naturam, & essentiam arbitrij supposito: ex quo liceat illatio consensus ex natura arbitrij sola, ac secundum se sumpti: quare illis duabus ex natura sua, & ex suppositione decreti Caluinus vtitur, ac insuper consequentis, & consequentiæ vsus, etiam altera absoluta, & secundum quid vsus est. Sed ne aliquod verbum distinctionum, quibus Thomistæ ad suarum præfinitionum duritiem, verbo tenus, emolliendam vtuntur, hæreticis à Tridentino nihilominus damnatis deesset ita scripsit Melanchton in locis communibus cussis anno 1536. & 38. apud Ruard. cit. artic. 7. pag. 171. verbis siquidem ex ipso recitatis n. 12. [Caterum illa distinctio necessaria est. Necessitatum, alia est consequentis seu absoluta: qualis est hæc; necesse est Deum esse: Deum esse bonum, iustum, &c. Alia est consequentiæ, vt oporteat subuerti Hierosolymam. Hæc non sunt natura sua necessaria; sed fiunt immutabilia postquam decreta sunt, vt quod mortui reuiuiscent: vel quia sequuntur propter præcedentes causas: vt oporteat hæreses esse,] &c. *Hæc,* subdit, *sunt natura contingentia* (quæ scilicet non ex natura, sed ex decreto, aliaue extrinseca voluntati suppositione venit) *de consequentis verò necessitate ait: libertatem voluntatis tollit:* quia nimirum consequentis, non autem consequentiæ necessitas libertatis inimica est. Si ergo vera essent, quæ ex eodem Lemos scribit Ioann. à S. Thom. cit. pag. 693. Caluini in hac materia doctrina Catholica, neque, Anathemati Tridentini obnoxia haberi omnino deberet. Ita enim ea pag. scribit, *si Caluinus admitteret necessitatem consequentiæ ortam ex Dei efficaci voluntate, optime consistere cum humana libertate, non erraret, sed Catholicam doctrinam doceret.* Constat siquidem ex Caluini, & Melanchthonis etiam testimoniis purificatam esse ab vtroque conditionem, eodemque modo, atque Thomistas admittere eos necessitatem consequentiæ solius, non consequentis ex suis præfinitionibus, æquamque cum illis in voluntate nostra potentiam ad oppositum, & subinde definitam à Tridentino libertatem, quam Thomistæ volunt. Mitto aliam solutionem de necessitate solius infallibilitatis commodius confutandam certamine quarto, dum Pontificum definitiones expendamus.

15. Sed præter solutiones pro argumenti ab authoritate Tridentini eis distinctionibus (quas omnes in præfinitione hæreticorum æquè cadere posse, de factoque cecidisse ostendimus) à Thomistis rentatas suæ à Caluiniana doctrina differentiam aliunde designare contendunt. Primo enim ex suo Lemos ait Ioann. à Sanct. Thom. proxime pag. 694. ipsos admittere decretum, & auxilium, *non solum excitans, sicut Pelagius, nec solum mouens, sicut Caluinus; sed simul excitans, & mouens.* Mitto Pelagium nullatenus admisisse decretum, & auxilium gratiæ Dei excitans, & præueniens motum voluntatis nostræ in bonum, quem ex viribus propriis supponi ad eiusmodi decretum, & Dei auxilium obstinato defendit, Ypis est, vt aiunt, & Tonsoribus notum. Mitto insuper inter mouere, & excitare nullam esse ex parte significati differentiam: ac subinde Caluinum, qui hoc teste decretum, & auxilium *mouens* admisit, totum admisit quod

Thomistæ vocibus, *mouens, & excitans*, admittunt. Sed ne vocibus quidem Thomistis defuit Caluinus. Nam 2. institut.c.3.sect.9.ait. *Hunc itaque in modum, & inchoat, & perficit dominus bonum opus in nobis: vt illius sit, quod in eius studium inclinatur; quod ad eius sectandi conatum incitatur, & mouetur voluntas*; An non *incitari*, excitari, etsi vehementius, significat? Inferius autem ne syllaba vna voluit à Thomistis discrepare. *Bifariam Deus in electis suis operatur: intus per spiritum, extra per verbum spiritu mentes illuminando corda in Iustitiæ amorem, cultumque formando nouam eos creaturam facit: verbo ad eandem renouationem expetendam, quærendam, assequendam excitat. Vtroque manus suæ efficaciam pro dispensationis suæ modo exerit.* Et Tuissius Caluinista veteranus, qui obinde Sanctum Dei Caluinum appellat, apud nostrum Franciscum Annatum in defensione scientiæ mediæ d.1. ita scribit lib.2. contra illum cap.6. pag.363. *Rursus diximus auxilium efficax* (& quod idem est præfinitio) *cuius negatione definitur peccati permissio, esse prædeterminationem physicam, non moralem, licet cum morali excitatione coniunctam.* Secundo ex eodem Lemos ait Ioann. à S. Thom. pag.693. Caluinum præfinitionibus, & auxiliis suis efficacibus negasse auxilium sufficiens. Sed & hoc ex Thomisticis præfinitionibus, & auxiliis inferri inferius ostendemus. Denique eadem pag.693. aliam differentiam assignat, & commentitia illa historia & apochrypha Romanarum congregationum comprobat. Ait enim Congregatio 38. Eminentiss. Cardinali Perronio obiicienti dominicanis Caluinismum Magistrum Lemos simplicis erroris Caluini propositione hac ad silentium vsque fecisse satis.

16. Verba autem sunt. *Illustrissime Domine ego dicam omnia, quæ Caluinus dixit in hac materia de Adam enim ante peccatum dixit habuisse libertatem; nec Deum decreuisse quid acturus esset.* Verum propositio hæc simplicissima est, non tamen vera. Simplicissima quia pro eodem vsurpat habuisse tunc Adamum libertatem, atque eius actiones non esse à Deo decretas: quod solum contendimus, faterique proinde, nonnisi ex animi ingenuitate Thomista potest. Inde enim euidens est actionem esse à Deo decretam, ac liberam non esse, idem prorsus esse. Tum etiam: quia, candidioris adhuc, animi est credere adeo falsa relatione hominis, qui ea monstraret se Caluinum non ex scriptis, sed ex nomine, ac ex inscriptione, vt summum nosset, Cardinalem in eis erroribus, & libris versatissimum ad silentium vsque decipi potuisse, qui frequentibus disputationibus Caluinistas vexauerat. Sed eius propositionis falsitas constat ex Caluino 3. Institut. c.21, & 22. vbi negat vllam reprobationis causam ex parte hominum repertam esse, reperirive posse; sed solum esse beneplacitum Dei: cum autem ob originale reprobentur plures, quod ex Adami peccato trahitur, & contrahitur, si hoc ex Dei decreto non fuit, sed ex Adami libertate, quæ nostra etiam moraliter fuit, iam ex parte hominum reprobationis causa daretur, neque vnica esset Dei decretum, ac beneplacitum, capite vero 23. sect.5. & 6. non solum generali regula, sed speciatim de Adami peccato ex Dei præfinitione sæpe ait, frustra (cum Laurentio Valla ioquit) *de præscientia his mouetur* (an necessitatem præscitis imponat?) [Vbi constat ordinatione potius, & nutu omnia fieri: inficiari ergo non poterit, quin præscierit dominus, quem exitum esset habiturus homo, antequam illum conderet; Et ideo præscierit, quia decreto suo ordinarit.] Inferiuscule. [Nec absurdum videri debet, quod dico. Deum non modo primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse: sed arbitrio suo disposuisse.] Ac de Papistis sect.7. [Disertis verbis hoc extare negant decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam,] &c. [Decretum quidem horribile? fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præscierit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet: & ideo præscierit, quia decreto suo sic ordinarat.] Si ergo vtrarumque præfinitionū doctrina, solutionesque omnes communes vtriusque omnino sunt: non apparet qui fieri possit Caluini præfinitiones, & similium damnatas in Tridentino fuisse; Thomisticas verò esse nihilominus indemnes: & quamvis piis, adeo Catholicis, doctisque Patribus, aliquid à Caluinismo valde diuersum conceptum esse coniecter: quid illud sit cum ab eis explicatum non sit, assequi non potui, etsi vehementer optarim.

CERTAMEN III.

Ex ipsa Hæreticorum confessione, & Patribus, qui Tridentino adfuere, de eove maiori cum laude scripserunt, conuenientia Thomistarum cum illis, nec non argumentis aliis expenditur.

1. AD idem faciunt argumentum querula etiam de nostris Caluinistarum confessio: quod scilicet, cum nihil ipsi amplius, quam Thomistæ in re hac depræfinitionibus, & prædeterminationibus Dei ergo humanas actiones doceant, eos tamen non autem Thomistas hæreticos appellemus. Amessius Caluinista præter recitata, ex ipso cert.2. num.12. hæc etiam habet illo t.4. Bellarmini eneruati lib.2. cap.2. num.5. apud doctum, & acutum Petrum à S. Iosepho Cisterciensem Monachum de præfinitionibus Caluinianis. [Nunquam ne hoc legit Bellarminus, nisi in Zuinglio & Caluino Aluarez inter alios d.22. num.7. Deus,] inquit, [æterno suo decreto, & efficaci voluntate prædeterminat omnes actus nostros in particulari ante eorum præuisionem, & independenter ab omni scientia media liberæ cooperationis futuræ.] Et iterum: [sensus nostrorum non est alius, quam, qui à Thomistis approbatur. Hominis voluntas est quodammodo Dei instrumentum. Non purum & merum, sed liberum.] Aluarez d.68. num.5. Theophilus Brachetus Caluinista, vulgo Millererius lib. inscripto. *Christiana pacis inter Catholicos, & Euangelicos* (Caluinistas) *instituendæ consilium.* De prædestinatione & donis, seu gratia Dei agens nostram, & Thomisticam his de rebus sententias sic refert. [Singularem, nec eam communem gratiæ vim apud eos, qui conuertuntur à Deo, adhibitam adstruunt nonnulli ex Catholicis (Thomistæ) cum Euangelicorum plerisque; qui ab Ecclesia Romana defectionem passi sunt: quamquam hac quidem in parte Sedis Romanæ sententia prisca, necdum immutata, B. Augusti definitiones amplexa, singularis gratiæ defensionem retinere videatur. Communem verò, paremque gratiam] (entitatiue, seu quoad eius intrinsecum) [cum iis communicari apud quos dispar interdum sequitur euentus, contendunt plerique omnes Catholici, & Euangelicorum iam non pauci: partim ex iis, qui in Germania Lutherum Magistrum deserentes] (Molles vocati) [ad communem Catholicorum sententiam redierunt: partim ex iis, qui in Belgio Arminium doctorem secuti Remonstrantes] (seu Arminiani) [dicti eidem sententiæ adstipulantur: eamque tuentur mordicus. Vnde fit, vt inter Catholicos (quamvis in cæteris, vt plurimum, consentientes) maneant acerrimæ pugnæ; inter eos qui D. Thomam Magistrum sequi se profitentur; & inter eos, qui vulgarem scholæ sententiam amplectuntur; in quibus hinc Franciscani, & Iesuitæ; illinc Dominicani, & Oratorij Presbyteri familiam ducunt.] Et opus, cui titulus. *Medium Christianæ pacis.* Gallice impresso Latina hæc per notarium Franciscum Annatum d.4. cap.4. §.1. cum enim dixisset delenda è Tridentino, *per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum.* Et illa, *iuxta cuiusque dispositionem, & cooperationem*: narrasseque dilidia Thomistarum, & Iesuitarum ait, [Concilium veras causas iustificationis (quod Thomistæ requirebant) assignasse. Et, quod fauet posterioribus, conclusiones reliquerit, quæ referuntur ad eorum sensa, qui boni causam inter gratiam, & voluntatem liberam diuidunt: eoque sensu verba voluntariæ receptionis, & dispositionis, & cooperationis recipiunt;] Ij verò Iesuitæ sunt. Addit: [Præcisas S. Augustini definitiones alentis, diuinæ gratiæ vim in nobis operatri-

zari, non vt agamus, si velimus, sed, vt velimus, atque adeo facere, vt faciamus, tollere quidquid est veneni, & zizaniorum in ea loquendi forma, quæ dispositionem propriã, & cooperationem significet.] Tandem ait. [Ad anathematismos, quod attinet: certè, si Tridentini Patres præcisè definissent causam iustitiæ, quæ in nobis est: &, quæ de gratia tenenda sententia præscripsissent iuxta interpretationem Augustini (suam pro præfinitionibus) editi super hac doctrina, Canones, quibus eorum anathematismi continentur, aliis essent verbis concepti.

2. His porro verbis non solum Thomistarum cum Caluinista hoc, & sociis in doctrina præfinitionum diuinarum de humanis actionibus ostenditur conuenientia, vt æquè vtrosque Tridentini, & definitionibus aduersari, & tangi anathematismis constet; sed huius etiam (quia maximi oppositum referebat) sententia, canones, & anathematismos contra præfinitores, & pro nobis editos à Tridentino fuisse. De sua vero cum Thomistis concordia audiendus etiam est Tuissius Caluinista. Præfat. operis contra scientiam mediam egregio Theologo Franciscano, Francisco à sancta Clara. Obicienti Caluinistis, & puritanis, quod prædestinatorum hæresim excitarint respondet. *An non etiam vestris Dominicanis; quippè quibus solemne est Iesuistas vestros etiam hoc nomine Caluinismum exprobrare.* Eius operis lib. 1. digress. 3. pag. 98. Caluiniana sua doctrina explicata ait. *Sed facile dignosco, quam minimè faciat ad Pennoti palatum ista Philosophia. Multo melius concoquere poterunt istam doctrinam Dominicani: quam cum suis Iesuistis, quorum spiritum totus spirat. Nouariensis*, &c. lib. 2. cap. 3. pag. 444. *inter ea hoc nos recreat, quod non modo Protestantes huic commento* (scientiæ med. & consectariorum) *resistant; sed vniuersa, ni fallor* (fallitur vero, vt infra ostendam) *familia Dominicanorum, hoc est Thomistarum omnium*, cap. 4. pag. 451. *istum tamen modum efficaciæ* (præfinitionum, auxiliorumque ab intrinseco) *impossibilem esse crepant Iesuitæ, & libertati contrarium, & in aduersum crepant Dominicani.* Accedunt libri toti de sua cum dominicanis, quo ad præfinitiones, & præmotiones Dei ab intrinseco efficaces conuenientia, quos infra recitandus Dominicanus Campanella commemorat. Adde ex ipso relata cert. 2. num. 12. & sanè recitandus Dominicanus Campanella quæst. 5. vehementer dolet eam iniuriam à Dominicanis Angelico Præceptori præfinitiones, & prædeterminationes de sese efficaces tribuentibus irrogari, quia in eo illum faciunt Caluino socium, & omnino concordem. Bellicensis Episcop. opusc. *de accessu protestantium ad Ecclesiam Romanam.* Nuper gallo idiomate Parisiis cuso, relatis de scientia media, & prædestinationis, ac efficacis gratiæ opinionibus aduersis hæc latina per nostrum Franc. Amatum *supra* d. 4. cap. 4. §. 2. subdit. *Protestantes libenter adiungere illi parti Romanorum, in qua sunt Thomistæ; sed in eo differre: quod erroris in fide partem aliam accusent: quod illi ipsi Romani, quos sequuntur, non faciunt: quod vtramque sententiam probabilem putant, donec aliud statutum sit ab Ecclesia.* Quæ omnia fidem conciliant dictis Eminentissimi Cardinalis Iacobi Dauid Perronij, qui teste Eugenio Phyladelpho exercitat. scholastica tripartita in appendice ad Camerarium §. *Ad extremum* pag. 338. Theophilo Raynaudo P. 1. nouæ explicationis libertatis num. 12. §. *Secunda causa admittitur*, cum vanis rumoribus apud vulgus à Thomistis iactatum videret Clementem VIII. velle præfinitiones, & auxilia sua ab intrinseco efficacia definire, ita eum allocutus refertur. *Si quod meditari ipsum dicebatur, definiret, curaturum se, vt Germaniæ, Galliæque scitanti decreto illius subscriberent.* Hoc autem Perroni, de vtrorumque concordia iudicium constans fuisse testatus etiam est Illustriss. Dom. Habert. Episcop. Carducensis, qui librum, quo eiusmodi iudicium cusum Cadurci est, & alium inscriptum *Gallia purpurata*, quo ad ipsum habetur, approbauit: vt bene Philadelphus cimistarum cum Caluinistis conuenientia proferam iudicia inferius: nunc enim ad aliud eius conuenientiæ argumentum pergo.

3. Illud autem est eorum hæreticorum in Thomistas, eorumque doctrinam amor; in nostros vero, nostramque sententiam, & eius sequaces odium, & dicteria. Petrus Molinæus in suo anatome Arminianismi, seu partis Caluinistarum, qui cum Arminio à suo Caluino, quoad præfinitionum, & auxiliorum intrinsecam efficaciam, defecerunt, vbi hos cum Catholicis hac in re confutans cap. 37. num. 3. *Qui* (Pontificij) *Pelagianismum interpolarunt, sicuti Arminiani Papismum.* Catholicorum non præfinitorum, neque efficacia de se auxilia admittentium, Pontificis Romani doctrinam, & Papismum Caluinismo aduersum appellat, eamque Pelagianismi incusat. Rursus num. 12. *Nouatores* (Arminiani) *ex Iesuitarum lacunis hausisse, nescio quas, voces resistibilitatis, & irresistibilitatis, quibus ingenia implicant.* Tuissius etiam Caluinista de Gabriele Pennoto ob editum propugnaculum humanæ libertatis beneficio scientiæ mediæ, & voluntatis, atque auxiliorum Dei non de se efficacium ait cap. 27. pag. 165. *Roma degebat tanquam Procurator generalis ordinis sui* (Canonicor. Regular. S. Augustini) *& qui, vel in vmbra degit iniquitatis* (ita Sedem Apostolicam nominat) *mirandum non est, si de mysterio illo* (iniquitatis) *capiat aliquid* vocat autem, cap. 28. pag. 185. Pontificem. *Antichristum qui est mysterium iniquitatis*, c. 30. pag. 202. [Neque mirum, cuius sub vmbra degit, si ab eius ingenio non nihil hauriat.] Scientiam scilicet mediam c. 25. miratur [res occidentis Ecclesiasticas bene, Caluinismo, constitutas posse de nouo scientia media concuti, & labefactari! viget tamen hodie Pennotus inter nos, & multorum manibus versatur hoc opus eius ad humanam libertatem propugnandam, vel inuita gratia, destinatum.] De Soario vero scientiæ mediæ semina in metaphysicis iaciente ait lib. 2. digress. 2. pag. 282. [Quam me miseret sortis Christianæ! dum non nisi talibus informatoribus vsi, præsertim in studiis metaphysicalibus academiarum nostrarum alumni ad ardua rerum, qua lumine naturali progressus pateat aspirare se posse sperant! Operæpretium facturum auguror, quisquis metaphysicas illas disputationes Suarianas, tanquam Augiæ stabulum, Herculeo labore purgandas in se recipiat: præsertim, qua ad veritatem Theologicam, & sactam constituendam, & deflorandam tendere comperientur.] Huius vero admirationis, & doloris causam operis pondus in eius præfatione perpendens his aperuit verbis. [Aduertunt enim aduersarij, veritatis (suæ Iesuitæ, siue Arminiani) nisi doctrina ista de scientia media sancta, rectaque conseruetur, sententiam ipsorum de gratia, & libero arbitrio stare non posse; neque nostram ipsis aduersam posse labefactari; profligata vero illa sententia de scientia futurorum, quam mediam vocant, & nostram de gratia, & libero arbitrio sententiam inconcussam per stare: & ipsorum oppositam nostræ ruere vniuersum.] Et præfationis fine ait. [Prædestinatorum hæresim à semipelagianis (Iesuitas sic nominat) fuisse confictam. Caluinum autem Orthodoxiam Augustini per omnes ætates comprobatam, licet à nonnullis Pontificiis misere deformatam, reuocasse illum, & integritati suæ natiuæ restituisse.

4. Ex his autem dictis illa doctrinæ nostræ laus negari minimè potest: quod papismus, vt hi aiebant, & Pontificia sententia sit, ex qua Pontificiorum nomen sibi vendicent, quicumque illam sectentur: oppositæ vero doctores in suis ab hæreticis, non autem in Pontificiis, neque eius doctrina in Papismo habeatur. Secundo, non nisi eisdem quæsitis à Caluinistis Patronis (nempe Augustini testimoniis sinistre, vt vidimus, intellectis) efficaciam suorum auxiliorum, & præfinitionum Thomistas hosce fundare, nostræque oppositæ sententiæ tandem, quam Caluinistæ Catholicis pelagianismi, aut semipelagianismi litem intentare: quæ omnia, & singula Caluinistarum, & horum hac in re concordiam, haud leuiter suadent. Mitto in idem argumentum innumera pene alia in nos, nostræque doctrinæ sequaces eorundem hæreticorum probra. Tuissius idem lib. 1. cap. 30. scientiam mediam derestandam hæresim appellat,] & c. 33. pag. 119. negat. [Bestiam viiam esse Pennoto impuriorem, & magis irrationalem,] & digress. 5. pag. 218. esse illum ait, [capitaneum, sub quo diabolus stipendia meretur.] Et si sui stupidus senex oblitus lib. 2. digress. 5. pag. 219. scientiam mediam, qua libertatem nostram

Pennotus propugnat [vocet dogma quolibet alio vertiginosius. Nullam esse sententiam magis infamem, magisque convincibilem. Ne diabolum quidem illius sententiæ consortem esse. Neque Angelos malos ita obnutuisse ;] vt sentiant nobis cum cap. 4. pag. 450. Iesuitas vocat [primarios satellites diaboli,] pag. 451. scientiam istam mediam, quam fingunt Iesuitæ, merum potius scientiæ spectrum esse, quam scientiam.] Qua in re Amessium imitatur cit. tom. 4. vbi *novum commentum Iesuitarum* illam appellat. Sed pag. eadem 451. relata nostrorum de hac re cum Dominicanis controuersia, ait. *Conferunt obuia signis signa, pares aquilas, & pila minantia pilis. Sed quid dico pares Aquilas? cum, ad Theologiam scholasticam, quod attinet, ne digni quidem sint, qui eodem die nominentur cum Dominicanis*; Kemnitius vero libello famoso *præcipua capita Theologiæ Iesuitica* ait. *Iesuitarum genitorem Pelagium, eosque Pelagij ab inferis excitatores esse*: Quia in Tridentino irresistibiles suæ prædeterminatiuæ præfinitiones nostrarum actionum fuerint ab eis confutatæ teste Diego de Pauia loco citando infrà num. 6. Scio autem Catholicissimis Patribus suas has à perfidis Caluinistis laudes potius sonare, quam nobis hæc eorumdem dicteria, quæ in præcipuis nostris, nostræque doctrinæ laudibus reponimus, inuiderique nobis à piis, doctisque Patribus non dubitamus : præsertim, cum ea omnia è nostræ doctrinæ cum Caluiniana apertis inimicitiis ; Thomisticæ vero cum illa apparente saltem affinitate, vt fœdere, & concordia, orta videantur : ac proinde vtriusque à Tridentino damnatæ non leue argumentum inde duci possit : Eaque probra obinde nobis cum Tridentinis Patribus hæretici fecerint communia : Caluinus enim apud Thomam Maffutium lib. 2. vitæ S. Pauli cap. 6. Tridentinos Patres, ac Iesuitas Pelagianos dicere solebat : sicuti eadem de causa scholam Parisiensem Pelagianam vocabat 2. instit. cap. 3. §. 13. teste Horantio lib. 1. locor. Catholicor. cap. 55. quod imitatus etiam fuit Kemnitius Tridentinos Patres Pelagianismi incusans, vt refert Stapletonius 4. de iustificat. cap. 1. Lutherus item art. 36. §. *Vult enim Moyses*, & vniuersim Lutherani apud Turrian. nostrum lib. 4. pro epist. Pontific. cap. 2. Catholicos præfinitiones, & auxilia efficacia ab intrinseco negantes *Pelagianos* vocitabant. Quare mitor Mag. Bannez, dum Iesuitas *Pelagianos* vocat 1. p. quæst. 19. art. 8. §. *His suppositis* & quæst. 23. art. 3. conclus. vlt. §. *Sed circa istam*, & 2. 2. quæst. 10. art. 10. documen. 2. non aduertisse, quantum doctrinæ nostræ laudis, seu vero inuidiæ, & suspicionis sinistræ apud Catholicos conciliaret.

5. Dicent fortè Thomistæ hæreticos hosce, vel præceptoris Caluini doctrinam non calluisse, vel saltem callide, ac ficte suum ad Thomistarum partes accessum simulasse : vt sæpè id genus hominibus vsu venit. Et haberet quidem solutio verisimilitudinem maiorem, si illam in materia præfinitionum prædeterminatiuarum doctrinæ suæ, quam volunt, & fortè habebunt, à Caluiniana differentiam nobis explicarent. Siquidem in hactenus assignatis nullum vtriusque doctrinæ discrimen subsistere videtur. Accedunt doctissimorum virorum iudicia, qui vel ex Patribus Tridentinis fuere, vel circa id temporis hac de re scripserunt, constanterque docuerunt necessitatem omnem antecedentem causalitate actus nostros, etiam ex Dei præfinitione, & prædeterminatione eorum libertatem euertere. Et in primis venerabilis æque, ac doctus Thomas Valdensis Carmelitus Prouincial. Angliæ, qui proximus ei tempori antecessit tom. 1. doctrinal. fidei contra Vvitcleffum iam tunc Lutheri, & Caluini hæresibus hac in parte præludentem, cum aduersus eum statuisset omnem necessitatem antecedentem vsum libertatis nostræ eam funditus euertere, ita contra Catholicos quosdam, tunc etiam temporis suppetias Vvitcleffo, eiusque erroribus per in aduertentiam ferentes concludit. *Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri necessitatem istam præcedentem ponunt in humanis operibus etiam, &, quod fluat voluntate Dei. Maximè, cum in antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possint, cum conantur.* Magni vero illi viri sunt Dominicani, ex quibus per id tempus prodiit Brauardina toties à Tuissio Caluinista laudatus præfinitiones prædeterminatiuas docens. Albertus etiam Pighius (qui paulo ante Tridentinum bellum Caluino libris de libero arbitrio fecit) lib. 3. & 8. præfinitionibus, ac physicis prædeterminationibus actuum liberorum sese opponit teste Ledesma de auxil. 7. & art. 2. §. *Alij vero*. Ruardus Tapper, vulgo decanus Louanienſis Theologorum Phœnix appellatus à Lindano 4. Panopliæ cap. 18. atque vnus è Tridentinis Patribus vt constat ex t. 1. præfationis fine. Hic igitur artic. 7. de libero arbitrio, §. *Circa hoc est difficultas* hæc ad rem hanc inter plura, [quod autem diximus de libero vsu, liberoque neglectu gratiæ, quæ datur ad pœnitentiam : quodque ea ad ipsam, vel vti possimus, & conuerti, vel negligere etiam eam, quæ ad conuersionem est sufficiens, sic, quod ea stante non conuertamur : adeo vt in neutra parte conditionis sit necessitas, sed contingentia definitum esse videtur in Concilio Tridentino, in decretis, & canonibus de iustificatione.] Inſuper à pag. 306. ostendit è duobus æquali auxilio vocatis sæpe vnum conuerti, alium vero vocationem respuere, Ioann. Anton. Delphinus Minorita General. è Tridentinis etiam Patribus 4. de libero arbitrio ait. [Quis enim rogo, adeo stolidus existimet voluntatem factam esse liberam, non eo tamen modo, vt voluntate vteretur ; sed, vt à prima causa determinaretur ad vnum certum modum agendi : perinde atque res naturales determinantur.

6. Doctor Louanienſis Ioannes à Bononia Tridentinis interfuit quoque Patribus (vt ait tract. de prædestinat. titulo *quorumdam de prædestinatione sententia* anno 1567.) duobus scilicet post Concilij absolutionem annis cum plures adhuc Tridentini Patres superessent eum tractatum edidit, in quo tit. de libero arbit. sub init. §. *Caterum quia non desunt*. pag. 103. ita Patrum Concilij in eo decreto, & Canone mentem aperuit. [Caterum quia non desunt modo homines, quamvis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu, dum iustificamur, quam nos sentientes : ac ideo huius æcumenici Concilij clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum aiunt. Habere hominem libertatem arbitrij, vt excitationi, admonitionique resistere possit ; sed his inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dicto Reuerendiss. Domini Hieronymi à Bononia sanctissimæ Sedis Apostolicæ Nuncij dignissimi, nec non Archiep. Compsani professoris Theologiæ peritissimi, atque sacri Palatij Magistri eximij apud Carolum Imperatorem 5. cognomento Maximum residentis, eandem opinionem in sancta Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem optimo iure percepi reiectam, & pag. 153. Hinc compertum est, quod ob libertatem voluntatis, quacumque posita gratia, etiam ea quæ facit conuerti, possumus eam negligere, & nolle conuerti ; licet fide fateamur omnem voluntatem bonam esse diuinitus inspiratam. Pag. 162. At, ne quis miretur posse aliquem à Patre trahi, qui non sequatur, is non intelligat appellatione tractus violentam quandam motionem (quia nihil magis repugnat Patri, quia suauiter omnia disponit, ac moderatur : nihilque magis repugnat animo nostro, quia non potest hoc modo impelli) accipi debere. Cum igitur trahentem audiamus Patrem solum intelligimus : omnes siue internas, siue externas motiones, quibus dominus vtitur, vt voluntatem eius cognoscamus ; ita tamen vt his auditis liberum nobis relinquatur illis, aut non assentiri, aut consentire.] Franciscus Belcarius Episcop. Metensis apud R. P. Petrum à San Iosepho in suaui concordia d. 4. sect. 4. ex Tridentinis Patribus fuit, & contra præfinitiones, & prædeterminationes vniuersim scripsit in eo opere, quod mox contra Caluinum edidit. Diegus de Paria Andreæ eius Regum Lusitaniæ perpetuus in Tridentino Theologus, magnæque in eo authoritatis vir teste Hieronymo Osorio epist. præfixa defensioni Tridentini ab eodem Pauia editæ, toto illo opere orthodoxarum explicationum contra Kemnitium præsertim lib. 4. omnem antecedentem vsum libertatis ab eoque independentem præfinitionem prædeterminatiuam voluntatis nostræ ab eaque irresistibilem, vti libertatis nostræ partem refellit :

refellit: testaturque prædeterminationes nostrarum actionum præfinitiones irresistibiles contra Kemnitium Caluinistam à Iesuitis esse confutatas, & tanquam Augustino aduersas reiectas; quo facto libellum Kemnitij contra ipsos famosum inscriptum *præcipua capita Theologiæ Iesuiticæ lucrati sunt.* Fuerunt autem Iesuitæ illi Patres Collegij nostri Colomensis, qui ex Augustino præsertim contra Kemnitium pugnarunt: testimoniisque eisdem à Pauia repetitis concludit: [Quæ satis ostendunt hanc Colonensium causam tam esse cum Augustini causa coniunctam, vt illorum hostis esse nullo modo possit, qui Augustino quoque bellum non indixerit.] Franciscus Turrianus Pontificius in Tridentino Theologus lib. 4. pro epist. Pontific. decretalibus cap. 2. hanc præfinitionum diuinarum prædeterminatiuarum nostrarum actionum & vniuersim omnem antecedentem irresistibilem à nobis necessitatem accurata eruditione Patrum, tanquam libertati, & obinde Tridentino aduersam confutat. Alphonsus Salmeron noster Theologus etiam in Tridentino Pontificius sicuti, & Iacobus Lainez cum aliis ferè omnibus nouem S. P. N. Ignatij primis sociis aliorum Principum in eadem Synodo Theologis Kemnitium coram hac super re, vt vidimus ex Pauia in ea Synodo confutauit. Atque item ex suis, & (vt creditur) Lainij præfati studiis, & scriptis editis tomis in 4. t. in Euangel. p. 3. tract. 14. ad id *væ tibi Corozaim*, & 1. commentar. in Paul. 2. p. d. 1. §. *Quæ vero asserit*, & d. 21. in cap. 8. ad Roman. §. *Infertur ergo*, & fine eandem doctrinam solito robore, & eruditione confirmat Illustriss. Hieronym. Osserio lib. 9. de iustit. qui ad Concilium ad eundum accinctus, casuque impeditus, suos de hac re scriptos libros per præfatum Pauiam ad Concilium misit.

8. Succedant Dominicani primores, qui eidem Concilio adfuerunt. Et in primis Magister Hieronymus Mazarelli sacri Palatij Magister numeratus à fratre Alphonso Fernandez in catalogo Magistrorum sacri Palatij, & suam, & Patrum Tridentini sententiam contra omnem necessitatem antecedentem ex præfinitione Dei, vel vndecumque, independenter ab vsu arbitrij nostri libero postram dixit apud Joannem à Bononia sub nomine Hieronymi de Bononia, vt proximè vidimus. Secundo Cathermus etiam Tridentino adstitit & lib. 1. de prædestin. apertum adeo bellum præfinitionibus, & prædeterminationibus humanorum actuum indixit, vt illum aduersarij ingenue pro nobis, & contra ipsos esse faceantur: vt videre est apud Ledesm. de auxil. pag. 7. & art. 2. §. *Alij vero*. Tertio Franciscus Romæus Dominicanorum Generalis Magister, qui teste nostro Arrubale 1. p. d. 32. cap. 3. num. 12. & citato Alphonso Fernandez in catalogo scriptorum Dominicanorum in Tridentinis etiam Patribus fuit, tract. *de libert. operum, & necessitate* 8. Ita in simili super influxu, & causalitate præscientiæ infallibilis Dei in opera nostra scribit. *Illud non est prætereundum: quod si ad antiquos Doctores te conuertas, reperias ferè omnes in hanc vnam conuenisse sententiam: videlicet non ex eo, quod Deus scit aliquid futurum, idcirco futurum est; sed quia futurum est Deus nouit, qui est præscius futurorum.* Atque ita Patres Ecclesiæ, & Proceres scholasticos Doctores testatur docere: & si nusquam causali illa veram futurorum in Dei præscientiam causalitatem aliquam admiserint, vti nos supra monebamus, & explicuimus. Magister Dominicus Soto Primarius Salmantinus Caroli V. in Tridentino Theologus, & Generalis Dominicanorum locumtenens. Teste eodem Alphonso Fernandez in catalogo scriptorum sui ordinis contra sui ordinis fratrem Aloysium Cataneum præfinitiones prædeterminatiuas humanarum actionum publica disputatione coram Tridentinis Patribus profligauit teste Petro suaui 2. historiæ Tridentini sub med. qui, (vt docte obseruant Paulus Leonardus 2. p. responsion. sect. 19. num. 102. ex Eugenio Philadelpho exercitat. scholast. tripartita c. 3. §. 5.) *quamvis luxata sit fide*, quia in expurgatoriis indicibus proscriptus: qui tamen hominem norunt, vt pote sectarijs addictum, nunquam adducentur, vt credant illum à Iesuitis, sectariorum acerrimis hostibus, gratiam *inire voluisse*. Insuper Sotus hic docuit 3. summul. cap. 8. lect. 3. futura contingentia libera certo à Deo cognosci vt fatentur Mæchin. 1. p. d. 33. sect. 2. & reliqui aduersarij: re autem vera etiam sine aliquo determinante ex parte antecedentis eorum contingentem futuritionem; cum dicat in eis non esse à conditione ad conditionatum consequentiam per necessariam illationem.

Item, vt Paulus Leonardus proximè, & Theophyl. Raynaud. de noua liberr. p. 2. cap. 3. num. 21. & dist. 8. Theolog. natural. quæst. 5. art. 5. num. 346. Idem Sotus 3. Physicor. quæst. 1. art. 2. concluf. 5. proposit 4. & 5. etiam ad operationes causarum naturalium physicam præmotionem antecedenter illis ex Dei efficaci voluntate impressam omnino superfluam, & inutilem, atque contra S. Thom. mentem & laudem à suis, nonnullis distortis eius allegationibus inductam censet: nec immerito, & si tanti Doctoris sententia fuisset reiicienda. De liberarum vero causarum operationibus nullum adstrui posse principium eas ad agendum aliquid determinans, seu prædeterminans docet 1. de nat. & grat. cap. 15. (eos autem libros de nat. & grat. è Tridentina Synodo reuersus edidit) de quo cum à Dominicanis nonnullis morderetur ineditæ à se antea doctrinæ declaratione ab ipso adiuncta ad calcem commentariorum suorum in quartum sententiar. post dist. 50. q. vn. art. 6 §. *Sed libro* 1. *cap.* 15. inter confirmandum hæc habet. *Cum Deus paratissimus sit quemcumque conuertere, præsentissimaque misericordia ex duobus vtrumque aspiret: cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi, quia vnus præbet assensum, alter non. Quidam hoc* (citato loco de nat. & grat. ab ipso dictum) *taxare voluerunt: dicentes, quod nimium tribueret libero arbitrio in causa iustificationis; & tamen salua semper Ecclesia Catholica censura arbitror necessario sic dicendum.* Et inferiusculè. *Et ideo postquam dixit Christus Ioann.* 16. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit traxerit eum.* Subiunxit. *Qui audit, & discit venit ad me. Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire.* Vt autem de tanti doctoris constanti contra suorum præfinitiones, & auxilia efficacia de sese, & pro nobis sententia atque contra Cataneum Tridentina pugna eiusdem, & victoria, ac insuper de Patrum, & Synodi mente apertius constet recitanda erunt eius loca, quæ citat, capite ergo illo 15. ait *se reclamasse defensantibus* (suis vtique Dominicanis) *viua voce: quod Deus quadam vi, ac necessitate nos pertrahat ad se: ita, vt in nostra conuersione merè habeamus nos passiuè, ac respectiuè; de quo sacrosancta Synodus Tridentina sess. 6. &c.* ac iterum. [In adultis reddenda est proxima causa, cur, cum æquè sit Deus paratissimus conuertere, præsentissimaque vtrumque misericordia aspiret hunc trahat, illum non trahat? Quæ reuera reddi non potest, nisi quod alter præbet assensum, & cooperatur; alter vero minimè.] Eodemque capite contra præuium suorum Dominicanorum recentium concursum, & præmotionem, seu efficax ab intrinseco auxilium, statuit *posse esse in eo qui non conuertitur, quàm in eo, qui conuertitur, maius.* Quod de physico Dei concursu intelligi nequit: cum in eo qui non conuertitur nullus, ne dum maior, concursus sit, siue præuius, siue simultaneus nostro identificatus. Et qui non magis sine nostro, quam sine se ipso esse possit: quare solum moralem concursum, & intentionalem præmotionem per vocationem esse auxilium Dei intelligit, quæ sola in non conuerso, quam in conuerso maior esse potest, & cap. 16. habet. [Sunt ergo inter scholasticos, qui docent posito concursu Dei (in quo auxilium de se efficax constituunt) non esse in potestate voluntatis agere: ob idque secundo aiunt huiusmodi (concursum non connumerari inter requisita ad agendum; imo (vt sua vtamur voce) concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel vtrumque, nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam.] Qui enim intelligi potest Dei auxilium actionibus nostris necessario præuium non præuium, ac prærequisitum esse, aut potestatem ad alterum auferre, quam ad vtrumuis constituit? Eodem cap. 16. sub init. [Inde amplissime patet infinita eius virtus, & sapientia, quod alias causas instituit naturaliter mouere; & alias liberè: & cum singulis modo proprio concurrere. Quo circa, quidquid Deus vult voluntate

tate absoluta, & quæ dicatur beneplaciti fit: iuxta illud voluntati eius, quis resistet? quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi salua humana natura, & voluntate: quæ idcirco resistere Deo potest.] Totoque illo capite, & refutat antecedentem omnem necessitatem positis omnibus requisitis à voluntate ad liberè operandum, etiam diuino concursu, prout in actu primo præparato, cum quibus omnibus ait voluntatem posse adhuc agere, & non agere alias liberam non fore.

10. Accedunt Doctores, qui vel proximè Tridentinum diligenter, & cum laude vniuersim, vel super hoc articulo interpretati sunt in quibus occurrit primus Franciscus Vega in nostris, & contra suos à Ledesma vbi suprà numeratus ex lib. 13. in Tridentinum c. 13. Thomas Stapletonius in suo promptuario cathol. fer. 6. hebdom. 1. Quadragesf. ad ea [vis sanus fieri? ait. Iam vero hoc donum Patris, quo ad Christum trahimur, non est efficax à seipsa gratia, vt Caluinus dicit; sed est efficax suumque effectum sortitur, non secus à libera voluntatis cooperatione, quam ab ipsa Dei operatione, tractu, & dono.] Illustrissim. D. Fernandus Mascarenas Algarb. Episcop. & Generalis Lusitaniæ Inquisitor d. 2. de auxil. p. 3. num. 9. ex Bellarmino 1. de grat. & libero arbitrio cap. 12. hæc vsurpat. [Hæc opinio (præfinitionum prædeterminatiuarum Thomistarum recentiam) videtur mihi aut esse omnino eadem cum errore Caluini, & Lutheri, aut parum ab illa distare: Nam destruit gratiam sufficientem: & simul tollit de medio liberum arbitrium.] Et p. 4. num. 21. [Vnde cum impie vellent (præfati hæretici) liberum arbitrium rem de solo titulo facere, consequenter asseruerunt: creatas voluntates physice ab illo determinari. Quia rectè sciebant ea determinatione quocumque modo admissa, tolli arbitrij libertatem.] Vvestonus de triplici hom. officio lib. 3. cap. 29. *Vnde satis demirari nequeo eorum mentem, qui, cum summo præiudicio contra orthodoxam sententiam de libero arbitrio asserunt: gratiam Dei efficacem existere naturæ sua nulla ratione habita liberi arbitrij: quid aliud obsecro profanum dogma Caluini insinuat?* In eodem iudicio de vtrarumque præfinitionum, & prædeterminationum physicarum Caluinistarum, & Thomisticarum concordia conueniunt Ioann. de Roadauila de prouident. & prædestinat. quæst. 3. sect. 2. num. 77. Eugen. Philadelph. exercitat. scholast. tripart. cap. 1. pronunciato 18. Thomas Pius 1. p. q. 23. art. 3. dub. 8. num. 17. A. Ruuiere Augustinian. doct. Parisiens. lib. inscripto. [Caluinismus bestiarum religio.] Diatriba 6. pag. 149. Fr. Petrus à San Ioseph dist. 7. de grat. sect. 1. num. 8. Fusius d. 2. & 4. de suaui concord. sect. 4. Gabr. Pennot. propugnaculo humanæ libert. lib. 1. cap. 19. vbi expensis Tridentini definitione, & anathematismo Caluinicarumque, & Thomistarum in hac re doctrinis, distinctionibus, & solutionibus vtrisque communibus concludit. [Cum autem authores dictæ responsionis hæc omnia admittebant: & in eo solum differant: quod hæretici noluut voluntatem creatam, quæ huic subsit necessitati, vocari liberam: tota concertatio inter hos, & illos erit solum. An voluntas, vt huic subsit necessitati, dicenda sit libera, necne? & sic tantus apparatus, & strepitus erit solum de modo loquendi.] Ex nostris vero doctoribus neminem pro hac concordia vtriusque partis, oppositione definitionibus Tridentini refero: quia omnes eisdem fere fundamentis eam euincere conrenderunt, atque in dies maiori robore contendunt. Alia vero plura aliorum de eadem concordia testimonia dabimus cert. seq. vbi Pelagianismi, aut semipelagianismi oppositionem aduersariorum retundamus.

11. Vnum tamen non omittam Dominicanum Campanellam lib. de prædest. & reprobat. à Fratre Iuliano Ioubert eius ordinis Vicario generalis in Gallia è propria & doctorum Sorbonicor. sententia probatissimo & commendatissimo opere, & quod Fr. Antonius Mallet ordinis eiusdem Magister sua censura Parisiis in colleg. S. Iacobi die 21. Iulij anno 1635. [Studiosorum omnium manibus assiduè teri cupit: plurimumque profuturum doctrinæ, fidei, & bonorum morum sperat.] Eo igitur libro. art. 1. ita scribit Campanella [quoniam ex D. Th. scholasticorum Principe, putant nonnulli has ipsorum probari sententias (de præfinitionibus & auxiliis de se efficacibus) eumque miris lacerant modis, inuitumque trahunt: & Caluinistæ iam gloriantur, typisque mandant concordiam inter D. Thom. & Caluinum: statuimus ex dictis D. Thomæ solius, qui ex cunctorum doctorum alibi processimus, procedere ad inductionem errorum, ac proinde centonem efficere Thomisticum aduersus Pseudo Thomistas, veluti, Sanctiss. Domino Pap. Vrbano VIII. dum valde anxiaretur, pollicitus eram, ac simul Christianissimæ Maiestatis Oratori Comiti de Brassac: qui se aliunde non posse respondere Hugonotis, neque nostratibus (qui etiam nolentes, fauent hæreticis) nisi ex opusculo isto, & altero, quod eius nomine super caput 9. ad Roman. scripseram. Et de hoc sæpè consului Romæ Summum Pontificem, & consolatus est (vt testatur) sicut ego: quia ab aliis Theologis in desperationem agebatur. Ad idem me quoque doctissimus Cardinal. Scallia aliquando animauit: putans sic intellectum D. Thom. confringere posse, ne dum hæreticorum, sed nostrorum quoque sophistarum technas vniuersas. Nostratibus quoque satis faciendum fuit, vt à S. Doctoris penu arma subministraremus, vnde hostes sibi auxilium, nostrorum in curia, pollicentur. Idque à me poposcerunt quamplurimi præcipuè veritatis amatores Dominicani, & Minimi, & Clerici, & Viri Principes Romani, præsertim Columnenses, id sat agerunt. Sed inter Magistros præcipue: P. Cosmas Marellus doctrina, & probitate insignis Inquisitor hæreticæ prauitatis multo tempore in Colonia Agrippina: dicens se non potuisse absque hac doctrina Caluinistis respondere. Similiter Magister Augustinus Russus Dominicanus Regens studij Panormitani, & P. Foresi eius socius, & Dominus Simon Rausscum, quibus huius libelli copiam feci, & olim Magister Seraphinus Riualdus, postea Episcopus sæpè à me hoc opus, vel pro D. Thomæ honore, postulabat; quod iuxta Comitis de Brassac desiderium expositioni capitis 9. ad Roman. connectendum volumus.

12. Huius Doctoris testimonium (etsi alias eius in Principem suum fides nutarit) exceptione omni maius est, sicuti & Ioannis Gonzalez Albelda, qui publicis disputationibus de auxiliis Romæ pro suis adfuit Dominicanis. Et tamen 1. p. q. 19. d. 58. sect. 2. n. 10. de suorum nobis aduersa sententia ait: [quod eorum sententia destruatur arbitrij libertas, nec saluetur veritas definitionis Tridentinæ.] Ioannes Vincentius Magister etiam Dominicanus, Vespertinæ Cathedræ Salmantinæ moderator (teste Ledesma de auxil. pag. 228. 253. 290. 415.) docet *communem suorum recentiorum sententiam de præfinitionibus prædeterminatiuis cum verbo Tridentini conciliari non posse.* Ex quibus omnibus liquet primo. Quo iure R. Fr. Petrus à S. Iosepho d. 4. de suaui concord. sect. 4. num. 5. dixerit. *Si igitur coniecturis agere licet: & ex scriptis illorum, qui ad Concilium Tridentinum conuenerunt, venari mentem ipsius Concilij nemo non videt, hoc argumenti genere nobis suppeditari arma quam plurima ad debellandam prædeterminationem physicam, atque adeo ad scientiam conditionatam stabiliendam.* Siquidem doctrinæ huius Thomisticæ cum Caluiniana conuenientia, & conclusionis, & authoritatis, & argumentorum communium, quibus vtraque traditur, & obiectionibus, quibus ab vtrisque nostra impetitur graui coniectura videtur ostendi. Quoad vero Tridentinæ definitionis, & anathematismi contra vtrosque mentem ex iis, qui eo Concilio adstitere patribus plus duodecim, qui scripta sua typis, ac prælo postea subdidere, pro nostra Concilij intelligentia producti à nobis sunt; cum eius conditionis nullus Doctor ab aduersariis proferri possit, satis videatur fortasse demonstrari. Ex eis vero Doctoribus, qui ea Concilij loca ex instituto interpretati sunt multo plures ex Dominicanis ipsis Primoribus pro eadem nostra eorundem locorum interpretatione recitauimus. [Vt mirum (pergit continuo author idem) sit aduersarios ad tantam rationum inopiam redactos esse, vt ab ipsomet Concilio Tridentino (quod nihilominus sonat quam prædeterminationem physicam) præsidium aliquod, & auxiliares copias emendicare cogantur.] Vt cert. 4. iam videbimus.

CERTA

CERTAMEN IV.

Reliqua ex Tridentino expenduntur, & quæ ex illo ab aduersariis obiectantur, diluuntur.

1. PRæfato capite 6. & canone 4. recitatis cert. 1. n. 1. expensisque cert. 2. dicitur: hominis adulti arbitrium in suæ conuersionis & iustificationis negotio actiuè proprie, nec solum mere passiue se habere: atqui agere proprie dicit operari non vtcumque, sed cum potestate non operandi, seu operandi oppositum vt constat ex cert. 1. à n. 2. quod locum non habet cum his præfinitionibus: ergo &c. His testimoniis affinis est canon 32. eiusdem sessionis 6. cum illis recitatus, qui sic habet. [Si quis dixerit hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita; aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum (cuius viuum membrum est) fiunt non bene mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.] Huius autem canonis doctrina adeo connexa est, cum doctrina capitis 6. & canonis 4. vt neutra sine altera valeat persistere. Meritum enim sine libertate eius, qui operatur esse nequit: libertas autem illius sine potestate ad vtrumvis extremum, dum alterum operatur esse non potest. Posita vero prorsus independenter à nostræ libertatis, & potestatis indifferentis vsu, & exercitio præfinitione de se, essentiaque sua connexa cum præfinito opere non est potestas ad oppositum, quare neque ad opus ipsum apponendum libertas, ac subinde, neque in eo meritum vllum. Secundo eius est in operando meritum, aut demeritum, cuius est determinatio ad operandum: Ast posita præfinitione prædeterminatiua humanarum actionum à Deo, determinatio ad operandum, non quidem hominum, sed Dei solius est: ergo neque hominum sed Dei potius est meritum, aut demeritum in nostris operationibus. Hoc argumentum & est Patrum recitatorum q. 1. & 2. 9.6. cuidens à ratione fiet.

2. Extat etiam contra præfinitores hosce canon 33. seu vltimus sess. eiusdem 6. [Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de nostra iustificatione à sancta Synodo hoc præsenti decreto expressam, (scilicet departitione concursus, & operationis liberæ, ac determinationis in nostra à peccato ad iustitiam conuersione inter Deum vocantem, auxiliantem, ac mouentem, atque hominem ad sui conuersionem annuentem) aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Iesu Christi Domini nostri derogari, & non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique, ac Christi Iesu gloriam illustrari, anathema sit.] Is autem canon cum editus contra Caluinistas, & Lutheranos fuerit, qui, ex partitione operis inter Deum misericordi sua voluntate nos ad bonum excitantem, præmouentem, vocantem, auxiliantem, adiuuantem, & coadiuuantem, seu cooperantem, & nostram voluntatem determinatione sua annuentem, & cooperantem gloriæ Dei, & gratiæ ipsius, his derogari iudicabant: contra eodem modo iudicantes præfinitores prædeterminatiuos Thomistas recentes eodem robore procedit.

3. Quintus locus Tridentini contra Thomisticas præfinitiones prædeterminatiuas nostrarum actionum est canon 22. eiusdem sessionis 6. [Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse (vt aiebant nimirum Pelagiani) vel cum eo non posse, anathema sit.] Extrema hæc canonis pars Thomisticas æquè, atque Caluinianas, & Lutheranas præfinitiones impugnat. Sic ostendo. Quia in hac parte definitur speciale, & indebitum naturæ, & voluntati iustorum auxilium Dei sufficiens iniustis omnibus ad perseuerandum, seu, quo absolutè possint iniustitia accepta perseuerare; atqui si præfinitiones istæ sint necessaria, & essentialia principia ad perseuerandum, non erit in iis, qui non perseuerant in iustitia, auxilium Dei sufficiens, quo absolutè possint in ea perseuerare: ergo præfinitiones istæ præfato canoni aduersantur. Minor probatur: quia sublato essentiali principio ad perseuerandum non est potestas absoluta, seu virtus sufficiens ad perseuerandum: sed iis, qui non perseuerant de facto, deficit præfinitio prædeterminatiua, ac subinde prædeterminatio, quæ est essentiale principium ad perseuerandum: ergo in eis non est absoluta potestas, seu virtus sufficiens ad perseuerandum. Id quod fusius q. 6. à ratione persequemur. Minor est in aduersariorum doctrina indubitabilis; alioqui posset coniungi cum præfinitione prædeterminatiua perseuerantiæ, in iustitia, (quæ sola per hosce speciale Dei auxilium est) negatio perseuerantiæ, ac potestas simultatis, & coniungendi vtrumque, præfinitionem scilicet, & negationem effectus præfiniti; quod aduersarij execrantur. Item præfinitio non esset entitate, & essentia sua connexa cum effectu præfinito: siquidem absque eo effectu in seipsa posset persistere.

4. Idem argumentum efformatur contra eiusmodi præfinitiones prædeterminatiuas ex canone 17. sessionis eiusdem, vbi dicitur. [Si quis iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocati quidem, sed gratiam non accipere vtpote diuina potestate prædestinatos ad malum: anathema sit.] Duo enim hic definiuntur. Primum non dari auxilium sufficiens non prædestinatis, seu præfinitis ad perseuerantiam, & salutem per illam obtinendam. Quod ex doctrina aduersariorum necessario videtur discursu proximo inferri. Secundum prædestinari, seu præfiniri homines ad malum cuius damnatio ad quæst. 6. spectat: sed ea tamen doctrina in principiis, quibus præfinitio, aut determinatio diuina necessaria ad actionem nostram bonam à Thomistis probatur omnino continetur. Et huic quidem argumento de negatione auxilij sufficientis in non consentiente à Tridentino damnata, atque à Thomistis præfinitoribus, & prædeterminatoribus admittenda, ægrius solutiones illæ de sensu composito, & diuiso, etiam in secundo sensu de simultate potentiæ, licet non potentia simultatis, ad quem iam Thomistæ omnes sese receperunt accommodari potest: cum sine omnibus principiis essentialibus, ex quibus principium, seu potentia adæquata totalis, atque absolutè talis essentialiter constituitur, potentia ad actum non præfinitum absolutè esse non possit, absente præfinitione, quæ essentiale principium partiale adæquatum, & absolutam potentiam ad illum constituens per aduersarios est: quare nec simultas potentiæ ad illum, & eius oppositum assignari ab ipsis potest: ac subinde nec principium, aut auxilium ad illum sufficiens.

5. Denique obseruandum, pro horum argumentorum, quæ ex Tridentino deduximus confirmatione, eorum omnium sensum, & robur definitionibus Innocentij, & Alexandri VII. confirmatum, & definitum videri. Dum enim propositiones Cornelij Ianseni ad rem præsentem attinentes condemnât aiunt [hæreticas & damnatas declaramus, & vti tales damnamus.] Cum autem propositiones illæ sint Caluinianæ, & quæ sensum, & solutiones omnes Thomisticas memoratas, satisque iam tunc notas capiant, & sub vocibus, & terminis, quibus eæ omnes solutiones, & sensus Thomistarum continent damnatæ dicantur: scilicet recitatis, & expensis à nobis Tridentini locis: eis cunctis Thomisticas præfinitiones, & prædeterminationes Tridentina hæc fulmina declinare non potuisse videntur. Verum & si ita hæc habeant, vt vidimus, neque ingeniolo nostro difcrimen vtrarumque præfinitionum, & doctrinarum in hac re Thomisticæ, & Nouatorum, quominus altera à Tridentino, non autem altera damnetur, satis clareat; fraternus tamen amor, ac de synceritate fidei aduersariorum æstimatio credere nos facit eorum à Caluinistis differentiam in re præsenti, quem non videmus. An vero ex decretis etiam Pontificis de abstinentia à censuris alterutrius partis iudicium nostrates, & censuram aduersæ reticere teneantur post damnationes propositionum Cornelij Ianseni cert. 5. proponemus.

6. Hinc primæ obiectioni aduersariorum Tridentino, seu potius eleuationi authoritatum, quas ex ipso hactenus produximus, & expendimus, occurrere facilè possumus.

possumus. Rogant enim iam pridem aduersarij apud Petrum à S. Ioseph.loco citato cert.3. n.12. vt, vel vnus, ex Tridentinis Patribus, qui de his rebus typis mandarit, & contra præfinitiones,& auxilia ab intrinseco efficacia sententiam duxerit, proferatur. Amplius enim duodecim Tridentinos Patres recensuimus, ac recitamus, atque in eis Dominicanos eius ætatis Primores, qui contra suorum præfinitiones, & auxilia ab intrinseco efficacia, sententiam ex mente etiam Tridentini, cui adfuerunt, euulgarunt. Mirantur insuper discalceati Carmelitani Salmanticenses, nihil de efficacia voluntatis, & auxiliorum Dei ab extrinseco nostro consensu, atque inde excogitata scientia media, qua, & prædestinationis, efficacis auxilij infallibilitas, & infrustrabilitas cum nostra libertate adeo facilè componi videtur, à Concilio Tridentino statutum; imo, ne memoratum quidem, contra libertatis nostræ acerrimos è Dei voluntate, & gratia impugnatores, tunc fuisse : [Credibile enim non est (si ea solida esset eius controuersiæ compositio) voluisse spiritum sanctum Patribus Concilij tam validum, & potens subticere remedium, quod, non nihil postea, Molinæ aperuit.] Alias inclamat fidenter Ioann. à S. Thoma 1. p. d. 20. art. 6. §. *Denique*, pag. 688. *vbi id dixerit* Concilium? [Vbi de scientia locutum fuit ? vbi efficaciam gratiæ, & decreti diuini ex natura sua denegauerit ? Et quomodo autem non omnes statim obuiis vlnis doctrinam hanc (nostram de efficacia solum ab extrinseco, ac scientia media) in Tridentino contentam amplexati fuerint ?] Sed cum citatis Tridentini locis prædestinatio Dei, & auxilium ab intrinseco efficax reiiciatur, damnando negantes non posse nos illud abiicere, eive pro arbitrio dissentire nostro, ac proinde definiendo ipsi posse nos dissentire, si velimus, illudque abiicere (quod definitio est prædestinationis, & auxilij, seu motionis Dei, non ab intrinseco, sed solum ab extrinseco nostro consensu efficacis) dedimus sanè facilè, quod à Deo anxij in Tridentino tandiu aduersarij quæritabant.

7. Et demirari quidem oblitos hosce admirabundos interrogatores non possumus. Cum enim id, quod nobis, vel semel, modestum accidit, memoria soleat nunquam excidere : atque eis Tridentini testimoniis non semel, aut iterum, sed sæpè quotidie, ac semper à controuersiæ huius exordio aduersarij præfati molestissimè à nostris vexentur : non quidem admirationi solum, sed miraculo habendum merito videatur, adeo ea testimonia memoria aduersariis excidisse, vt quasi de re prorsus ignota informari ab aliis tantopere desiderent. Dubia item illa interrogatio postrema otiosa, inutilis, ac fors imprudens, & rogantibus iniuria est. Vidimus enim Tridentinos Patres, qui post Concilium impressérunt doctrinam hanc nostram obuiis vt dicitur, vlnis fuisse amplexatos : videbimusque quæstione sequenti ab scholis, Academiis, religiosis familiis, & Theologis ferè vniuersis, qui typis mandarunt, summa esse cum laude receptam. Pro paucis vero Thomistis scriptoribus, qui eam non receperunt, facilè respondebimus, si ipsi nobis prius responderint. Cur à Tridentino vehementer, vt minimum, insinuatam, & commendatam Beatissimæ, ac supremæ Matris Virginis ab originali labe immunitatem ab vniuersa reliquorum fidelium (etiam familiæ sanctæ Procerum) Ecclesia iam diu propugnatam, à Summis Pontificibus, & proximè definibilem pauculi, nec supremæ notæ Dominicani, non recipiant ? Idem enim æstimo resistentiæ vtriusque consilium, rationem, & motiuum eosdem causaturos. Nisi quod pro Mariana immunitate deneganda D. Thomæ in aliis (quæ iam diu absunte) circumstantiis alicubi loquentis authoritate se protegent, in resistentia vero prædestinationi, & auxilio, solummodo ab extrinseco nostro libero consensu efficaci, & infallibiliter effectum habituro, omnis prorsus eos authoritas Angelici Præceptoris destituit, vt quæst. sequenti ostendemus. Et sanè minus prudenter, & cautè ratio alicui facti ab illis quæri videtur : qui id contra omnem omnino rationem fieri, factumque esse, tot validis argumentis contendunt

8. Sed aiunt tamen sese, vt nos ex Tridentini locis ipsis datis in hunc impetant modum. Tridentinum eis locis damnat doctrinam, seu errorem Caluini Lutheri, & sequacium : atqui horum error erat ex communibus ipsis cum Thomistis præfinitionibus, & prædeterminationibus nostrarum actionum, earum libertatem, non voce solum, sed re ipsa aboleri : ergo Tridentinum : eis locis damnat asserentes ex præfinitionibus, & prædeterminationibus communibus Caluinistis, & Thomistis nostrarum actionum earum, tam re, quam nomine aboleri libertatem vt nos contendimus. Huic argumento, si teneret, eam deberemus referre gratiam : quod nos ab omni Pelagianismi, æut semipelagianismi vnice hactenus à Thomistis imputati suspicione liberaret : siquidem Caluini, & pelagij, & reliquiarum hac in parte errores sibi immediatè contradicere, adeo est notum, vt vterque in eundem hominem, non omnino vecordem, stupidum, ne dum in vnam eandemque propositionem, & sententiam nostram, cadere nequeat. Secundo recitatos duodecim Tridentinos Patres, & ferè omnes Ecclesiæ Catholicæ Academias, & Theologos primores, quos partim cum Tridentinis dedimus cert.3.partim sequenti q. recitabimus, imo & Ecclesiæ Patres recitatos duabus totis præcedentibus quæstionibus, & Concilia insuper, & Pontificiis definitionibus cert.5.producendis, magno hæreticorum plausu faceret Caluinistas. Ij siquidem omnes vniuersim ex necessitate omni antecedenti natura humanas actiones, & si à Deo, eiusque prædestinatione, præscientiave, aut decreto inducta, earum libertatem euerti constanter docent. Sed certè nihil argumentum probat : quia notissimè falsæ minori innititur. Non enim Lutheri, Caluini, & sequacium error fuit, quod ex præfinitionibus, & prædeterminationibus ad vnum in nostram voluntatem à Deo proximiori naturæ inductis euerteretur voluntatis nostræ libertas : in eo enim ex discursu fors euidenti, ac certè Patribus omnibus Philosophis, & Theologis cunctis (si Thomistas excipias, qui in eo, vtcumque eludendo, tandiu laborant, & hærent,) vt non concludere, mysterium esse velint) probatissimo : quare citra errorem, eiusve periculum processerunt. Fuit autem eorum error, quod ex parte antecedentis ad voluntatis operationem ea conprincipia suis præfinitionibus, & prædeterminationibus (quas obinde Catholicorum eadem, & si ipsi fateantur, esse nollem) ad operandum determinantia, & necessitantia statuerint, vt eis positis absolutè non possit voluntas dissentiri, si velit, easve abiicere renuendo: quibus solummodo verbis rem libertatis à se definitæ, & à Caluino damnato suis præfinitionibus negatæ Concilium expressit.

9. Vltimo hic opponendus nobis, excutiendusque esset Pelagianismus, aut semipelagianismus saltem, ne eorum errorum à nostra sententia diuersitatem ostendissemus cum futuritionem conditionatam ante decretum vllum Dei actuale absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti statuebamus : quia determinationem arbitrij nostri ad operandum non ita à nobis esse dicimus, vt omnino à nobis, seu ex naturæ nostræ debitis absque Dei misericordi voluntate, & gratiæ auxilio præueniente, excitante, & cooperante sit, eiseve possit : vt de omnibus determinationibus ad bonum Pelagiani, de aliquibus autem semipelagiani aiebant, qua doctrina nostra, eiusque ab eis errotibus diuersitate explicata Odoardus Vvestonus 3.de tripl.hom.offic.c.29 [§.Postremo illa gratia,ait, vbi iam Pelagianismus, quem nostris partibus affingunt? Vtinam ita illi Caluinum respuerint, vti nos Pelagium R. Petrus à S. Ioseph. præfat.tract. de grat.diuina. [Certè si sententia,quam propugnamus, esset Pelagiana non tantum Illustrissimus Bellarminus, Molina, Suarez, Vazquez, Lessius, & reliqua Societatis Iesu lumina, sed etiam Prælati non pauci doctrina, & virtute conspicui, item propè infiniti diuersorum ordinum Doctores celeberimi inter Pelagianos recensendi essent; quod quis sibi, amabo te, persuadere valeat. Potius fortasse timendum erit, ne ij, qui tam illustrium virorum doctrinam erroris insimulant, Pelagianam Charibdim vitare cupientes, in Scyllam Lutheranam, aut Caluinisticam incautè incidant.] Et ab hac quidem obiectione suæ, & nostræ huic doctrinæ cautum satis à Tridentino videtur canone 33. quem recitauimus n.2. Alia, quæ ex difficultate conciliandi cum prædestinationis certitudine, & infallibilitate nostram libertatem à Patribus asserta, quæ hac nostra sententia videtur omnino euacuari, similibusque aliis obiici poterant, commodius q.6. diluentur. Hac vero quæstione, & si, quæ ab aliis dicta retulimus, Caluinismi aduersarios notare videantur

videantur eorum censuris omnino abstinemus: ea enim solummodo adduximus, atque argumenta, quæ id suadere videntur toto suo robore instruximus, vt videant, qui hæc legerint, non adeo stupide, atque Ioann. à sancto Thoma aiebat, Thomistis Caluinismum à nostris opponi.

CERTAMEN V.

Ex reliquis Conciliorum, & Pontificum definitionibus præfinitiones Thomisticæ ablegantur.

1. DEfinitionibus Tridentini contra Thomisticas humanorum actuum prædeterminatiuas præfinitiones pugnatum hactenus est: aliis iam Conciliorum, & Pontificum definitionibus, & decretis certandum. Et primo Concilium Constantiense sess. 8. inter propositiones quadragintaquinque pestiferi hæresiarchæ Ioannis Vvicleff, de Anglia, vti hæreticas, erroneas, seditiosas, scandalosas, damnandas, ac de facto ibi ab eodem Concilio damnatas, vigesimam septimam sic proposuit. *Omnia de necessitate absoluta eueniunt.* Cum autem ea propositio expressis scripturæ testimoniis de nostrarum actionum contingentia, & libertate contradicat, illa quidem sub prima hæresis censura continetur? Ea vero propositio eadem est cum Lutherana, & Caluiniana de necessitate ex Dei præfinitione, & prædeterminatione prouenienti, ex qua solum necessitatem illam absolutam omnium Vvicleffus asseruit, vt Lutherus suprà recitatus cert. 2. n. 4. sed hanc eandem esse suam fatentur Thomistæ, qui in antecedenti præfinitionum, & prædeterminationum, & necessitatis in actu primo operandi præfinitum, & prædeterminatum extremum per eas in nostram voluntatem inductæ cum Caluinistis, & Lutheranis conuenire sibi asserunt; & si in negatæ inde libertatis nostræ (quod hi hæretici admittunt, recentes vero Thomistæ negant) differre testentur, vt vidimus locis citatis cert. 2. ergo ea ipsa præfinitionū, & prædeterminationum Thomisticarum doctrina, & necessitas hæresis damnata à Concilio Constantiensi fuit. Etsi autem de authoritate damnationis huius ea sess. 8. prolatæ dubitari, vtcumque, posset: quod eius sessionis tempore trium Papatus in Ecclesia esset. Scilicet D. Petri de Luna dicti Benedicti XIII. Ioannis XXIII. & Gregorij XII. tunc papatorum: & sub Ioanne ea sessio habita, nec tunc ab ipso approbata nec abrogato postea ipsi per Concilium, atque ab ipso Ioanne abdicato à se Pontificatu, fuerit approbata; verum cum postmodum Gregorius XII. apud idem Concilium per Legatos suos Pontificatum deposuerit, & Concilium in Benedicti contumaciam animaduertens seruata iuris forma in causæ cognitione sententia lata ipsum Pontificatu depulisset Martinus V. summo omnium consensu electus, & promulgatus est, qui anno 1418. decimo Kalendas Maij (quo die Concilium soluit) eam damnationem relatis singulis Vvicleffi propositionibus Pontificia sua authoritate confirmauit.

2. Extant autem contra prædeterminatiuas hasce præfinitiones antecedentia causalitatis, & naturæ nos ad vnum efficiendum determinantes in Concilio Senonensi contra hos Lutheri errores paulo ante Tridentinum coacto testimonia præclara: quod, licet prouinciale fuerit, magnæ tamen apud Catholicam Ecclesiam authoritatis extitit semper; fuit enim habitum Parisiis à die 3. Februarij, anni 1527. ad 9. Octobris 1528. Præside Eminentiss. D.D. Antonio Prato Cardinali de S. Anastasia Senonensis Archiep. Germaniæ, & Galliæ Primatis adstantibus suffraganeis, multisque diuini, & humani iuris interpretibus, vti ex citandis eius locis constat. In eius præfatione ita habetur. [Debuerat certè Lutherus ex Apostolo nosse ita necessariam esse diuinam gratiam ad bene operandum, vt cum ea tamen liberum arbitrium bonum opus efficiat. Testis siquidem est Apostolus diuinam gratiam in se vacuam non fuisse.] 1. Corinth. 15. [Cum abundantius, inquit, laborauí; non ego autem, sed gratia Dei mecum: vtrumque nimirum alteri connectens Apostolus, noluit liberum arbitrium otio torpescere cum Manichæo; & arrogantiam deuitans Pelagij, sic cooperationem tribuit libero arbitrio, vt ex se tamen, & citra diuinæ gratiæ munus sufficere non posset ad salutem.] Non aliis, sed eisdem omnino verbis (quæ etiam Augustini, & aliorum suprà recitatorum Patrum sunt) nostram contra prædeterminatiuos præfinitores omnes doctrinam proponimus, & explicamus. Et, licet præfatio illa definitionis vim non habeat; ast, cum ex iis, quæ Concilio, eiusque Patribus, tum ex animantibus, tum iis de rebus definituris scripta fuerit sententiæ de re hac, & Patrum, & Concilij exceptione omni maius testimonium est, sed Concilium ipsum decreto 15. ex decretis fidei, quod est de libero arbitrio, sic habet. [Nec denique tale sit huiusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem, sicut gallina congregat filios suos sub alis, & noluerunt? Frustra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis, & in circumcisi cordis arguebat, qui semper spiritui sancto resisterent. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, spiritum ne extinguerent: si diuinis inspirationibus homines ineuitabiliter raperentur. Trahit quidem Deus; sed in eius odorem currimus, non vi, non vnco rapramur.] Cum autem resistentia auxilio, & voluntati Dei, quæ actu non sit, esse nequeat, in sensu composito illius diuinæ voluntatis, & auxilij, quo Deus nos trahit, posse nos resistere renuendo per consensus negationem, Concilium definit. Nec recursus ad Dei trahentis auxilium, secundum suam solum entitatem consideratum, non autem, vt subest voluntati diuinæ trahendi nos (quomodo resisti nequeat, vt ait Aluarez 9. de auxil. d. 93. n. 2. & 3.) esse potest, quia hoc decreto non entitatis auxilij tantummodo, sed voluntatis etiam diuinæ congregandi nos, sicut gallina filios suos sub alis expressa fit mentio. Reliquæ solutiones tentatæ ab aduersariis ad loca Tridentini præoccupatæ iam sunt cert. 2. & à ratione q. 6. vberius, ac planius & plenius reiicientur.

3. Veniamus tandem ad vrgentissimas definitiones, & damnationes quinque propositionum Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis ex libro inscripto *Augustinus*. Ab Innocentio X. primum editas, ac postmodum ab eiusdem successore Domino nostro Alexandro VII. confirmatas. Prioris de eis damnationibus decretum est huiusmodi. [Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis in Christo fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallis controuersia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, ac perspicuam ferremus sententiam. Tenor autem præfatarum propositionum est prout sequitur. Prima, aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Secunda interiori gratiæ in natura lapsa nunquam resistitur. Tertia ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, & in hoc erant hæretici: quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quinta, Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. Nos, (quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa purgatis prauarum opinionum erroribus tuto militare, &, tanquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac pro vellis feuire nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit) pro rei gravitate coram aliquibus Rom. Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis à pluribus in sacra Theologia Magistris easdem quinque propositiones, vt suprà nobis oblatas, fecimus singilatim diligenter examinari; eorúque suffragia, tum voce, tum scripto relata mature considerauimus: eosdéque Magistros variis coram nobis actis congregationibus prolixe super eisdem, ac super earum qualibet differētes audiuimus.] Cū autē ab initio huiusce modi discussionis ad diuinū implorandū auxiliū multorum

Christi fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixissemus; postmodum iteratis eisdem feruentius, ac per nos solicitè implorata sancti spiritus assistentia, tandem diuino numine fauente ad infrà scriptam deuenimus declarationem, & definitionem. Primam prædictarum propositionum. Aliqua Dei præcepta, &c. temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, &, vti talem, damnamus. Secundam interiori gratiæ, &c. hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Tertiam ad merendum, & demerendum, &c. hæreticam declaramus, &, vti talem damnamus. Quartam. Semipelagiani admittebant, &c. falsam & hæreticam declaramus, & vti talem, damnamus. Quintam semipelagianum est dicere, &c. impiam, blasphemam, contumeliosam diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti declaratione, & definitione continetur sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum ordinariis, necnon hæreticæ prauitatis inquisitoribus, vt contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, omnino coërceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnat. Dominicæ. Milless. sexcenteff. quinquages. tertio, pridie Kalendis Iunij Pontificatus nostri anno nono.

4. Cum autem hac definitione, & damnatione tacti variis eam artibus & explicationibus eludere post Gregorij obitum Iansenistæ tentarent: ipsius successor Sanctiss. Dom. noster Alexander VII. illam sequenti bulla, & definitione stabiliuit. [Alexander Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad sanctam B. Petri sedem, & vniuersalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili diuinæ prouidentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis, euecti, nihil nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam, vt sanctæ fidei nostræ, ac sacrorum dogmatum integritati tradita nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis constitutionibus abunde fuerunt definita, nouæ deceptionis, siue declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ vtilitatis perturbatores illa in dubium reuocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur: ne morbus iste latius diuagetur, promptum. Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanauit siquidem à fœlic. recordat. Innocentio Papa 10. prædecessore nostro constitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui sequitur.] Qua Innocentij definitione ad verbum, vt suprà posita pergit Alex. [Cum autem nonnulli iniquitatis filij prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto eiusdem Cornelij Iansenij non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere, magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident. Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attente perspeximus (vtpote, qui eiusdem Innocentij prædecessoris nostri iussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua maior desiderari non posset) quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes; vt omnes Christi fideles in eiusdem fidei vnitate sese contineant: ex debito pastoralis officij matura deliberatione præinsertam Innocentij prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus & innouamus: & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, cui titulus est, Augustinus, excerptas, ac in sensu ab eodem intento damnatas fuisse declaramus, ac definimus; ac vti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione vnicuique illarum, singillatim inuritur, iterum damnamus. Ac eundem librum sæpè dicti Cornelij Iansenij, cui titulus, Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis mandatos, & si fors in posterum edi contigerit, in quibus prædicta eiusdem Cornelij Iansenij doctrina vt suprà damnata, defenditur, vel adstruitur, aut defendetur, & adstruetur, damnamus itidem, atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant verbo, vel in scriptis exponant, vel interpretentur, publicè, vel priuatim, palam, vel occultè imprimant, sub pœnis, & censuris contra hæreticos in iure expressis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum ordinariis, ac hæreticæ prauitatis inquisitoribus, ac iudicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, vt præinsertam eiusdem Innocentij prædecessoris nostri constitutionem declarationem, ac definitionem iuxta præsentem nostram determinationem ab omnibus obseruari faciant: ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque iuris & facti remediis, inuocato etiam (si opus fuerit) brachij secularis auxilio, omnino coërceant. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ann. incarnat. Dominicæ Milles. Sexcentes. quinquages. sexto, decimo septimo Kalend. Nouemb. Pontificatus nostri anno secundo. Cardinal. Prodatar. Gualterius visa de curia P. Giampinus.] Quo anno die 7. Nouemb. plumbeo sigillo affixas has literas ad Valuas Basilicæ sancti Principis Apostolorum de Vrbe Cancellariæ Apostolicæ, & aliis Vrbis consuetis locis per Petrum Paulum de Grassis fidem, & ipse, & pro Magistro cursorum Iacobus Cornelius cursor facit.

5. Hæ vero omnes definitiones, & singulæ Thomisticas æquè, atque Lutheranas, & Caluinianas præfinitiones damnare videntur. Dixi omnes, & singulas. Nam prima propositionem primam Cornelij Iansenij condemnat, videlicet. [Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.] Quam concorditer vtraque præfatorum Pontificum præmissa definitionis sugillat. *Temeriariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Idcirco anathematizata declaratur, & hæretica, &c. atque vt talis damnatur: quia negat auxilium sufficiens gratiæ, qua absolutè aliqua Dei præcepta implere ponimus, & absolutè potentes ad illa constituamur: quia negat auxilia gratiæ sufficientia ad non peccandum, seu præcepta Dei implenda. Id quod in Lutheranis, & Caluinistis damnatum iam erat anathemate in Tridentino sess. 6. can. 22. quem recitauimus cert. 4. num. 3. cum autem eo numero ex præfinitione omni essentialiter prærequisita ad operandum, atque independenter ab vsu libertatis nostræ apponenda gratiam sufficientem aboleri ostenderimus, ostensurique plenius simus à ratione quæst. 6. iure, non solum eis definitionibus Pontificum ea propositio, vt hæretica damnatur, ac etiam damnata declaratur, sed & præfinitiones Thomisticæ, quibus connexa similis propositio est, definitionibus eis mediatè opponi videtur. Eadem ratione secundæ propositionis Cornelij Iansenij damnationibus, tangi mediatè præfinitiones videntur: quia ea propositio auxilia gratiæ sufficientia relegabat, solis efficacibus admissis. Erat quippè [Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.] Ac proinde, cui resistatur, nullam esse gratiam Dei: sufficiens autem, ac non efficax gratia ea est, cui resistitur. De ea vero propositione vterque Pontifex, ait, *Hæreticam declaramus.* Nec minus contra Præfinitores omnes faciunt damnationes similis præfatis duabus doctrinæ propositioni Cornelij Iansenij quintæ ab vtroque Pontifice adiunctæ; ea enim erat: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Ideo enim id dicebat Iansenius: quia pro eis solum mortuum Christum putabat, quibus auxilia efficacia ad salutis consecutionem meritis, morteque sua obtinuit: quia negabat reliquis ex gratia

gratia Dei per Christum auxilia sufficientia, de ea verò Pontifices ambo aiunt: *Impium, blasphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Declarat autem hæreticam, nec solum hæresis damnat, quia antea damnata etiam in Lutheranis, & Caluinistis (sicut memoratæ aliæ) à Tridentino fuerant Canone 17. quem recitauimus, & perpendimus citato art.4.n.4.

6. Sed tertiæ, & quartæ propositionum Cornelij Iansenij damnationes Pontificiæ præmissæ vrgentius adhuc, & immediatius præfinitiones etiam Thomisticas exterminant. Tertia propositio fuit. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* De qua ita Pontifices ambo censent: *Hæreticam declaramus; & vti talem damnamus.* Declaratur verò hæretica: quia iam damnata erat etiam à Tridentino sess.6. cap.5. & Can.4. recitatis certam.1.num.1. quæ de libertate nostra, & potestate ad non consentiendum, seu dissentiendum posito auxilio gratiæ, cui consentimus, seu (quod idem est) efficaci, statuitur: ei siquidem potestati ad vtrumvis, necessitas potentiæ ad consensum determinans, & non inclinans ad vtrumvis omnino contradicit, vt non semel antigimus, & ex instituto quæst.6. ostendemus: Sed certe definitiones præsentes rem nobis hanc citra discursus nostri laborem dederunt: scilicet ad meritum, ac demerendum: quia libertas, seu potentia ad vtrumvis requiritur, non sufficere libertatem à coactione, verum etiam à necessitate requiri in voluntate libertatem: ergo definitur stante libertate à coactione in voluntate nostra ad operandum, dummodo necessitas ad operandum alia in voluntate sit, à qua voluntas non sit libera, non esse absolutam libertatem, necessariam vtique ad merendum, & demerendum. Patet: quia quacumque necessitate alia ad operandum, posita, non erit absolute libertas à necessitate, quam requiri Concilium definit: ac proinde, si libertas absoluta ad operandum necessaria, ad merendum cum ea necessitate adesse admittatur, condemnata propositio expresse admitteretur. Eligant ergo aduersarij, an præfinitiones suæ prædeterminatiuæ necessitatem aliquam ad operandum inducant necne? si non inducunt, eis adhuc positis, nulla erit necessitas operandi, siue, vt voluntas operetur: quare neque præfinitiones prædeterminatiuæ natura, & essentia sua connexæ cum operatione voluntatis erunt: quod solum contendimus, sineque doctrinæ contradicit. Si autem dicant, suis præfinitionibus prædeterminatiuis necessitatem aliquam ad operandum, siue, vt voluntas operetur afferri, libertatem absolutam necessariam ad merendum, ac demerendum eis præfinitionibus euerti fateri coguntur; vel definitionibus hisce Pontificiis contradicere; quod de Catholicis doctis, piisque Patribus, non absque magna temeritate, vel leuiter suspicari nefas erit.

7. Neque verò dici potest præter libertatem à necessitate coactiua alias plures necessitates esse: ab vna autem earum, quæ non sit necessitas præfinitionum suarum, si detur ab ipsa libertas: satis erit, vt ad meritum, ac demeritum detur libertas non solum à coactione, sed à necessitate. Cæterum, etsi aliæ plures necessitates ad operandum à necessitate coactionis diuersæ assignari, atque intelligi, & explicari possent: si, vel ab vna illarum, non sit libertas, libertas absolute à necessitate non erit: quemadmodum etsi aliquis à necessitate morali seruiendi alicui, vel reliquis, qui dominium in ipsum non habent liber sit, si tamen moralem necessitatem seruiendi, vel vni soli domino, habet libertatem à necessitate morali seruiendi absolute non habet: & quia vectigalibus aliquibus, non autem ab omnibus libertatem habet absolute liber, & immunis à Vectigalibus, neque est, nec dicitur. Et ratio est; quia immunitas, & libertas, etsi voces positiuæ sint, tamen negatiuum significant: scilicet negationem seruitutis, & subiectionis: ac proinde terminum, cuius immunitas, & libertas dicuntur, distringunt, atque adeo omnes sub eo termino contentas seruitutes, subiectiones, & necessitates negant; cum ergo necessitas ad operandum, siue, vt voluntas operetur ab aliqua dicta, omnem necessitatem ad operandum, siue, vt voluntas operetur (vtpote communis his omnibus) sub se contineat, & coerceat, dum libertas absolute à necessitate ad operandum, siue, vt voluntas operetur, eis Pontificis decretis, & definitionibus necessaria ad meritum ac demeritum requiritur; non quidem libertas ab vna, vel alia, vel pluribus solum necessitatibus, etiam non coactiuis, voluntatis ad operandum, siue, vt voluntas operetur, requisita definitur, verum etiam libertas ab eiusmodi necessitatibus omnibus.

8. Secundo: secluſa necessitate consequenti determinationem liberam voluntatis, quamque ipsa voluntatis determinatio, seu operatio à potestate ipsius indifferenti (vt Anselmus, & Patres supra recitati quæst.3.cert. 4. aiebant) prouenions facit, & quæ, cum libertate requisita ad meritum, ac demeritum amice componitur: & secluſa etiam necessitate coactionis, cuius immunitatem etiam Cornelius Iansenius ad libertatem merito, ac demerito necessariam cum omnibus etiam Thomistis, & hæreticis fatetur: nulla necessitas pro priori naturæ ad operationem voluntatis, neque ab eius libero exercitio esse potest, quæ in necessitando voluntatem ad operandum, & non relinquendo potestatem illius indifferentem ad vtrumvis ab alia excogitabili necessitate differt: quia hoc totum, cuicumque speciali necessitati antecedenti pro priori naturæ voluntatis operationem, cum qua connectitur, atque ab eius libero exercitio independenti, ex prædicato communi necessitatis antecedentis natura operationem voluntatis, ab huiusque exercitio libero independentis conuenit: quare, sicut nulli eius generis speciali necessitati deesse magis potest, quam suis speciebus: ita nulla specialis eius generis necessitas excogitari potest, quæ magis, minusve, quam alia, libertati voluntatis officiat. Scio à Thomistis relatis à nostro Soar.1. de auxil. cap.10. num.6. & à Ioanne à Bononia de prædest. pag.514. ea distinctione duplicis potentiæ, & duplicis necessitatis vsos esse, & illa quidem vtuntur in hoc, & similibus difficultatibus. Cabrera in 3. part. tit.2. quæst.116. à num.302. Ioann. Gonzal.1.par.d.58. sect.2. Ioann.à S. Thom.tract.de volunt.d.5.art.6.num.13. scilicet necessitatis, & potentiæ absolutæ, & necessitatis, & potentiæ infallibilitatis. Et necessitatem absolutam ad vnum extremum pugnare cum potentia absoluta ad eius oppositum siue priuatiue, siue negatiue, ac proinde cum libertate ad vtrumque, quare & cum merito operationis, ad quam ita necessitata voluntas est; similiterque necessitatem infallibilitatis cum potentia infallibilitatis; cæterum necessitatem infallibilitatis stare posse cum potentia absoluta ad oppositum: quia, licet absoluta, potestas physica ad oppositum ponendum sit; ast infallibiliter nunquam illud est appositura: quod solum dicit necessitas infallibilitatis apponendi actum.

6. Definitiones igitur, aiunt, Pontificum de necessaria ad meritum, ac demeritum libertate nostrorum operum à necessitate, de libertate, à necessitate absoluta loquuntur, quæ potentiæ physice actiuæ arbitrij ad negationem operis est: hæc quippe potentiæ absolutæ, physice actiuæ ad oppositum (qua essentialiter stat libertas arbitrij, & operationis nostræ) contradicit: hanc verò necessitatem ad operandum voluntati à Thomisticis præfinitionibus prædeterminatiuis nullatenus inferri aiunt; sed solam necessitatem infallibilitatis; quæ absolutæ eius potentiæ physicè actiuæ ad oppositum, quare neque eius, & operationis prædeterminatiuæ præfinitæ libertati repugnat. Hanc solutionem huc ex parte impugnandam remisi q.4. certam.2.num.13. Et, licet fusius impugnanda sit à ratione quæst.6. eam tamen breuius impugno. Primo: quia Ethnicorum fatalium solutio fuit apud Iulium Sirenium 3. de fato cap.22. de eis aientem. *Dicebant enim, licet voluntas aliter re vera operatura non ſit, tamen poteſt abſolute operari.* Secundo: quia, si necessitas hæc infallibilitatis, vt operetur voluntas in prædicatis intrinsecis præfinitionis prædeterminatiuæ est, nec sumitur à futuritione ipsa operationis, quatenus est necessitas, qua necesse est fore, seu futurum esse quidquid semel futurum est (quæ quidem solum est consequens necessitas, & infallibilitas) nequit non necessitas infallibilitatis, vt operetur voluntas, tota præfinitioni prædeterminatiuæ intrinsecæ, ex eaque desumptæ totaliter, & adæquate necessitati absolutæ, physicæque vt voluntas operetur, præfinitione inductæ tandem inniti. Etenim necessitas infallibilitatis formaliter sumpta cognitionis obiecti propria

est, supponitque necessitatem obiectiuam: quare, si est necessitas infallibilitatis futuritionis vnius ex alio tota tota in hoc alio fundata, necessitas ea illationis obiectiuæ futuri ex illo alio, nempe præfinitione prædeterminatiua, nequit esse sine essentiali connexione physica, & metaphysica huiusce præfinitionis cum futuro; in qua stat physica, ac metaphysica, atque absoluta necessitas; ea quippe connexione sublata non erit ex præfinitione infallibiliter obiectiue, ac subinde neque formaliter operatis futuritio: atqui ab ea necessitate liberam esse oportere voluntatem, vt meritorie operetur, definitum esse ea solutione admittitur: ergo contra præfinitiones prædeterminatiuas immediate, & directe militat præfinitio. Mitto in citatum locum reliqua.

10. Denique ex damnatione quartæ Cornelij Ianseníj propositionis arguitur. *Semipelagiani admittebant præuenientu gratiæ interioru necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Cui propositioni hanc Pontifices damnationem iniunxere: *falsam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.* Falsitatem illius, quoad historiale eius propositionis meritissime declarantes, vt constat ex quæst. 1. cert. 6. & 7. hæresim vero, quoad eius doctrinale: quod scilicet gratiam, cui voluntas posset resistere admittentes (vt talio de illis Cornelius Ianseníus ibi retulit) essent hæretici: quare, cum eam, quoad hoc, hæreticam declarant Pontifices, & denuo, vti talem condemnant, definiunt eius oppositam: scilicet interiori gratiæ Dei necessariæ ad quodvis opus, etiam fidei initium, resisti posse, definitam iam esse (scilicet locis Tridentini recitatis cert. 1. ex sess. 6. cap. 5. & Canon. 4. & à cert. 2. perpensis) ac denuo definiri. Alioqui, id negare, vel hæreticum dicere hæresis non foret, neque posset hæresis damnari. Neque enim hæresis propositionem aliquam probabilem, aut etiam veram, & lumine solum naturæ certam notare, hæresis est; etsi sit stupidum improbabile, ac temerarium; sed solum notam eam propositioni definitæ & quæ de fide proinde sit inurere: ergo ex iis definitionibus constat de fide esse auxilium efficax, & voluntatem Dei prædestinatiuam, quam, vt efficax supponit saltem, eius esse naturæ, vt ei resistere possit humana voluntas: atqui, si prædeterminatiua præfinitio, quam auxilium efficax, vt efficax includit, vel saltem essentia sua supponit, iuxta varias aduersariorum opiniones, vel prædeterminatio ipsa de sese, natura sua, atque ab intrinseco, connexa cum opere nostro præfinito prædeterminatiue supponatur ex parte principij requisiti essentialiter ad operandum, non potest absolute nostra voluntas resistere illi: ergo nequit à Thomistis eiusmodi præfinitio prædeterminatiua defendi, quin definitioni huic Concilij aduersentur, & damnationi hæresis subiaceant. Minor videtur firma. Nam resistentia præfinitioni prædeterminatiuæ, quamdiu est, si ita de se efficax est, & physice, ac metaphysice connexa cum operatione præfinita nequit fieri, nisi per operationis præfinitæ, &, ad quam vocamur, omissionem: id autem fieri omino nequit, quamdiu vocatio, & præfinitio de se efficax est, seu pro tempore, pro quo præfinita est; Alioqui posset præfinitio prædeterminatiua esse sine operatione, cui essentia & entitate sua præfinitio connectitur: quare & posset iam præfinitio prædeterminatiua sine se ipsa esse: vnde potentia ad resistendum præfinitioni, est potentia, vt præfinitio sine seipsa sit, quæ est implicatoria potentia vt quæst. 6. vrgebimus contra distinctionem sensus compositi, & diuisi tam frequentioris aduersariis: quo autem pro instanti, pro quo non est operatio prædeterminatiue præfinita, possimus illam omittere (qui est primus Thomisticus eius distinctionis sensus) satis non est ad potentiam resistendi, & non obtemperandi: quia resistentia non fit, fierive potest suasioni, & voluntati Dei, nisi pro instanti, pro quo est, & pro quo suadet, & impellit: & non obtemperatio, nisi pro tempore, pro quo Deus vult, & suadet, ac proinde, pro quo potest esse obtemperatio, fieri nequit. Reliquarum distinctionum, & solutionum ex hac apud aduersarios ortarum impugnationes omitto: quia, & supra nonnullas dedimus, & reliquas impugnationes quæstione 6. à ratione dabimus.

11. Sed in primis: quia eæ omnes distinctiones, & aduersariorum effugia multo ante editas hasce Cornelij Ianseníj propositiones cunctis erant nota; ab eoque iisdem sensibus, & distinctionibus (quas omnes Caluinistæ etiam quibus in eis præfinitionibus adhæsit, ex Caluino ipso pro suis erroribus suadendis, ac tutandis adhibuerunt, vt vidimus certam. 2.) propositiones illæ fuerunt assertæ: ac insuper cum de eis Romæ apud Congregationes Innocentij 10. iussu, atque apud Innocentium ipsum sæpe disputatum est, vt ad earum Pontificiam censuram deueniretur, à Ianseníistis, & Dominicanis Partibus iunctis (vt aiunt) copiis eædem solutiones, distinctiones, & sensus earum propositionum sæpe, atque instanter repræsentatæ sunt, ac repetitæ vt earum damnationes Pontificiæ auerterentur; & tamen eis omnibus auditis, per otiumque maturissima deliberatione examinatis, atque perpensis, eiusmodi propositiones Cornelij Ianseníj damnatæ sunt ab Innocentio 10. primum, atque ex ante actis in Tridentino hæreticæ declaratæ: ac postmodum ab eius successore Dom. nostro Alexandro Vij. qui (vti ipse suo decreto recitato testatur) eis omnibus Congregationibus, & disputationibus interfuit: ergo, quia nullo ex eis sensu distinctione, aut doctrina eiusmodi propositiones Catholicas esse posse, aut hæresim exuere ab vtroque Pontifice à Cathedra, & Spiritus Sancti assistentia definiente iudicatum est: etenim, si sensu aliquo præcipue ex adeo notis iam diu, & tunc sæpe, & instanter propositis, ac repetitis absolute veræ, & Catholicæ illæ propositiones essent, esseve possent, nec cordate à Pontificibus absolute, ac sine vlla sensus distinctione damnarentur, nec Spiritus Sanctus eis definitionibus assistens, ac definientibus suggerens, damnari absolute permitteret: quocirca in dubium saltem verti posse alicui videatur: an post has Innocentij 10. & Alexandri VII. de definitiones Doctoribus sententiæ nostræ de scientia media, atque auxiliorum efficacia, liceat iam disputationes de efficacia auxiliorum diuinæ gratiæ contra intrinsecam Thomistarum efficaciam Typis etiam mandatis libris & disputationibus agere. Cum enim id vtriusque opinionis doctoribus, quovique aliter de hac re à Sede Apostolica statueretur, solummodo prohibitum sit, atque his Pontificiis definitionibus præfato examine, & disputationibus præmissis de præfinitionibus Thomisticis prædeterminatiuis, ac prædeterminationibus physicis, seu auxiliis de sese efficacibus actum videatur, fors alicui, non omino absque prohibitionem illam pro nostræ sententiæ Doctoribus cessasse videbitur.

QVÆSTIO IV.

An per Academias, & Sanctam Inquisitionem liceat præfinitionis Thomisticæ ad absolutam futuritionem contingentis necessitas.

HANC etiam quæstionem seorsim instituere aduersariorum querula (constantiam modestiæ causa dicamus) tenacitas fecit: qui cum Theologicarum, & naturalium rationum iudicio, Scripturæ, Patrum, Conciliorum, & Pontificum momentis imparem suarum prædeterminatiuarum præfinitionum sententiam nostræ tandem recognoscerent, scholasticos Doctores appellarunt: contendentes nostrum Ludouicum Molinam (qui primus cæteris acrius, duriusque bellum eiusmodi præfinitionum prædeterminatiuarum ac prædeterminationum recens excogitatæ à Magistro Bannez ad absolutam contingentis futuritionem necessitati bellum, victoria demum, & triumpho finiendum, indixit) exoticum aliquid, & contra Philosophorum, & Theologorum statam eo vsque sententiam paradoxum in scholas inuexisse. Id igitur hic ex certis Academiarum citationibus, ac recitationibus examinan-

examinandum est : atque nonnihil historiæ disputationum, & actorum Sanctæ Inquisitionis super hisce rebus, quia & hæc in Academiarum iudiciis attinguntur, erit adiungendum.

CERTAMEN I.

Academiæ plures necessitatem præfinitionum Thomisticarum, seu cuiusvis principij essentialiter requisiti ad futurum contingens, huic connexum, ab eoque in sui positione independens iam pridem firmiter excluserunt.

1. CVm inter Theologicas Academias, Parisiensis antiquitatis nobilitate cæterarum parens, princepsque sit, ipsius testimonium primum, ac præcipuum esse debet. Stephanus ergo Paris. Episcop. anno 1226. è consilio, collatione, & suffragiis Magistrorum Theologorum Academiæ Parisiensis aliquot propositiones variis censuris damnauit, vti habetur sub finem libri 4. sententiarum: inter quas erroris damnatur hæc propositio: *voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moueri; & mouente sic disposito, quod naturum sit mouere: impossibile est voluntatem non velle.* Atqui existente voluntate efficaci prædeterminatiua consensus, qua solum in aduersariorum sententia, Deus primum mouens apte est voluntatem aptam mouere, non potest non voluntas consentire, seu (quod idem est) impossibile est voluntatem non velle: ergo ipsissima præfinitionum prædeterminatiuarum doctrina damnata iampridem fuit ab schola Parisiensi titulo etiam 6. *De necessitate rerum*, §. 1. hæc alia propositio damnatur. *Nihil euenit contingenter consideratis omnes causas*: ergo aliquid euenire contingenter debet consideratis omnibus causis requisitis ad operandum: quibus scilicet positis contingens non esse damnatur: atqui hoc solum de euentibus, seu operationibus oriundis à causa, seu arbitrio creato liberis verum habet: cum de euentibus, seu operationibus causarum naturalium certum sit necessario omnes effectus, consideratis omnibus causis ad eos requisitis euenire: ergo damnatur ab schola Parisiensi positis omnibus causis requisitis ad operandum operationes, & effectus causarum liberarum non euenire contingenter, seu, quod ipsum est necessario euenire. At vero, si præfinitio prædeterminatiua Thomistica in causis necessario requisitis ad operationem, & effectum arbitrij, & voluntatis creatæ numeretur (vti à Thomistis numeratur) consideratis omnibus causis non eueniet, eritve contingens, sed necessarium: quippe, cui præfinitio determinatiua, ac subinde tota causarum collectio, in qua ipsa clauditur, essentia, & entitate sua connexa necessario, & inseparabiliter est per Thomistas: ergo ea præfinitio prædeterminatiua damnatione Parisiensi comprehenditur.

2. Dicere, vtcumque, aduersarij possent absolutam contingentiam effectus considerando omnes causas ea damnatione assertam saluari, ex eo, quod alicui earum causarum contingens euentus, seu effectus sit. Cum autem in causis cuiusvis affectus, seu effectus creati Deus causa eorum prima sit, atque ita velit ad quoscumque effectus concurrere, vt non concurrere, ac non velle, seu nolle pro sua libertate possit è libera & contingenti Dei voluntate effectus, & euentus creatus contingens absolute erit. Sed, præterquam quod ea doctrina, non aliter voluntatis nostræ, atque vniuersim cuiusvis causæ liberæ creatæ effectus contingenter respectu omnium futurum causarum erunt, quam causarum necessariarum effectus, qui tamen necessarij absolute euentus, ac non contingentis, à Philosophis, & Theologis dicuntur: extra rem, & mentem Episcopi, & scholæ Parisiensis ea solutio est. Etenim, quod ex Dei libertate, & voluntatis diuinæ, quam creata omnia ad sui existentiam supponunt contingentia, effectus omnes contingentiam, neque respectu Dei necessario eueniant extra controuersiam in schola Parisiensi, cæterisque Catholicis, imo & Christianis, etiam hæreticorum; Academiis, semper fuit: quare nec de eo vnquam fuit in schola seria disputatio, & controuersia, negantibus obstinato aliquibus: quorum errori non otiose, & inutiliter ea foret damnatione occurrendum. Error autem, qui circa ea tempora fuisse reperitur, stat 1. sententiar. dist. 38. asserentium: considerata collectione tota causarum, necessarium sit, nec contingens, volnntatem nostram operari vbi Capreol. quæst. 1. art. 1. à d. 1. ait: *Illi articuli*, præfatæ damnationis, *excommunicant ponentes omnia euenire necessario absolute omnibus causis compensatis.* Secundo ideo debet effectus quivis absolute contingens esse Deo, & subinde toti causarum collectioni: quia Deus liber agens illius est: atqui causa creata libera liberum agens respectu suarum operationum est ex fide: ergo eius operationes contingentes ipsi esse debent, etiam in consortio reliquarum causarum requisitarum ad earum elicientiam demum prima damnatio recitata de contingentia, & possibilitate non essendi operationem respectu voluntatis nostræ expressa est. Dices damnationes scholæ Parisiensis Sequanam minime prætergredi. Sed primo, etsi eius damnationes contradictorum de fide non faciunt; ast cum ea Academia nobilissimum, & frequentissimum, totoque orbe celeberrimum Theologiæ emporium tunc maxime temporis, fuerit, ac primoribus Ecclesiæ Catholicæ Theologis refertissimum, temere eius censura abiicietur: vbi nouum aliquod validissimum (quod aduersariis non adest) oppositi asserendi fundamentum non appareat. Idcirco doctis quibusque Theologis censuris hisce apta aliqua explicatione satisfacere in vsu semper fuit, vt sapienter obseruat Ruiz de Montoia d. 49. & 50. de Scient. sect. 4. num. 3. ostenduntque recitata verba Capreoli. Secundo. Censura hæc Parisiensis id necessario valet (quod solum hic intendimus) eam nempe Academiam pro nobis, & contra aduersarios ad censuras vsque doctrinæ istorum adeo pridem sterisse.

3. Neque verò adeo prolixa temporum vicissitudo aliquam scholæ Parisiensis sententiæ huius peperit mutationem: huc enim vsque quadringentorum & quadraginta annorum spatio in eadem sententia, & aduersæ censura perstitit semper. Etenim circiter annum 1400. Ioannis Vvicleffi errores quadraginta quinque propositionibus contenti (in quibus erat vigesima septima. *Omnia de necessitate eueniunt*, vt quæst. 3. cert. vlt. vidimus) ab eadem Parisiensi Academia damnati sint, vt patet ex Concilio Constantiensi sess. 8. post initium vers. *Et vlterius idem Archiepiscopus*, iuncta Concilij eiusdem historia ipsi præfixa med. vbi dicitur Concilij sessiones vsque ad duodecimam celebratas fuisse vsque ad annum 1415. insuper anno 1528. Decreto illo Concilij Senonensis 15. recitato quæst. 4. certam. 5. num. 2. Parisiensis Academiæ Magistri primores consenserunt. Ex dictis enim eo numero secundo cõstat illud Concilium Parisiis celebratum esse, eique Doctores, tam iure, quam Theologia præstantes plures interfuisse. Item quadringentis post primam damnationem annis (nempe anno 1624.) R.P.F Petrus à S. Iosepho Fuliensis Congregationis è suo Parisiensi conuentu librum de gratia scripsit, ac euulgauit, eiusque d. 7. sect. 3. num. 3. suam pro nobis in re hac, & contra prædeterminationes, & (quod idem est) prædeterminatiuas præfinitiones plurium etiam Dominicanorum authoritate, & allegatione confirmans subdit. *Quibus emunerare libet professores Theologos florentissimæ, & toto orbe celebratissimæ Academiæ Parisiensis: qui omnes vno consensu prædeterminationem physicam ab scholis suis ablegant: quod non exiguam authoritatem sententiæ nostræ conciliat.* Hoc ipsum testatus est alio suo opere Parisiis quindecim post annis edito (anno scilicet 1639.) de suaui concordia d. 4. sect. 4. num. 4. §. *Rursus in nobis*, atquem item Eugenius Philadel. exercitat. scholast. tripartita cap. 3. §. 6. in hæc scribens. *Deinde neque fieri aliter potuit, vt Sorbona sibi constaret, nisi esset consentiens hodiernæ pristinæ: siquidem olim ea definiuit, quæ cum physicis præmotionibus stare nequeunt: vt facile comperiet, qui excusserit ea, quæ addita sunt ad 4. sententiar. Est igitur nostra hæc, & propria quadam gloria: quod*

Sorbonam

Sorbonam sequimur scholarum omnium parentem. Et denique nunc etiam omnibus est notum Sorbonam, seu Parisiensium Magistrorum scholam totam, quibus de eis propositionibus conuenerat, Cornelij Iansenij propositionibus quinque à Sanctissimis Pontificibus Innocentio 10. & Alexandro VII. damnatis cum nostræ Societatis Patribus contra Iansenistas, & Dominicanos, & voce, & scriptis, cum Patrisiis, tum Romæ pugnasse. Adde ex eadem Academia Philip. Gamach. Doctor. Sorbon. & Regium eius Academiæ Professor. 1.2. quæst.3. cap.6.de grat.efficaci conclus. 2. & ad 4. obiectionem, Andræam Duualium Doctor.Sorbon.Regium etiam Professor.tract. de hum.action.quæst.3.de lib. arbitr. art.7. §.*Præter has.* Et titul. *Virum præfinitio*, §.*Hoc autem*, Et tract. de grat. quæst.6. ad 4. argum. quæst.7. ad 4. etiam argumentum Abra, de Raconis ibi etiam Professorem tract. de princip. quæst.2. propos. 1.fine. Ac demum Nicolaus Yzambertus, & Geruasius Bigonius apud P.Menao ventilat.3. num.10.

4. Succedant Academiæ Oxonienſis apud Anglos, & Pragensis apud Bohemos, quæ illam 27. propositionem Ioannis Vvicleffi de omnium operum necessitate cum aliis eiusdem reprobarunt, vt constat ex eadem sess.8. Concilij Constantiensis sub titulo. *Sententia damnationis Ioannis Vvicleffi.* post 45.articulos immediat. §.*Idemque Ioannes Vvicleffi.* Harum Academiarum iudicium eam propositionem damnans, habitum est anno circiter 1400. vt de Parisiensi super eadem Vvicleffi propositione dicebamus num.4. A tempore, quo inter nostros, & Dominicanos exortæ controuersiæ sunt, atque apud Clementem VIII. Molinæ opinio ab hisce accusata est. Academia tota Moguntina Clementem ipsum datis litteris idibus Augusti anno 1601. Oranit supplex vt Dominicanis obuiam iret, nostramque doctrinam, contra quam breui definiendum sparsi ab his rumores ferebant, consultissime examinari faceret: quippe qua vnice Bellarminus, & Stapletonius Caluinismum euerterint, & Tridentinas hic iure Sanctiones defensarint. *Quo præsidio, si destituti*, inquiunt, *fuerint, tum ingens apud Catholicos obortetur scandalum: tum ansa præbebitur Caluinistis, quasi de parta contra nos victoria triumphandi. Deinde etiam, atque etiam Beatitudinem vestram rogamus, vt Catholicarum Academiarum in tam ardua quæstione iudicium necessitari grauetur. Non quod arbitremur Sedem Apostolicam in formatione earum opus habere? sed, vt accuratius Doctorum Septentrionalium disputationibus, (quibus assiduum in hoc genere cum hæreticis certamen est) discutiatur: an illa opinio de efficacitate gratia cum necessario voluntatu consensu coniuncta affinitatem aliquam habeat cum errore Caluiniano in Synodo Tridentina confesso, ac damnato, eaque se zelo veritatis, ac diuinæ gloriæ contra frementes vndique in his locis, ac diuinæ gloriæ contra frementes vndique in his locis eis hæreses defendendæ protestantur.* Epistolæ huius exemplar extat apud Paulum Leonardum 1. par.Responsionum sect 9. eisdem rumoribus Herbipolensis per mora expleno claustro ad eundem Clementem VIII. eodem anno 1601. 7. Julij scripsit iuxta exemplar, quod ad verbum impressit. Idem Paul. Leonardus ibidem num 40. Ex quo hæc transcripta voluimus. [Vtinam & Sectarij in Germania quando ad eos fama defertur aliquot è Catholicis Theologis opinari per diuinam gratiam sic hominis prædeterminari voluntatem, vt nequeat cum eiusmodi motione adiungi dissensus, non magis confirmentur in sua semel erroris sententia concepta de libertate nobis per cœlestis gratiæ potentiam erepta Non dubitamus Beatiss. Pater Sanctitatem vestram pro sua, qua in rebus difficillimis pollet, prudentia, & authoritate, quam in controuersiis religionis componendis à Deo concessam habet, cito huic gliscenti malo, ne cum quorundam offensione, & scandalo forsitan longius progrediatur salubre, & opportunum adhibiturum remedium: seduloque curaturum, vt Authores huius rumoris vbique, quasi disseminati suam de gratia prædeterminante opinionem in vrbe ex fide certam esse, & passim à Theologis, vt certam doceri, à cœpto suo proposito non satis laudato deinceps desistant. Illud modo humillime rogamus, vt hanc nostram curam, & solicitudinem, quam ad sanctitatem vestram referimus, & in qua præter pacem, animorumque concordiam in Ecclesia conseruandam, aliud nihil expectamus, Clementer, paterneque suscipere velitisque aliquando in hac controuersia, quid determinandum sit, Academiarum etiam Catholicarum (in locis præsertim Septentrionalibus, vbi maiori studio, & diligentia ob vicinum, & imminens malum discutiuntur, & examinantur hæreses) audite sententias, & iudicia dignetur, qui cum terdecim cæteris Doctoribus subscribunt Fr. Baltazar Bucchnerus Dominicanus sui conuentus Prior, & Fr. Gaspar Leuibach Franciscanus, Ingolstadij Academiam totam eo etiam tempore, ac deinceps pro nostra sententia, & contra prædeterminatiuas præfinitiones stetisse, is solus nesciat, qui, & eius primarium Theologum professorem nostrum Gregorium de Valentia eo temporis fuisse ignoret: indeque, vt in Romanis hac super re disputationibus nostras coram summo Ecclesiæ Antistite ductaret partes, fuisse euocatum: ac demum totam exinde Academiam illam illustrem nostræ omnino ditionis nostrorumque in iis, quæ iuris, & medicinæ non sunt, Magistrorum esse: quo nomine plures aliæ Germaniæ vniuersitates, quæ ab hæreticis per eius Imperatores ereptæ nostræ societatis Magistris, & doctrinæ traditæ sunt, contra præfinitores prædeterminatiuos referri debent: in eis quippe omnis conditionis hominibus, & laicis, & Regularibus publice magno omnigenæ conditionis & facultatis auditorum concursu (qui nostras adire Academias in præcipuis Catholicæ suæ fidei notis reponunt) nostra hæc Thomisticas præfinitiones auersans solummodo admittitur.

5. Sed ad celebrem Louanienſem scholam veniamus, quam pro se aduersarij refutant. Aluarez enim 1. opuscul. de origine Pelagianæ hæres.cap.32. numer.7. refert ex fideli Theologorum Louanienſium testimonio se didicisse Doctorem Petrum de Riuo anno 1473. Sixto 4. Pontifice hanc in ea Academia asseruisse, ac defendisse propositionem: *quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc impedibile est, & necessarium.* Cui reliqui Doctores Theologi Louanienſes multis disputationibus reclamarunt: delataque ad Sixtum 4. damnata tandem ab ipso fuit, & coram ab ipso Riuo reuocata: eiusque propositionis damnationem, & Louanienſis Academiæ contra ipsam, quare, & contra nos (qui eandem vti nostræ doctrinæ principium colimus) vnanime iudicium nobis à Magistro Lemos in Romanis illis disputationibus opposita fuisse: vt sibi etiam persuasit Ioann. à S.Thom.8. par. d.20. art.6. sed certe ea Petri de Riuo damnatio, & retractatio nullibi tunc apparebat atque eam à Louanienſi Academia inquirenti Magistro Aluarez Decanus, & facultas Theologica, & Philosophica referipserunt Sexto Iunij anno 1631. in eius Academiæ Archiuis minime ex pare, sed solum chartulam ab eodem Riuo subscriptam, cuius rescripti authenticum exemplar apud se habere testatur. Eminentiss. noster Ioann. de Lugo d.29. de Incarnat.sect.6.n.72. à quo iterata eius rei inquisitione inuentus est liber eo tempore conscriptus, exhibitusque ad transcribendum a R.D.D. Guillielmo Mercero Decano S.Petri S.Theologiæ Doctore, & Primatio Professore, in quo octo eius Doctoris propositiones sunt à Louanienſibus impugnatæ, & tres item aliæ. Censura item Louanienſium, & damnatio à Vicario Generali Pontificis Romæ facta, & ibidem Riui eiusdem reuocatio. Cæterum & Louanienſis Academiæ Censura, & Romana damnatio, & reuocatio de Riuo propositionem, seu articulum, qui erat, *quod necessario sequitur ex aliquo præcedenti ordine successiua durationis necessarium, & ineuitabile est.* Vt constat è facultatis Louanienſis subiunctis declarationibus præsertim 1.3.5.6. & 7. quin, etsi Riuus secundum hunc articulum propugnans illam propositionem ab Aluarez, & Thomistis relatam hoc in argumento assumeret: *quoniam, ex quo ad præteritum non est potentia illud esse impedibile:* (quod duratione præcesit, vt reuelatio de peccato Antichristi) sed *ex inimpedibili per consequentiam necessariam, non infertur, nisi inimpedibile: quare futurum euentus rei non esset, nisi inimpedibile.* Minorem Riui imputatores admittebant, vt certam. Et Maiorem distinguebant, illam concedendo de præterito omnino inimpedibili; negando de præterito ex parte impedibilis quia connotat contingens futurum, quod non ponit cum, cum

cum ponitur de facto, absolute, potest, ac proinde scientia Dei, vt de illo est, ac subinde illius absoluta reuelatio, quæ fuit, impediri potuisse, ne esset, licet conditionata sine ex suppositione necessitatem habeat, iuxta doctrinam Petri de Tarantasia in 1. sentent. d. 38. & Alberti ibidem qu. vlt. ad argum. penult. à Louanienſibus recitatas, vt huic Petri de Riuo argumentationi satisfaceret. Ipse verò doctrinam hanc non capiens, vt futuris contingentibus reuelatis contingentiam, & libertatem seruaret (quæ si illa sua maior absolute & omni sensu vera esset, vt ipse volebat prorsus ea reuelatis omnibus auferebatur, malebat tandem duratione præcedenti reuelationi de contingenti euentu, pro nunc, veritatem negare, ac subinde ei innixam propositionem de fide quamvis, nunc, ante contingentis tempus, non esse de vigore sermonis veram: quæ sunt absurdissima. Hæc omnia ex codice illo citato recitat præfatus Pater Ioannes de Lugo vbi proxime, ex quibus constat primo, quam scite Basilida tunc respondent Magistro Lemos obiicienti eam Louanienſis facultatis censuram, & damnationem Romanam propositionis, & doctrinæ Petri de Riuo respondenit: damnatum illum quidem, *quod male de futuris contingentibus docebat.* Scilicet damnata illa propositione, seu articul. 2. constat etiam secundo: totam Theologicam Louanienſem facultatem illam nostram propositionem, quam ab ea facultate damnatam in Riuo aduersarij contendebant (scilicet quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile est, & necessarium) admisisse, atque approbasse; ac consequenter aduersam propositionem præfinientium prædeterminatiuorum ab eadem facultate Louanienſi fuisse reprobatam: quare, & tunc temporis eam Academiam pro nobis, & contra aduersarios stetisse.

6. Sed tamen, inquies, adhuc ex eodem Reuerendiſſ. Tranenſi Archiepiſcopo Aluarez eodem opusc. cap. 33. n. 18. doctrinam Lessij, & Hamelij, nostrorum Illustrium apud Louanium Magistrorum (quos ille, quasi honoris causa, reticet) Doctores Louanienſes, quasi Massiliense errorem contra Augustini sententiam, excitarent, dānasse, & ad Sixtum V. detulisse anno 1589. Censura satis acri, si ea esset, quam Ioan. à S. Thom. 1. art. 20. d. 4. §. *quapropter*, commentus est: addens in 17. ex apochryphis illius Congregationibus Censuram illam recitatam esse apud Clementem 8. contra nostros, nec expunctam: insinuans eius obiectionis patientia Pontificia ab eodem Clemente damnationem Louanienſium fuisse, tacite saltem, approbatam sed bonus pater non videt duriora nos contra ipsos obiecisse, neque tamen à Clemente ex puncta fuisse: ac proinde eo coniectandi genere, si præstaret, petiori loco eorum doctrinam positam esse. Sed certe in litigijs omnibus, quænam ex allegationibus partium iudici probentur, eius demum super causa principali sententia probat: quæ in nostra cum Dominicanis actoribus causa nobis omnino proficua fuit, nostras hac in re opiniones, vt non definiens, aſt Catholicas probans: quare nullis illis Cēſuris obiectis obnoxias declarans: Idē autem sua illa tempestate Censuræ illius Louanienſium illorum exitus fuit, & plurium Doctorum, qui Duacenſis suæ Academiæ nomine Louanienſium Censuræ subscripserunt. Horum partibus accessit Archiepiſcopus Metropol. Ioanes Hauchinus, cuius suasionibus fere annuebant iam maiori ex parte Episcopi suffraganei. Etsi ex eis doctores restiterint. Rei igitur per Generalem nostrum conscius Sixtus 5. seduloque doctrina Lessij examinata Episcopum Calatinum suæ Sedis Nuncium apud Colonian Louanium festinanter pergere iuber, vt Breui Apostolico per quod, suo (erat autem, & Sixtus apprime Theologus) & Cardinalium iudicio sane omnino doctrinæ omnia Lessianæ doctrinæ capita declarata, Louanienſium, & Episcoporum in euulganda Censura in fidei rebus sine recursu ad Petri Cathedram præsertim contra inauditum doctorem temeritatem compesceret: vti statim præstitit edicto publico ad valuas templorum Belgij affixo, quo sanæ doctrinæ omnes arcuit nostri Lessij publicabantur; & hæc quidem quidquid de rebus hilce Lessij doctrinæ è Censura illa Louanienſis ingloriam esse potuit in eius verterunt gloriam quæ his posuimus, ne quis male animata illa Censuræ Louanienſis glossa Ioannis à S. Thom. decipiatur; putans,

quod callide insinuare voluit, ex eo quod inter disputandum obiecta fuerit, nec statim à Clemente 8. expuncta, vim aliquam Pontificiam contra Lessij, & Societatis doctrinam traxisse: quia, vt dixi, quæ opponuntur à litigantibus, qui causa, vt aduersarij nostri, cadunt sententiâ eadem causa repelluntur. Ac insuper cum ea Censura authoritate Sixti V. fuisset per eius Nuncium ad id missum iam diu expuncta, negligenda solum fuit, non autem expungenda tunc otiose.

7. Sed quoad eius Academiæ sententiam scire oportet, Michaelem Baium, Academiæ illius decanum multa de gratia aliena à veritate, & quæ ad Caluinismum, & Lutheranismum vergerent euulgasse, vt aiunt Vasq. 1. 2. t. 2. d. 90. c. 18. n. 175. Soar. t. 1. de grat. prologom. 6. c. 1. Possevin. in apparatu verbo *Michael Baius*. Lorca 1. 2. t. 2. fin. Luisius Torres tom. 1. opusculorum: opusc. 15. & apud hos constat ex Bulris Pij V. & Gregorij VIII. contra ipsum. Notarunt hæc nostrates Theologi, ad summamque Sedem detulerunt: reque cognita Gregorius 13. nostrum Franciscum Toletum Apostolico Breui ad Serenissſ. Guillielmum Bauariæ Ducem misit, vt Baius errores agnosceret, ac retractaret: quam legationem, & diploma, seu Breue refert Ludouicus Batia 4. p. Histor. Pontificiæ in Clemente 8. memoratque Vasq. supra; Peractum id à Toleto fuit, eoque coram sua dogmata eiurare Baius compulsus est: præcipua autem erant, quæ postmodum Cornelius Ianſenius excitauit libro inscripto *Augustinus*, de quo qu. proxima cert. vlt. diximus. Siquidem Vrbani 8. constitutio, & confirmatio constitutionum prædictarum Pij 5. & Gregorij 13. contra Baium, ac simul præfati Ianſenij libri prohibitio in Typographia R. Cameræ Apostolicæ cusa anno 1643. Librum Ianſenij prohiberi ait, *articulos*, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus reprobatas, atque damnatas, vt compertum est continentem, & renouantem: cum igitur & à nostris se accusatum Baius crederet, & per nostrum Toletum (etsi Apostolica authoritate) eiurare compulsum videret, per se & Doctores Louanienſes necessitudine, & Academiæ communione coniunctos, vindictæ, quasi communis, loco, eum næuum Censura illa nostris inauditis traductæque quam transcriptæ eorum doctrinæ appingere curauit. Etsi autem partim Louanienſes Doctores nostræ aduersati eis de causis sint; eorum tamen præcipui, longeque ab ea suspicione positi, per idque tempus eius, & Duacenſis Academiæ lumina, & columina pro nobis & contra Baij, & Thomistarum, quam impugnamus, doctrinam constanter steterunt: Nam Driedonem Cæterorum Magistrum, nobis donat Aluarez 1. responsion. cap. 1. num. 30. §. *Quod dictum est.* Et Ledesma de auxil. fundamentali propos. quæstionis pag. 7. Et art. 3. §. *Secunda sententia*, art. 10. §. *in hac difficultate*, art. 11. §. *Inter Catholicos.* Et meritò nam Ruardus Tapper insignis eius discipulus art. 7. de lib. arbitr. propos. 10. pag. 309. nostram doctrinam tradens, illam à Præceptore se suo Driedone accepisse testatur. Ex quibus apparet Ruardum etiam Tapperum, cum ibi, tum locis aliis citandum nobis contra aduersarios adesse, vt Ledesma, & Aluar. proxime ac Ioseph à Sancta Maria tract. Thomist. de libero arbitr. in communi q. 4. ar. 3. & 6. §. *Prima opinio*, fatetur. Item Franciscanus cunerus Petri Episcop. Leouardiensis insignis eius Academiæ Theologus, Archiepiscopi Cameracensis in sacris Vicarius contra Baij, & aduersariorum doctrinam nobiscum stetit, vt constat ex tr. de lib. arbitr. cap. 9. propos. 3. quæ accepta refert Præceptoribus suis Driedoni 1. de redempt. gener. humani & Cancellario Louanienſi Ruardo Tappero proxime. Ioannes à Bononia Louanienſis etiam vniuersitatis Doctor insignis eadem nobiscum, & contra aduersarios docuit locis datis q. 4.

9. Ioannes insuper Strienus Franciscanus, Middelburgensis Episcopus, Læuinus, Torrentius Episcopus Antuerpiensis, Thomas insuper Stapletonius Louanienſis Doctor Duaci, tunc doctrina celeberrimus suam præsentiâ vitalsere Duacenses Doctores, cū Censuræ Louanienſi subscripſe litteris ad familiarem Louanienſem testatus est: quæ omnia præter fundamenta eleganter, & minutatim retexūtur in imagine primi sæculi societatis nostræ à Prouincia Flandro-Belgica lib. 6. c. 4. §. *Aduersantium nobis*. Indeque transcripta à Paulo Leonardo part. 3. responsion. sect. 9. ac Stapletonius quidem postea Regius sacrarum litterarum apud Louanienſes Professor nobis hac in re

assentiri, atque aduersariis repugnare plus satis testatus de se fuit in 1. ad Roman. vers. *An diuitias bonitat*, in antidotis Euangelic. ad 11. Matth. vers. 22. *Si in Tyro, & Sidone* in c. 25. vers. 15. *vni dedit quinque talenta*. In Acta c. 9. vers. 6. *Tremens, ac stupens*. In Ioann. c. 15. vers. 9. *Manete in dilectione*, in promptuario Catholic. serm. 6. Hebdom. 1. quadrages. *Vis sanus fieri*. Quibus adde Ioannem Malderum Regium in Louaniensi etiam Academia Professorem Theologum, post Antuerpensem Episcopum, dissertat. de gratia dubitat. 10. m. 1. & 2. & de auxilior. efficacia m. 3. & 4. Ioannem etiam Vvigers eiusdem scholæ Doctorem, & Regium Professor 1. 2. q. 111. art. 3. quæst. 2. à 33. His eius Academiæ notissimus principibus, quos nam nobis aduersarij opponunt & numero, & dignitate in ea schola maiores, vt illam non pro nobis, sed pro se stetisse tunc probent? Id enim ciusmodi probationi necessarium est: scilicet Michaelem Baium damnatæ doctrinæ hominem, atque illius eiusque reprobatæ à Pontifice doctrinæ vltra prudentiam, & æquum, fors vltra fidei etiam puritatem, fuerunt additi, neque alio, quam censuræ illius temeritate, & Louanieasium Doctorum nomine noti. Eis etiam titulis nostra hac tempestate eandem Academiam pro se citare possunt: quia Cornelij Iansenij olim apud eam Professoris, Iprensis, postea Episcopi, nonnulli etiam eius Doctores doctrinam nostræ etiam oppositam, Pontificiis tamen decretis, & constitutionibus Innocentij 10. & Alexandri 7. postea vt vidimus, damnatam secuti, nec sine in nos concitatione, & tumultu fuere tutati: neque id eis negabimus, dum nobis, quod inficiari nequeunt, concedant: nullum eius insignis, & Catholicissimæ Academiæ Doctorem, in quem censoria Sedis Apostolicæ virga animaduersum non sit, nostræ doctrinæ oblatrasse, suæque fauisse: nullum item eiusdem Academiæ Magistrum insignem, qui vltra omnem erroris amplexum, ac fauentiam fuerit, cõtra ipsos non pugnasse, ac nostris partibus non accessisse. Itaque resectis eius Academiæ viris, qui priuato aliquo partium studio aliquando delipuerunt, omnis illa amplissima Academia ad purum Catholicæ, nostræ semper doctrinæ, & contra Præfinitores quosque prædeterminatiuos extitere, & ex aliis etiam fere omnes Apostolicis doctrinæ nostris aduersæ condemnationibus Catholice resipiscentes ad nostra se castra recepere. Est autem pro Duacensis Academiæ laude notandum: ita eam eiusque Doctores fauentiæ in Baium, & Censuræ Louaniensis contra Lessium subscriptionis pœnituisse, vt quamvis in Louaniensi (cuius Duacensis colonia, est) Baij cineres ex parte revixerint, vt vidimus; ex Duacensibus tamen Doctoribus nemo eis deinceps accesserit nostramve in re præsenti doctrinam deseruerit.

9. De Hispaniæ iam Academiis dicendum, & de Elborensi Lusitana schola, cum primis illustri, non pugnabunt aduersarij; cum sciant eam apud nos omnino natam, nutritam, adultam. De Conimbricensi omnigenæ scientiæ emporio frequentissimo præter nationis Lusitanæ ad nos, doctrinæque nostræ amorem vulgatissimum: id vnum sat esset, vt pro nobis stetisse semper scholam illam monstraretur: habuisse, scilicet, professorem Primarium annis multis, & oraculi communis ad instar Patrem Franciscum Soarium Illustrissimum, ac validissimum præfinitionum prædeterminatiuarum expugnatorem. Accedit eam, vt præcipuam Lusitaniæ Academiam à Sancta, & Generali eius regni Inquisitione consultam, cum primum ad hanc nostri Molinæ doctrina prælens delata est: eiusque proinde absque dubio sententia doctrinam hanc fuisse ab eadem generali Inquisitione approbatam, & commendatam, vt interius paululum dicemus. De Complutensi Castellæ nostræ, in rebus Theologicis facile Principi, Academia hac in re communi, & antiquo sensu cum magis aduersum nos quorundam Patrum Dominicanorum zelus exarsit haud difficile erit ostendere pro nobis fuisse. Etenim postquã à Sanctis Generalibus Inquisitionibus Castellæ, & Portugalliæ huius Molinicæ doctrinæ nostræ delatores aduersarij, magna eius approbatione, & laude neglecti sunt, apud Romanum Pontificem eandem eidem Molinæ, & nostræ doctrinæ litem instaurarunt annum circiter 1594. quo tempore & Sancta Generalis Hispaniæ Inquisitio, & Clemen. VIII. per D. Camillum Caietanum, suum ibi Nuncium, Academiarum Castellæ iudicium his de rebus speciatim circa mentem S. Augustini, exquirebant, vt constat ex remissione examinis duorum articulorum sententiæ Patris Vasq. (quorum secundus erat, *de exclusione necessitatis prædeterminationis physica ad consensum honestum*) à Rectore Complutensis Academiæ iussu præfati Dom. Nuncij dato anno 1597. die verò 24. Iulij Doctoribus nominandis statim, ac Rectoris ipsius (qui Doctor Antonius Fernandez Valcoma erat) manu subscripta, de eiusque mandato, manu etiam Ludouici Delaserna Secretarij Vniuersitatis, cui remissioni ita nominandi Doctores quoad secundum articulum respondenrunt. [Secundum est vtrum inter gratiam (hoc est congruam cogitationem intellectus, & subitum motum voluntatis) ex vna parte, & nostrum liberum consensum, concursumque actualem Dei illi debitum ex alia medietate aliqua physica applicatio prædeterminans voluntatem? In quo P. Vasq. tenet negatiuam partem existimans dictam gratiam excitantem esse causam sufficientem nostri liberi consensus cum concursu Dei illi debito: in qua re, quamvis Augustinus non excludat, expresse, dictam applicationem physice prædeterminantem, quia de illa non agit: non tamen illam exigit; sed secundum eius doctrinam dicta gratia excitans est sufficiens, vt sit causa nostræ bonæ voluntatis. Doct. de la Camara Sanctarum scripturarum interpres. Doct. Ludouicus de Tena Primarius Theologiæ Professor in Cathedra Scoti. Doct. Aluarus Villegas Vespertinæ Cathediæ Professor. Doct. Franciscus Peræ Tribaldos Philosophiæ moralis Professor. Doct. Ildephonsus Fernandæ. Doct. Hieronymus Ruitius. Doct. Andreas Peræ. Doctor Ioannes Garcia Doctor Orduña.] cui rescripto, & singrapha, & vniuersitatis sigillo eius Secretarius, qui supra Ludou. de la Serna fidem facit 5. Augusti eius anni 1597. Et hæc quidem altera est eius Academiæ approbatio nostræ huius doctrinæ necessariam esse ad liberum consensum nostrum physicam prædeterminationem, ac subinde eius decretum, siue prædeterminatiuam præfinitionem abnegantis: quare tanquam de re in ea Academia, iamdin satis perspecta, paucis, citra temeritatem, diebus à tot Illustribus Doctoribus, tam promptum in re adeo graui potuit ferri iudicium.

10. Etenim Generalis Inquisitionis Castellanæ commissione Censura alia vniuersitatis eiusdem: pro doctrina concordiæ Molinæ per integrum annum examinatæ edita fuit 1. Octobris anno 1596. vt testatur, qui tunc Abbas Sanctorum Iusti, & Pastoris, & Vniuersitatis Cancellarius D. Ioannes Neroni Epist. ad Cardinalem D. Pompeium Aragonium Romæ degentem data Compluti 22. Iunij 1601. cum eius Academiæ Doctor, & Professor Petrus Michael ex Roma, vbi tunc aderat, scripsisset de concordia doctrinæ eiusdem libri examinanda ibi iterum agi: *cumque*, inquit, *ex mandato Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum à doctissimis viris huius Complutensis vniuersitatis, magna, & accurata diligentia per longum tempus, maturo consilio (me præsente) id præstitum sit, non sine libri approbatione & adhuc de illo varij rumores sint: opera pretium duxi Illustriss. Domin. vestram de hac re certam facere: tum, vt pro bona existimatione huius Academiæ, & doctissimorum virorum, qui huic examini interfuerunt, respondeam (quorum placita, si ij, qui nunc librum perlegunt attente audirent, non dubito quin libenter acquiescerent) tum maxime, vt authoritati, & reuerentia debita Sanctæ Inquisitioni (quæ apud omnes in magno pretio debet esse) vt par est, consulerem: valeat, &c. Ioannes Neroni Doct. in re, Abb. & Cancell. Complutensis,*] testatur etiam eius anni Collegij maximi, & eius vniuersitatis Rector cum consiliariis suis epistola alia præfatæ occasione notitiæ ad eundem Cardinalem missa, quæ sic habet. [Ex litteris Petri Michaelis, qui huius Academiæ notitia istic agit, cognouimus minus probari nonnullis iudicium illud, quod huius Academiæ Doctores de concordia Patris Ludouici Molinæ tulerunt, quam ob rem, & nostro honori, & dignitati cõsulueris, si id egeris, vt idem illud iudicium, atque Censura per doctissimos quosque viros accurate & per otium rursus examinetur, eo prorsus modo, quo hic res tota discussa, & examinata fuit. Nam Censura illa non prius ab Academia lata est, quam liber ille per integrum annum diligenter, atque accurate perspectus fuit ab his, qui aut Hispaniæ totius doctissimi sint, aut certe inter doctissimos

mos numerandi; idque eo animo, atque consilio, vt vnam virtutem spectantes sincere, ac seuere iudicarent: quod credo sentient docti omnes, qui similem animum, & diligentiam ad iudicandum attulerint. Erit igitur alterum, quod à tua dominatione illustrissima obsecremus: vt, si quid in illis propositionibus, quæ à nostris Doctoribus iudicatæ sunt, ab aliquo desideretur, agat cum sua sanctitate, vt iterum ad hanc Academiam referatur, vt rationes reddantur singulorum, & sanctorum, scholasticorumque testimoniis confirmentur, &c. Mag. Petr. Ruiz, Mag. Rector. Doct. Caluo Doct. Mexino ex decreto Rectoris, & Collegij M. Eugenius Perez.]

11. Nec bis solum ea doctrina in Molina & Vasq. probata Complutensi vniuersitati fuit. Siquidem post vtramque datam approbationem die 5. Aprilis anno 1599. opusculorum librum Patris Francisci Suarez, in quo de Scientia media opusculum est, ex supremi Regij Castellæ Senatus decreto iisdem fere Doctoribus, à quibus in Vasquio doctrina eadem laudata fuerat anno 1597. laudata rursus, atque tanquam apud Sanctos Augustinum, & Thomam nata prædicata est: cui Censuræ Doct. Ludouicus Montesinos Primarius in Cathedra Sanct. Thom. Professor subscripsit. Et sane præter Professores Theologos, & reliquos Complutenses eius temporis referendos Doctores ante annum 1630. nemo vsquam fuit (excipio Dominicanos, qui in Cathedris illis duabus suo ordini à duce Lermæ fundatis anno 1612. legerunt, qui Thomisticis prædeterminatiuis præfinitionibus non fuerit aduersatus. Idem Montesinos nostram hanc eandem doctrinam docuit r.2. in 1.2.q.19.art.2.d.10.q.3.§. *Ad confirmat. Duran.* q.111.art.3.d.31.q.2. n.44. sicut & docuerat eius quondam Academiæ Professor Illustriss. Ludouicus Tena Episcopus Detussensis in Epist. ad Hebræos cap.4. difficul.6. c.12. in litteræ expositione n.19. §. *Ex quo contra*, atque primarius etiam Complutensis Professor Martinus Albiz Augustinianus d.7. de Scient. sect.5. n.6. & sect. vlt. Imo ex ipsis illis Dominicanis in suis illis Cathedris Professoribus, qui insigniores habiti sunt, nostræ huic doctrinæ adhæserunt, vt Mag. Ioan. Gonzalez Albelda recitato loco, Mag. Laurentius Gutierrez, Mag. Biedma ad Almeriæ demum Episcopatum assumptus cuius rei præter nos oculati testes sunt quicumque Complutensem Academiam per ea tempora frequentarunt: in qua nemo fere etiam scholasticorum, nisi è nostri Vasquez doctrina resprabat. Lorca verò, & Montesinos, qui in nonnullis à Vasquio discesserunt in re hac ad præfinitiones determinatiuas spectante, ipsi consenserunt omnino, vt vidimus, ac inferius videbimus.

CERTAMEN II.

Æque contra easdem Thomisticas prædeterminatiuas præfinitiones Hispaniæ Academiæ reliquæ pro nobis pugnarunt. Vbi de delatione S. Inquisit.

1. DE Salmantina Academia, quod Thomistis hac in re fauerit, faucatque, nec firmis, nec veris testimoniis, & cursus Theologicus, & Fr. Ioann. à S. Thom. conficiunt: sed ipsis potius illam aduersatam semper fuisse, adeoque nostris firmius ostendemus. Et in primis, cum contra auxiliorum efficaciam, scientiamque mediam (quæ præfinitionibus prædeterminatiuis hisce contradicunt) apud Vallisoletanum S. Inquisitionis tribunal tentata ab aduersariis lis est, fieri minime potuit, quin infausto, ac fœlici nobis eius delationis exitu suam ea Academia (quæ & præcipua Hispaniæ, & intra eius tribunalis iurisdictionem est, ac proinde iudicium eius in primis pertendum) operam locarit. Habemus tamen firmiorem Venerabilis Mag. Augustiniani Augustini Antolinez Primarij eius vniuersitatis Professoris Theologi, postea, ad Archiepiscopatum Compostellanum ob eximiam, & litterarum, & virtutum excellentiam assumpti, qui nec sine miraculorum splendore viuis excessit. Cum enim litem tandem Romæ, Molinæ concordiæ ab aduersariis motam audiret, hæc inter ad Mag. Gregorium Nuñez sui ordinis pro Lusitania Procuratorem in vrbe scripsit Epistola data Salmanticæ die 12. Augusti, anno 1600. [Hoc ausim vestræ Paternitati fideuter testari. Eius opiniones in hac Academia, & in hac nostri ordinis Prouincia tanto cum plausu admissas, vt vix sit, qui alias vel legar, vel defendat de me id affirmare valeam, postquam liber Molinæ publicum aspexit, mihi, & in lecturis, & in oppositionibus, & in quacumque litteraria exercitatione plurimo adiumento fuisse: æquumque est, vt viri omnes docti libro cunctis tam vtili faueant. Et ita vest. Paternit. obnixe deprecor, vt, si ipsi hæc commendetur Censura idipsum faciat: non mei tantum gratia, sed propter omnes, qui studiis impense vacant. Et quidem, si V.P. attente perlegat, vix subtilius aliquid repetturus sit, quod non in suis lecturis Mag. Fr. Ludouicus Legionensis insinuauerit. Illud etiam V.P. admonuero: si hinc ad Generale capitulum nostrum profecti essent, eius opiniones defenderent: quæ quoniam in nostra prouincia communes, æque ferme cauta nostra atque ipsius, &c.] Eadem item die P. Ioanni Baptistæ Piambino eiusdem ordinis Procuratori Generali in vrbe de Molinæ concordia rogatus respondit: [Licet mihi, nisi ex scriptis, cognitus non sit Molina, mihi persuasum est ex doctissimis libris esse, qui hoc sæculo prodierunt, ex quo ad Theologos plurimæ vtilitates manarunt: cuius, etsi mole exiguus, scriptor esse mallem potius, quã aliorum magnorum voluminum, quæ non vulgari in pretio habentur. Ego eo maxime vtor, tum ad prælectiones, tum ad quæcumque scholarum argumenta: ac proinde, tanquam Magistrum, & Doctorem meum colo: quod video à quoquo, vt ingenio præstantior est, fieri in hac nostra Prouincia eius doctrinæ plurimum deferatur: quam & in lecturis, & in Thesibus propugnant: & iuxta quam Philosophiæ Magistri concursum causæ primæ cum secundis declarant.] Multaque in laudem ingenij, & scriptorum eius de iustitia, & iure, & è suo, & ex aliorum iudicio persequitur. Nec nostri solum amore, & fauendi, quasi in arcto positis amicis, studio, sed ex animi sententia, & iudicio ea adeo illustré virum scripsisse, constat ex lectura ipsius de auxiliis vbi physicam prædeterminationem, ac subinde eius principium, præfinitionem prædeterminatiuam acriter insectatur. Et de efficacia, & infallibilitate gratiæ per scientiam mediam eiusque obiectum, nempe conditionatum futurum sic difficulc. 3. §. *Tertio dicendum est*, fatur: [sane facilis dicendi modus, qui fundamentum habet in Augustino, qui non semel ad præscientiam Dei refetre videtur infallibilitatem vocationis salutis nostræ, vt lib. de corrept. & grat. c.7. Horum, inquit,] (nempe prædestinatorum) [si quispiam periit, fallitur Deus; sed nemo eorum periit: quia non fallitur Deus. Et de dono perseue. c.14. quibus beneficiis (nimirum gratiæ) certissime liberantur, quicumque liberantur: certitudo autem, & infallibilitas ad cognitionem pertinet.

2. Præfato Illustrissimo, ac Venerabilissimo Primario Salmantino Professori Antolinez in Cathedra successor, Magister, etiam Augustinianus, Basil. Legionens. tract. Lecturæ suæ vltimæ de auxil. d.5. dub.3. toto physicam prædeterminationem instanter confutat primo: [quia superfluit cum non requiratur vt compleat potentiam in genere causæ efficienti, nec, vt determinet illã: & quoniam sequeretur processus in infinitum: cum ad illam qualitatem alia necessaria, & ad hanc altera, & sic de cæteris absque fine. Secũdo: quia ex eo sequitur, illũ, qui peccat, quoniam non habuit qualitatem vltimo complentem voluntatem per modum principij, non habuisse sufficiens auxilium ad non peccandum: & consequenter per ipsum non extitisse, quod peccauerit: quæ sunt absurda. Hinc sequitur quoque impossibilem esse legis obseruantiam non habenti illam qualitatem, quam tamen non habere in ipsius potestate non est: & proinde superuacaneas esse illas Dei voces per Zachariam c.1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Vt quid enim Deus clamat, si negat mihi vltimũ complementum virtutis necessariæ in actu primo? Item iniustas esse Dei quærimonias. Isai.1. Iudicate inter me, & vineam meam, quid vltra facere debui? Vt quid enim tot querimoniæ, si Deus non complet vim actuum in actu primo, sine qua impossibile est operari?]triplicique adhibita responsione, [quod absque ea prædetermination adsit requisitum ad posse, etsi desit requisitum ad operari 2. quia

hominis negligentia, quod eam non habeat deputetur 3. Quod operatione auxilij, quæ in genere efficientis illo posterior est, in genere verò causæ materialis ipso prior, non se homo prius disponat:] eas refellit. 3. [quia valde difficile apparet voluntatem sub ea qualitate efficaci non posse dissentire, nisi in sensu diuiso. Huic enim doctrinæ obstare videtur Tridentinum sess.6. cap.5. & can.4. valde auersatur. 4. sub gratia efficaci posse dissentire voluntatem, nunquam tamen dissensuram, sed infallibiliter consensuram,& libere: quia ne tunc quidem deficit illi iudicium indifferens,quod est radix libertatis, ab eaque, seu voluntatis indifferentia inseparabilis.] Quærit enim ab his:[an natura dissensus repugnet cum illa qualitate efficaci simul existere, vel non? si repugnat: ergo sub gratia efficaci non est potentia ad dissentiendum: si verò non repugnat,contradicitur alteri parti;quam docent iidem Doctores. Deinde oppono (quod prudenter dixit M.Ioann. Ioann.Gonzalez Dominican.1.p.q.58.sect.1.n.4.) cum dicitur stante indifferentia iudicij non posse necessitari voluntatem physicæ prædeterminationis qualitate, necessarium est,quod talis ponatur qualitas esse illa quæ non pugnet cum ipsa indifferentia iudicij; alias erit repugnantia in adiecto,dicere,voluntatem esse liberam per indifferentiam iudicij,& esse prædeterminatam per qualitatem physicam;quin si ita qualitas ita determinet voluntatem, vt in quacumque occasione semper sit efficax,& nulla possit dari occasio, in qua non habeat effectum: ergo cum illa non stat libertas, quæ prouenit ab indifferentia iudicij,& apponit exemplum de Christo Domino, qui non poterat non adimplere præceptum moriendi, licet haberet iudicium indifferens honestatis mortis ob mandatum Patris; & mali ob repugnantiam naturæ,& portionis inferioris. 5. Salebrosum iudicat, quod auxilium, quod semel est efficax,in quocumque, & semper sit efficax. Nam alias non esset orandus Deus pro gratia externæ protectionis, & ne grauiter tentari nos sineret, sed solum, vt daret qualemcumque qualitatem prædeterminantem: nam hac data, quod sit grauis,vel leuis tentatio parum refert.Rursus non magis laudandus esset Deus in eo,qui de graui tentatione victor euasit,quam, qui de leui.] Ac tandem aduersariorum argumenta diluit,*nullaque consideratione digna esse concludit*. Et Relect.de necess.grat.p.1. cap.11. n.8. triplicem scientiam contingentis pro triplici eius statu possibilitatis futuritionis conditionatæ,& absolutæ, *quia*, inquit, *ante scientiam simplicis intelligentiæ, & conditionatam,& absolutam præsupponitur obiectum cognoscibile iuxta statum,quem illa scientia petit.Possibile ante scientiam simplicem,& conditionate futurum ante conditionatam,absolute futurum ante scientiam visionis:licet scientia simplicis intelligentiæ sit prior futuritione conditionata;& vtraque sit prior futuritione absoluta, & dirigat actus diuinæ voluntatis: quare, & omnem huius actum antecedat.*

3. His sane, sicuti in eius primariæ Salmantinæ Cathedræ regimine,ita etiam & in sententia hac nostra præiuit Mag.Ioann.Alphonsus Curiel in suis cõtrouersiis,quas præl.o,Cathedra Emeritus,excoluit,& auxit, vt constat ex præfat.ad Lectorem Magistri Fr.Gasparis de Liendo Benedictini,qui de earum impressione curauit;vbi dicitur, *Vtpote in vltimis laboribus sapientior factus,seipsum superare videtur*, controu,quippe 7.alias 1.in c.4.Sap.art.4.n.1. & controuer.2.in c.1.epist.2.Petri,ad id: *satagite, vt per bona opera*,à n.208. & à n.234. physicam prædeterminationem, ac de sese efficaces præfinitiones prædeterminatiuas magno rationum impetu qua tit.à c.1.2. q 79. art.2. dub.vn. §.2. concl.2 eam ad materiale peccati oppugnat, generalia physicæ prædeterminationis ad actus quosvis humanos principia subuertens. Vnde falsitas deprehenditur historiæ illius, quam obtrudere conantur Ledesma de auxil. d.2. affini. de Scient. futuror. contingen. dif.2. §.*Hanc sententiam*, Aluarez opusc.3.respons.lib.7.cap.1. n.10. cursus Theologicus Discalceatus Carmeli Salmantini tract.3.de Scient.d.10 dub 8.n.129. Nempe Curielem extremo lecturæ suæ anno cum quæstionem 11.3. par. S. Thom. commentaretur sententiam controuersiarum retractasse de quo noster Soar.t.1.de grat. prologom.2. c.1. n.8. rumorem tunc esse,sed nondum à se examinarum ait. Sed cum controuersiarum opus postremus eius labor fuerit,postquam lectura solutus,rudeque donatus fuit, vt vidimus;etsi vltimo lecturæ suæ, vel potius penultimo oppositam tenuisset sententiam in manuscriptis in politiori ad prælum controuersiarum opere, quod maturiori ætate,scientia,& otio limauit,illam reiectasse,nostramque secutum esse euidentissimum est. Accedit Curielem opposito loco ad art.1. de Scient. Christi agentem (vti ex eius manuscriptis,& Mag. Ledesma proxime constat) solum docuit propositionem de futuro contingenti fixam,& determinatam ex parte obiecti veritatem non habere. At verò si præfinitiones prædeterminatiuas de sese efficaces, ac physicas de sese efficaces, prædeterminationes admitteret,haud quaquam propositionibus illis certam, ac determinatam ex parte obiecti veritatem,aut falsitatem absolute negaret:quemadmodum futuris à causis necessariis, ne aduersarij quidem absolute negant;sed solum independenter ab eius præfinitione,& prædeterminatione: quare, vt summum sensisse Curielem ibi dici posset,quod de primis scientiæ mediæ sub his vocibus Authoribus Molina, & Fonseca (quorum primus 1.p.qu.14.art.13.d.17.& Secundus lib.4. met.c.7.explanans text.& 3. instit. dialecticar.c.6.quod determinatam etiam veritatem, aut falsitatem propositionibus de futuro contingenti negauerint) scilicet in seipsis cognosci adeo eiusmodi futura ab æterno infallibili veritate non posse, sed vel solum per supercomprehensionem,vt Molina proxime d.49. & 50.& Becan.t.2.summ.Theolog.c.10.q.9. vel in alio medio (quod præfinitio,& prædeterminatio physica, ipsi semper inutila, non sit, vt nostri Recentiores aliquot censent) ab ipso non explicato.Vel scientiam solum coniecturalem Ledesmæ,& Thomistarum priorum iam ab eis,& Theologis reliquis ablegatam (quod non,nisi graui Curielis dedecore, nulloque statæ iam Thomisticæ doctrinæ emolumento dici potest) in Deo circa futura contingentia admiserit,vt Ledesma gloriatur.Vel tandem sensisse. *Cognosci. In tali vocationu modo,qua Deus voluntatem suauiter ducat,infallibiliter tamen indeclinabiliter, & insuperabiliter ex aptatione,& contemperatione vocationis cum illa, & connexione,qua est inter intellectum taliter proponentem,qua posita infallibiliter, & indeclinabiliter, libere tamen voluntas operatur*, quod,quam longe absit à physica prædeterminatione, præfinitioneque de se efficaci prædeterminatiua, patet.Solumque in sententiam Mag.Ioannis Gonzalez 1.p.d.58.sect.de morali prædeterminatione,de qua cert.vlt. recidit.

4. Verum,vt dixi,Mag.Curiel nihil de medio,& modo, quo Deus futura contingentia prænouit, ac veritas contingentium determinata ex parte obiecti niteretur expresit. Recitata verò verba sunt Magistri Basilij Legionensis pro nostra sententia recitati de prompta excitata relect. de necess.gratiæ,1.p.cap.9.n.3.& §.3.n.23.in cuius capitis initio ait sibi Magistrum Antolinez in hac congruitate vocationis præluxisse:pro eaque citat Leonardum Coquæum in notis ad cap.12. de ciuit. c.9. & manuscripto de auxil. d.5.dub.1. init. refert pro ea Ludouicum Legionensem lectura de lib.arbitr Mag. eiusdem ordinis Petrum de Aragon 1.2.q.83.solut.argum.Vasq,1.p.d.92. & 98. c.6.n.36. & 1.2.d.26.c.5.n.27.& Ioannem Gonzalez proxime. Caterum,cum locis recitatis ex illis relectione,& manuscripto physicam prædeterminationem, ac subinde eius præfinitionem omnino repellat,& manuscripto de auxil. d.4. dub.1. multifariam probet decreto Dei de se efficaci,& independenti à nostra voluntate libertatem euerti:& d.5. dub.4.fine dicat. *Molina opinionem probabilem esse, & cum magna probabilitatis specie satisfacere argumentis, quæ in contrarium adduci solent*, & citata relect. de necessit. gratiæ c.10. n.8. sententiam nostram sæpe à se doctam publice testetur: *quia comparatione facta cum opinione constituente qualitatem physicam*, (& quod tantundem est præfinitionem prædeterminatiuam) *longe probabiliorem iudicaui*. Nescio quo pacto ad Dominicanos tandem iuisse censeri à sano homine possit. Præsertim ex congruitate illa, & attemperatione cogitationis ad voluntatem in actu primo, quam ex ipso retulimus,& nobis aduersarij opponunt eum eam congruitatem vocationis in actu primo, & Vasq. citatus, & Meratius tract. de grat.d.6.sect.16.& Tannerus d.16. de grac. q.1. dub.4. n.64. & alij ex nostris, & Alfonf.Mendoza, Augustinian. qu.7.scholastica n.14. concl.6. qui maxime physice prædeterminatiuas præfinitiones, & qualitates detestantur, scientiamque

scientiamque mediam purissimam tuentur, eiusmodi congruitatem antecedentem vocationis, & à scientia proinde media conditionata consensus futuritione independentem laudent, ea vero admissa aliqualis connexio, & infallibilitas cum assensu voluntatis concedi potest moralis nempe, non physica, & metaphysica. Cuiusmodi in medio scientiæ physicæ, ac metaphysicæ infallibilis (qualis diuina scientia) omnino debet reperiri. Quare, cum nunquam docuerit diuinam præscientiam contingentia futura, siue conditionata, siue absoluta in congruitate illa, seu attemperatione, siue in sic attemperata cogitatione, & vocatione in actu primo voluntati, tanquam in medio omnimodæ infallibilitatis diuinæ scientiæ apto, inniti, de connexione illa morali solum, & cui difficulter quis renuat, ac subinde morali etiam infallibilitate annuat, intelligendus Mag. Basilius Legionensis sit. Maximè cum non aliis de causis physicam prædeterminationem, præfinitionémque prædeterminatiuam necessariam ex parte actus primi ad operationes voluntatis nostræ semper reiecerit quam ob læsionem libertatis ratione antecedentis illius connexionis, & infallibilitas physicæ, & metaphysicæ futuri consensus sub illa. Denique id ex oppositis nobis Basilij vernbis quomodocumque intellectis, colligitur apertè: eum nusquam necessitatem consensus ex congrua vocatione, & auxilio efficaci in prædeterminatione physica, siue præfinitione de se efficaci constituisse: quare neque vnquam à nobis, & à se ad Thomistas transfugisse; imo verò, etiam tunc, cum sui à nobis diu amicissimis, ac benefactoribus alienationem ea doctrinæ suæ constantissimæ, quia nostra erat, mutatione testari voluit, tamen eam dominicanæ non potuisse non præferre, nec per profundum eius ingenium licuisse à nostra sententia deficere, cum vellet; sed solum vocibus illis congruitatis vocationis de se se, ac independenter à scientia, & futuritione conditionatis aliquid sonare, quo videretur à nobis abscedere. Cum tamen reipsa intra nostrorum sententiam maneret, qui eiusmodi congruitatem intrinsecæ attemperationis vocationis ad voluntatem non negant. Sed congruitatem talem, cui voluntatem reluctari omnino, & physice, & metaphysice repugnet.

5. In nostris etiam castris contra præfinitiones, & qualitates prædeterminatiuas hasce, strenue pugnauit, Augustinianus etiam, Mag. Franciscus Cornejo, & ipse quoque Primarius Salmanticus antecessor: qui totam doctrinam de auxiliis, & scientia media cum suis, vt aiunt incidentiis, annexitatibus, & connexitatibus amplexus lectura de scientia Dei d. 5. dub. 3. subnectit. [Et sanè non video, quam ob causam Thomistæ voluerunt tanto conatu illi obsistere, Siquidem neque Diuus Thom. aduersatur; quinimo in ipso non leue habet fundamentum, vt mox ostendam: & in Diuo Augustino ferè irrefragabile: & quod caput est in sacra scriptura minimè contemnendum. Addo quod quamvis daremus negantem partem esse veriorem, non ob id hæc foret reiicienda. Est enim, semperque fuit controuersia de liberi arbitrij cum gratiæ donis concordia valde difficilis: in qua explicanda prima Christianæ religionis ingenia insudarunt: vixque sibi ipsis satisfecerunt: vt proinde gratiæ sint habendæ iis, qui retenta fidei sinceritate, sanctorumque Patrum doctrina, præsertim Augustini (qui Princeps in hac palestra fuit) nouam aperuerunt viam.] Aliud etiam Salmantinæ Academiæ lumen, & sui ordinis S. Bernardi præcipuum ornamentum Reuerendiss. & Illustriss. Mag. Fr. Angelus Manrique eiusdem Primariæ Theologorum Cathedræ Moderator lect. de auxil. dif. 6. cap. 1. supponit primo in Deo scientiam futurorum contingentium ac statim. [Secundo etiam ex dictis præsuppono non cognosci in decreto. Tum, quia in eo mihi certum est peccata, vt minimum, non cognosci: quippe quæ à Deo non nisi ad exigentiam arbitrij decernuntur; & tamen nullus hactenus distinxit inter bona, & mala, vt hæc, nisi absolutè futura non cognoscantur, secus illa. Tum, quia decretum illud absolutum, & efficax tolleret libertatem, aut saltem diminueret nimium, vt iam ostendimus. Tum denique, quia admirabile proculdubio est, & sola necessitate cogente dictum, Deum circa quemcumque hominem ex infinitis possibilibus infinities infinita decreta multiplicare, quæ nulli prorsus vsui sunt futura.] Vbi, & si de decretis absolutis subiectiuè, & obiectiuè conditionatis, quæ ad contingentis conditionati futuritionem, & scientiam Thomistæ requirunt, loquatur; tamen generalem rationem relegandi à Deo omnia actionum liberarum decreta ad tuendam earum in quouis statu, libertatem expressit. Suæ huic doctrinæ concordat hic doctor eamque fusius iterum dedit lectura de scientia Dei diffic. 7.

6. Ne vero eam sententiam Primariæ solius Cathedræ Salmantinæ fructum esse arbitreris, in eandem etiam doctrinam Vespertinæ Cathedræ Salmanticensis Magistros, quasi hæreditario iure, succedere ostendamus; & in primis Augustinianus Mag. Ioannes de Gueuara, qui eam Cathedram rexit nostræ doctrinæ adhæsit, vt testatur eius in id muneris successor. Mag. etiam Augustinianus Alphonsus Mendoza quæst. 7. scholastica ex quodlibeticis fine, qui eam doctrinam vberrimè ea quæst. sæpè docuit num. 4. & 16. ad 3. argum. & §. *ex his expedita*, & §. *Non est vulgaris*. Et num. 18. ad 5. argum. & concl. 5. num. 13. & §. *Adde* prædeterminationes physicas, (ac proinde determinatiuas præfinitiones) *chymericas, & fictitias appellat*, & §. *Demum* eas ait à doctioribus Theologis fastidiri. Ex quibus constat quo sensu præstantis doctrinæ, & ingenij vir eadem quæst. concl. 4. num. 12. asserat probabiliter dici posse nunquam repræsentari creaturam aliquam, ac proinde, neque futurum contingens in Deo posse, sine ordine ad diuinam voluntatem. Ibi enim solum voluit, in nullo statu veritatem aliquam, seu cognoscibilitatem creaturæ, adhuc contingentis conditionatæ futuræ, absque Dei decreto esse posse quare neque independenter ab illo cognosci: quia creatum nullum absque Dei voluntate potest consistere; at vero Dei voluntatem illam efficacem de se se erga contingentia esse debere; aut absolutam ex parte actus erga contingens, quod sub aliqua conditione foret, minimè docuit: quare id solum docuisse censendus est, quod repetitæ à se toties, & adeo proximè doctrinæ consentaneum est: nempè vt creata omnia contingentia sint, & subinde à Deo cognoscantur, Dei voluntatem, non autem prædeterminatiuam, & efficacem consensus, neque absolutam ex parte actus ad id, quod solum conditionatè est futurum, requiri: quemadmodum neque ad id, quod solum est possibile; sed opus esse voluntate Dei de se se inefficaci proportionatè ad statum contingentis: absoluta scilicet ad absolutè futurum, & in hypothesi cum reliquis requisitis, & necessariis conditionibus ad futurum conditionatè. In horum locum, & Cathedram, nec minus in sententiam successit omnigena sacra litteratura ornatissimus eiusdem Sodalitij Mag. Ioan. Marquez, qui, cum censuram doctrinæ de concordia gratiæ, & prædestinationis cum nostra libertate per Molinam vulgatæ, ad sedemque Apostolicam delatæ Reuerendo sui ordinis Generali in vrbe Procuratori memorato Patri Ioanni Bapt. Piambino à Summo Pontifice commissam cognosceret, epistolam misit: in qua ex sua, & R. P. Mag. Petri Manrique ordinis etiam sui (qui eadem tunc ad illum scribebat) imo & totius doctissimi sui conuentus Salmanticensis communi sententia, & Molinæ ingenium, & doctrinam magnopere commendat vniuersim: eiusque de præfata concordia causam perillustris illius conuentus etiam esse significat; & mox speciatim addit [quod ad punctum de physica præmotione spectat: arbitror citra controuersiam esse, nunquam à S. P. N. Augustino cognitam fuisse, nec ei in mentem venisse: &, quod solum videtur requirere ad consensum voluntatis, (liberum nempè) primam cogitationem, quam ipse vocat congruam, ex parte intellectus, & ex parte voluntatis metum amoris, vel timoris in deliberatum: & cum his, quæ præueniunt, & præcedunt. Ex parte Dei statim voluntas cooperatur gratiæ præuenienti, & excitanti; & alia præfinitio physica semper mihi visa est dura, & periculosa, & quam sancta Tridentina Synodus non admittit, vbi agit de cooperatione nostræ voluntatis cum gratia efficaci Dei. Commentaria etiam P. Vazq. in 1. p. hic magnificunt: & ita non deerunt Zoili vt nunquam hominibus excellentibus desint. Si fortè alicuius propositionis, quæ deferatur ad suam sanctitatem, v. Paternitas censor nominetur, rogo, quam vehementer possum, ad-

faueat: quoniam meo iudicio liber ille doctrinam valde sanam, & per omnia conformem Parenti nostro Augustino continet, &c. Salmanticæ die 28. sept. anno 1600. Fr. Ioannes Vazquez.]

7. His pro explorata Salmanticensis Academiæ opinioni nostræ adfuentia, atque in præfinitiones prædeterminatiuas hostilitate sacrarum religionum eius vrbis (quæ Academiæ partes illustriaque membra sunt) Magistri recensendi hic essent; ni postmodum opportunius, dum sacrarum religionum his de rebus examinemus sententiam referrentur. Et quidem recitati Professores, cum præcipua eius facultatis, & vniuersitatis, ex quo res in controuersiam vertitur præsens, lumina fuerint, eos numerasse sat nunc erit, vt certum pro nobis habeatur huius Academiæ iudicium. At inquies illam anno 1581. Theses P. Prudentij de Montemaior negantis præfinitiones nostrorum actuum diuinas grauí notasse censura, imo ad Pincianum inquisitionis tribunal detulisse. Respondeo id ab Academia actum minimè fuisse, sed à Mag. Bannez physicarum prædeterminationum, & præfinitionum inuentore, nec satis moderato, suique compotè (præsertim in hac materia) censore, vt constat ex eius relectione de merito, & augmento charitatis quæst. 3. §. *Sed assirmus*, pag. 149. vbi id de se fatetur, eaque de rebus hilce erroris, aut etiam hæresis propositiones notat, quæ ex eo etiam tempore Theologis communiores, & longè aduersis probabiliores, vt minimum, habentur. Censuratas quippè à Bannesio, ac fortè aliis suarum partium Doctoribus, theses sanctæ Inquisitionis tribunal omni censura immeritas, & prorsus Catholicas declarauit: Complutensis vero Academia etiam laudibus extulit. Ast oppones iterum statutum Salmanticensis studij 9. Iunij anno 1617. de iuramento sectandi S. Augustini, & S. Thom. doctrinam, atque in non ita claris iuxta intelligentiam eorum, [qui S. Augustini, & Thomæ discipuli communiter censentur à Theologis suis Professoribus, & Magistris nuncupantur:] quare & statutum ibi virtute esse prædeterminatiuas præfinitiones eorum, qui vulgo Thomistæ dicuntur, in ea vniuersitate sequendas. Decretum occasione fundationis nostrorum studiorum Mattritensium, Hispaniarum Regis nostri Philippi IV. munificentia Dominicanis Patribus Hispaniæ Academias in nos concitantibus habitum à Salmanticensi fuit. Cum autem à Patribus Franciscanis merito pro Scoti doctrina in omnibus vniuersitatibus celebri, destinata etiam ad eam edocendam Cathedra apud supremum Castellæ Senatum Regium (à quo necessario ad sui validitatem decretum illud confirmandum erat) aduersum eis esse reclamaretur: diuturno, & maturo singulorum senatorum consilio, & postmodum eorum omnium longissima octo horarum, collatione, & consessu habito sexto idus Februarij subsequentis anni omnium calculis decretum illud abrogatum, reiectumque fuit, vt latius refert Lucas Vvadingo Franciscanus in vita Scoti præfixa tom. 1. commentarior. cap. 15. num. 69. Sed, nec si statutum vigeret, nobis, in quorum odium conceptum fuit, nostræque doctrinæ officeret: nihil enim nobis antiquius, quam S. Thomam scholæ nostræ Principem sectari, vt videre est in 4. p. constitut. cap. 14. §. 1. & p. 8. cap. 1. & in 5. congregatione generali can. 41. & 56. quin, ideo prædeterminatiuas præfinitiones, & prædeterminationes physicas à nobis, reiiciendas R. noster P. Claudius Aquaviua Generalis Præpositus Societatis, sub quo disputationes de auxiliis habitæ in vrbe, resque Pontificio decreto absoluta est, præscribit epistola ad totam societatem data Romæ 14. Decemb. anno 1613. quod sanctis Augustino, & Thomæ magis sit consentaneum, &, quamquam eo decreto mentis S. Thomæ dubiæ sensum eorum, qui Thomistæ vocantur tenendum dicatur, cum certè Augustini mens firmius & primo loco ibi præscriberetur tenenda: ea quidem iuxta interpretationem, eorum qui Augustini discipuli communiter habentur esset amplectenda. Ij vero sunt eius germani filij Augustiniani Patres, ex quorum Proceribus omnibus sententiam nostram ipsissimam Augustini mentem esse nuper audiebamus. Ac tandem S. Thom. mentem, & in re præsenti sententiam pro nobis, & contra recentiores, qui Thomistarum nomine gloriantur, adeo esse expressam, vt recursu ad eorum interpretationes opus non sit, multis inferius ostendemus.

8. De Pinciana, seu Vallisoletana Academia nostræ doctrinæ fautrice illud est argumentum non leue: quod, cum ad eius vrbis tribunal S. Inquisitionis nostræ huius doctrinæ theses delatæ bis sint, semel, cum Salmanticæ à Patre Prudentio de Montemaior, atque iterum postea à P. Antonio de Padilla fuerunt publicis disputationibus propositæ, atque orthodoxæ à S. illo tribunali iudicatæ, fieri minimè potuit, quin id sine consultatione, & censura insignis illius Academiæ, quæ adeo ad manum erat, ab illo Tribunali perageretur. Sed habemus rei huius comprobandæ non eum discursum tantum, sed fide dignam historiam. Siquidem de Molinæ doctrina rogatus ex Roma à prænemorato R. P. Ioan. Bapt. Piambino Generali ibi Augustiniano Procuratore, ac doctrinæ illius per Pontificem censore, Doct. Ioannes Garcia Coronel Primarius Vallisoletanæ Academiæ Theologus Professor, & ipse quidem alias Thomista respondit: [Recepi scriptas per v. P. 25. Iulij, in quibus à me flagitat vt dicam, quæ in Hispania communior sit opinio de physica præmotione, quidve ego ipse sentiam: qua de materia vellem potius ab eruditis edoceri, quam aliquid definire: sed vt V. P. morem geram, & vt in tantæ materiæ subsidium (quam grauem, & ex Dei gloria esse autumo) aliquid conferam, proferam, quod ex vero esse mihi occurrit. Has prædeterminationes video generaliter displicere multum fermè omnibus hominibus doctis, qui acriter versati sunt in rebus speculatiuis, & scholasticis, vel in controuersiis fidei, & contra hæreses in hac Pinciana vniuersitate neminem melioris nominis, præter Dominicanos, cognosco, qui arbitrentur prædeterminationes necessarias esse, & omnes pene eas auersantur. In Collegio Augustinianorum vidi Professores non bene de eis sentire: vti, & in cœnobio S. Francisci: & inter hos nuper electum Episcopum Pampilonensem virum doctissimum: & SS. Trinitatis religiosos, & collegas maioris Collegij S. Crucis: quin cernere liqueat in omnibus his communitatibus, qui contrarium, vel legeret, vel defenderet. Idem quoque sentire perspicio doctiores canonicos summæ ædis: & quod ad actum peccaminosum spectat, viri grauissimi fratrum Prædicatorum (quales sunt P. M. Fr. Didacus Zanguas, & P. M. Mondragon iam defunctus) aspere tulerunt à suis Monachis propugnari Deum prædefinire ad actum peccati, vel quod impelleret ad ipsum. Paucis elapsis diebus Mag. Tiedra, qui meo iudicio est omnium eorum, quos Dominicani hic retinent, doctissimus, mihi insinuauit quamvis sentiret affirmandum esse à Deo physice prædeterminari voluntatem ad operandum; sed antecedenter ad hanc præmotionem ponendam esse quandam indifferentiam negatiuam, vt saluetur humani arbitrij libertas extra hanc vniuersitatem in aliis his paniæ Academiis extra Salmanticensi limquet mihi, exceptis Dominicanis, reliquos excellentiores Professores negare huiusce modi prædeterminationes, quales Mag. Curiel vir doctissimus, Magist. Antolinez, & omnes Magistri conuentus Augustinianorum Salmanticensis, qui modo viuunt: etiam Mag. Dom. Manuel Sarmiento, Mag. Arroyo, & vt arbitror, omnes Benedictini Magistri. Quin & Mag. Zumel, qui Dominicanis adhæret, acerbe in suis operibus loquitur de prædefinitione ad peccatum. In Complutensi Academia generaliter recedunt à prædeterminatione physica: & cum certitudine noui censuram tulisse in fauorem oppositæ sententiæ, & libri Molinæ, quam contrariam prædeterminationi opinionem in siguntina, & scuriali vniuersitate (quod est insigne studium fundarum à nostro Monarcha) homines valde graues legerunt. Ex Patribus etiam Dominicanis legit nostra tempestate Mag. Fr. Ioan. Vincentius, & aliquibus annis ante hunc, Mag. Mancius, ambo insignes viri in Academia Salmanticensi: Vidi insuper theses ex Granatensi Academia, in quibus defendebatur & pro comperto habeo idem factum in Beatiensi vniuersitate, in qua, valde procliuem animaduerti quendam eius Professorem valde grauem, nempè R. P. Fr. Didacum de Auila ex ordine SS. Trinitatis, in sacris religionibus; ferme omnibus (excepta Dominicana) inoffense decurrit. Et in Capitulis generalibus, & Prouincialibus, quæ conspexi multa celebrari in hac

hac vrbe, propugnabatur: nempè in generalibus capitulis Benedictinorum, & Minoritarum: & idem fecissent in Capitulo generali fratrum Mercenariorum, nisi Mag. Zumel impediuisset. Quam etiam defendi in capitulo generali Carmelitarum apud Madritum, dum ibi versarer, aspexi anno 1597. & in nullo memini quod physicas prædeterminationes tuerentur: & de præfinitione ad actum peccaminosum communiter male iudicatur.

9. Dedimus his Primarij Vallisoletani Professoris verbis plus multo, quam promisimus. Neque enim tantum pro doctrina nostra Pincianam vniuersitatem, sed & reliquas Hispaniæ Academias recenset, quod autem de illa, & de Thomistarum (è quorum schola de reliquo ipse erat) aduersa suum iudicium fuerit his immediatis subiunxit. [De me ingenue fateor, V.P. (licet sim discipulus Patrum Dominicanorum, & eorum ordinè non mediocriter colo) nunquam potui cum illis has physicas prædeterminationes admittere: & ita oppositum publicè sæpè defendi: & hoc lecturus sum anno. Non enim percipere valeo, quomodo cum illa præmotione consistat determinatio Concilij Tridentini sess. 6. c. 5. can. 4. vbi manifestè docet voluntatem posse resistere, etiam in sensu compositio: nam vocabula dissentire, & abiicere sensum compositum denotant: & c. 6. apertè decernit, Deum non esse causam peccati: & his nunquam, obseruaui, digne satisfieri. Nec etiam satis concipere queo; in quo hæ prædefinitiones differant ab errore Caluini, quo Ecclesia tantum hoc æuo perturbatur: nec qua forma per eas confutari possit. Quare obseruabam ab insignioribus hæresis nostro sæculo impugnatoribus (quales Bellarminus, & Stapletonius) pro eadem ferme haberi sententia cum Caluiniana: vtque multo magis in his, quæ spectant ad actus malos. Nam, vt relati duo, & alij controuersistæ suggerunt Caluinus, & eius asseclæ non adstruebant, Deum esse causam peccati: quo ad formale eius, sed solum, quoad materiale; licet Catholici per consequentiam inferant, eo ipso futurum, & causam actus praui quoad formale: quod, & ex his etiam præfinitionibus modo, quo pronuntur, sequi videatur. Insuper me confirmat in auersione, quam habeo à sententiæ admittentis præfiniri actum peccaminosum secundum materiale, quod his diebus perspexerim à S. Inquisitione quædam grauissima delicta puniri, & quasdam doctrinas valde noxias, quæ multis viris doctis, & grauibus ex his, qui aderant, appendicula quædam videbantur opinionis introducentis præmouere Numen corda hominum ad materiale peccati. Molinæ librum ab hominibus doctissimis conspexi summis encomiis efferri: quem ego attente perlegi; &, licet forsitan quædam in eo melius dici possint, sed re vera nihil occurrit, quod expunctione, aut censura dignum sit; multa autem, quæ magnam laudem promerentur. Et quamvis eius sententia re ipsa satis prisca, & vetus sit, quam esse Beatorum Augustini, & Thomæ pro indubitato habeo, intelligo tamen ipsum primum extitisse, qui distinctius, & fusius eam tradiderit, & cum maiori robore: & scio eos, qui contra hæreses dimicant gratias referre ob ministrata arma aduersus ipsas: quæ fuit causa, vt pro opinionis primo authore haberetur, & ob hanc ipsam causam, quamvis in eo aliquid eluceret, quod purgatione dignum esset, putarem differendam in aliud tempus castigationem: ne, si hac ætate fieret Caluinistis vanæ aduersus Catholicos gloriationis ansa daretur; & scholæ non modicum detrimentum paterentur. Certè quæ contra illum obiiciuntur non multi ponderis sunt, & facilè soluuntur: Authoritas virorum, qui contradicunt, me moueret, nisi satis animaduerterem in his particulares respectus misceri, quos penetrare non est difficile. Addo in quæstionibus tam acutis, & subtilibus non omnium esse, licet pro doctis teneantur, sanum iudicium ferre. Hæc habui, quæ dicerem, vt V.P. mandato obsecundarem: quem diuina Maiestas diu incolumem esse faciat. Ex Vallisoleto, die Octobris 17. anno 1600. Doct. Ioannes Garcia Coronel.

10. Et licet obiter Primarius hic Vallisoletanus pro nobis reliquas ferè Hispaniæ vniuersitates recensuit Granatensem, Scurialensem, Beatiensem, & Siguntinã. De Valentina vero celebri etiam Academia certum omnino est totam, totam semper nobiscum ea in re sensisse. Cum cum his in Hispania mota contra Molinæ concordiam fuit, ea Academia Professorem Augustinianum insignem habuit, qui & è communi sui ordinis sententia, & è Patris Molinæ, & præcipuè Gabrielis Vazq. obseruantia omnes Professores, & sua authoritate, & firmissimis argumentis in nostris, & suis partibus tenuit. Excidit sanè eius nomen vti iam diu plura alia memoriæ assolent meæ, ni scriptis iuuetur. Et sanè neminem, si Dominicanos excipias à nostris in ea Academia partibus, nunc etiam, defecisse, oculatus testis est noster Borrul. d. 5. de scientia media sect. vlt. citans Illustriss. Ludouicum Crespi ex Professore Primario Valentino primum Orlicnsem dein Placentinum Episcopum lecturis de auxil. scientia, & prædest. Ioseph Vergè Primarium etiam eius Academiæ Magistrum lecturis totidem. Melchiorem Fuster cuso de volunt. tract. n. 583. Bonau. Guerau. Chrysostomum Royo, & Castelvi ad sacras insulas assumptum lectura de scientia.

CERTAMEN III.

Quid à Sede Apostolica, & sanctæ Inquisitionis tribunalibus tentatum, actumve re super hac, referatur.

1. HIc denique apponere libet, quæ de doctrina nostra prædeterminatiuis præfinitionibus aduersa, quam, & dante, & fauste obsterricante Deo scripturæ, Patrum, & veterum scholasticorum sententiis grauidum Molinæ ingenium in puram edidit lucem, à Sede Apostolica, & fidei quæsitoribus iudicata sunt. Et quid demum post longas cum aduersariis disputationes coram Clemente VIII. & Paulo V. de ea statutum à Sede Apostolica fuerit, ne aduersarij quidem in dubium reuocant: cum etiam ante conclusam causam de variis accusatam sententiam nostram Clemens VIII. eam defendendi, & vbivis studiorum, & gentium edocendi Orthodoxis doctoribus copiam fecerit amplissimam, vt Augustinianus Mag. Ioan. Puteanus Tholosanæ Academ. Regius Primar. Professor hic testatur in 1.2.t.1. q.111. dub.4. init. [Duæ sunt de hac re extremæ sententiæ, quarũ neutra est de fide. Clemens quippè VIII. de hac re consultus fecit potestatem defendendi quamlibet; modo tamen alteram nulla notaret censura.] Et doct. Sorbonius Andreas Duuallius Regius Parisiensis Academ. Professor t.1. in 1.2. tract. de grat. q.4. sub init. [Et quidem, cum à Clemente VIII. doctorum examini relicta sit cum moderatione, qua neutra opinio hæresis, erroris, temeritatis, alteriusve qualificationis arguatur, ab omni asperiori dicto sedulo abstinebimus.] Cuius decreti, & facultatis, & moderationis meminit Dom. Mag. Petrus de Ledesma Salmant. Theologus, Vespertinus Professor præfat. ad tr. de auxil. & si ex falso quodam testimonio Card. Madrucio impositio referat [Dominicanis, vt veris Discipulis S. Th. absolutam fieri, ac sine vlla limitatione suam doctrinam sequendi à Clemente VIII. fieri facultatem; nostris vero à S. Thom. [Hac in parte alienis suam etiam sequendi, taliter tamen, quod sanam, & Catholicam doctrinam in omnibus doceant.] Hæc tamen in nostrorum næuum ficta, dedecus in ipsos conuerterent, nobisque augerent laudem, si vera fuissent, siquidem & nos non solum de Dominicanis recentibus, sed, vt de S. Thom. authoritate maxima ita accusatos vicisse monstrarent, vt hac in re eius sententia decreto Pontificio ab omnibus scholasticis, & Academiis (quibus nostram sequendi data ibi copia fuit) pessumdari posset. Atque insuper, cum nihil doctrinæ nostræ eo decreto notatur, sed tota docenda relinquatur, eam in omnibus sanam prorsus, & Catholicam esse expressis verbis doceret, Dominicanis vero in S. Th. gratiam suam defendere permitteret: nihil de eius sanitate, vel infirmitate expresse saltem decernens. Sed certè, neque S. Th. authoritas, id vnquam patietur, nec societatis nostræ in Angelicum Præceptorem obseruantiæ gratus ille triumphus extitisset: gaudemusque non ita magnum cum fuisse: neque nos minus ea in doctrina veros S. Th. discipulos à Clemente declaratos. Sed quoniam speciatim, & Augustini ex S. Th. testimoniis nostram doctrinam per omnia tunc probauimus cum rei, & accusati de illa ab hisce Dominicanis essemus, & hos causa cecidisse, & nostræ doctrinæ à Sede

Apostolica

Apostolica probatione, & docendi copia facta cunctis orthodoxis scholis, & doctoribus superasse, & Augustino, & Thomæ gratias habemus.

2. Res igitur hæc ita habuit. Sedatis Lusitaniæ Dominicanorum aliquot motibus aduersus Molinæ concordiam è sanctæ Inquisitionis, illam omnino approbantis, censura, & decreto, exciti rursus ob publicas doctrinæ eiusdem à nostris Vallisoleti editas, ac defensatas theses contra illam fluctus fuere anno 1594. teste Aluarez de Origine Pelagianæ hæres. c. 33. num. 19. Dominicanis aliquibus illas ad Emin. Card. & Tolet. Archiep. & sanctæ generalis Inquisitionis Præfidem D. Gasparem de Quiroga deferentibus: vti ex epistola de eius, & supremi illius Regij Inquisitionis Senatus mandato per Licentiatum Arenillas de Reynoso, Senatus eius Promotorem fiscalem, Prouincialibus vtriusque Religionis, & nostræ, & Dominicanæ data, & intimata 15. Augusti anni eiusdem, qua vtrisque à censuris alterius abstinentia sub certis pœnis præcipiebatur. Et Regius quidem ille Senatus ab Academiis, & doctis quibusque Religionum Magistris de ea controuersia iudicium exigebat. Interim autem per eosdem Dominicanos (quos non satis apud Castellæ Inquisitionem & Academias de causæ exitu confidentes Lusitanæ Inquisitionis, & Academiam ante acta iudicia reddiderant) rem totam ad Clementem VIII. & vrbem, in qua sacri Palatij è Sodalitio suo Magistri, summa his super authoritas erat, detulerunt: quo effectum est, vt cum eorum industria præcipuè rei grauitate perspecta Clemens VIII. ad se, atque ad Sedem Apostolicam aduocans causam decreto, cum ad præfatum Card. Quirogam, tum ad suum Hispaniæ Nuncium D. Camillum Caietanum Patriarch. Alex. iuberet vtriusque religionis Prouincialibus intimando. Primum, ne, donec aliter à Sede Apostolica per S. Inquisitionem insinuatur, de his siue in conclusionibus, siue in concionibus, siue lecturis, siue scriptis cusiue libris de rebus hisce tractarent. Secundum: curarent quantocyus vnusquisque à sui Sodalitij Magistris doctrinæ suæ, cum ab authoritate, tum à ratione fundamenta in scriptis colligere: quorum exemplar vnum supremo fidei senatui, alterum vero Sedi Apostolicæ mitteretur. Id quod à Nuncio Apostolico primum datis ad vtriusque religionis Prouinciales litteris 15. Augusti anni eiusdem 1594. executioni mandatum est, nec multo post, nempè mense Octobris anni eiusdem 1594. litteris à supremo fidei Senatu, per sua inferiora tribunalia, Toletanum, Vallisoletanum, Hispalense, & Valentinum peractum est. Paruerunt, vt par erat, incunctanter vtriusque Sodalitij Prouinciales, & Magistri: exemplariaque vtrobique delata fuere, quibus Romæ diligenter inspectis quatuor post annis Clemens VIII. tam Religionis vtriusque, quam, quibusvis Ecclesiæ Catholicæ scholasticis Doctoribus, & Professoribus vtramliber sententiam tueri docere, ac legere, publicè etiam pro Academiarum more, diplomate suo arbitrium liberum fecit; dummodo à censuris oppositæ omnino abstinerent: vt conitat ex litteris ad P. Ludouicum de Guzman Toletanæ nostræ Prouinciæ Antistitem datis 15. Martij anno 1598. à Tribunali S. Inquisitionis Toletano, quibus subscribunt D. Antonius Moreson, Licentiatus D. Gaspar de Quiroga, Licentiatus D. Franciscus Manuel, fidemque Iosephus de Pantoja secretarius facit.

3. Cæterum, vt delationis Dominicanorum aduersus doctrinam Molinæ, iam nostram vniuersim, causa maturius discuteretur Clemens ipse, anno 1599. iussit, vtriusque Religionis Generales tribus quemque selectis suorum Magistris statò die 22. Februarij in ædes Eminentiss. Cardin. Madruchij conuenire, & quibus discreparent presse, ac dilucide exponere. Id quod effectum per vtrosque est Reuerendissimos: accedentibusque Mag. Generali Patrum Prædicatorum cum Mag. Didaco Albaræ Procurat. ordinis generali, & Mag. Raphaële Ripa, & alio Mag. ignominato, qui Cardinalis Asudani Theologus fuisse perhiberur; & Claudio Aquauiua Generali Societatis Præposito, comitantibus P. Michaële Vazq. Collegij Rom. studiorum maior, Præfecto P. Petro de Arrubal Primario etiam olim Collegij Salmantini Professore, & tandem Prouin. Castellæ Antistite. Aperti ibi articuli, quibus discordabant, & quamvis Madruchio additi etiam comites Eminentissimi Cardinales duo sub Martij finem fuere, Asculanus ex Dominicana, & Bellarminus è Iesuitica assumpti nil per multas vtriusque partis apud eos sessiones actum, quoad concordiam, fuit. Quare ineunte anno 1602. publicè ab eodem Clemente disputationes vtrisque fuerunt indictæ, ab eisque, & acceptatæ, & ceptæ: quarum exitus sub Paulo V. idem, atque sub Clemente VIII. vt, scilicet, vtriusque sententiæ tuendæ, legendæ, atque edocendæ copia omnibus Theologis fieret, dummodo alij ab aliorum censuris temperarent: nec, quovsque aliter per Sedem Apostolicam super hisce rebus statueretur, libri, aut tractatus de auxiliorum efficaciæ argumento cuderentur: ita statuit Paulus V. decreto suo dato 28. Augusti anno 1605. quo anno illud refert Henricus Spondanus auctuario ad Epitom. Baronij, & si eiusdem publicatio, & mandarum ad sanctas Inquisitiones, vt id vbivis præciperent, & euulgarent 5. Septemb. anno 1607. fuerit. Quæ res circa eius decreti tempus variare authores fecit, & quoad impressionis prohibitionem eiusdem Pontificis breue intimatum est anno 1612. die 24. Iulij, vt referunt, t. 2. Ludouici Montesinos in 1. 2. d. 31. q. 5. qui eius editionem curarunt. Vtramque in his edocendis, legendisque moderationem Pontificis. Vrbani VIII. in nouatoris constitutionibus confirmatam nouimus. Sed quoniam de re hac nullum iam est partium dissidium eis constitutionibus referendis breuitatis causa supersedeo. Fuerunt autem eius Pontificis confirmatoriæ constitutiones tres. Altera expedita 22. Maij, anno 1625. cuius meminit Ioannes à S. Thom. art. 6. citando init. Altera anno 1641. Augusti 24. occasione operum Cornelij Iansenij. Tertia anno 1643. Breui prohibenti librum *Augustinus* Cornelij eiusdem, quarum meminit Paulus Leonardus in responsionibus ad expostulationes contra scientiam mediam p. 1. sect. 3. num. 13. Illud tamen notarim Pontificia hæc decreta, & si æquè vtrique parti fauere videantur, nostræ tamen longè esse fauentiora. Siquidem doctrina nostra accusata, atque, vt sic loquar rea aduersariorum criminationibus in eo iudicio fuit; eorum vero opposita sententia actrix, needum accusata, & si argumenta, ob quæ ab illa abscederemus, iremusque in nostram, haud seguiter à nostris fuerint eis disputationibus instructa, & efformata: longè autem maior approbatio est accusatum absolui, quam non damnari non accusatum, sed permitti: & sanè, cum nostræ doctrinæ absolutione habita Doctores nostri oppositæ sententiæ Lutheranismi, & Caluinismi à Tridentino damnati; litem intentarent, longissimarum anteactarum disputationum tædio, alioque Pauli V. mentem auocantibus curis grauissimis, disputationes solutæ, atque in liberius tempus dilatæ sunt, non neglectæ: quæ nobis actoribus, si habeantur, & tamen aduersarij pro sua conditione, & Theologica dexteritate causa non cecidirint, tunc demum æqua vtriusque doctrinæ laus, & commendatio à Sede Apostolica erit.

4. Sed enim Romanæ illæ disputationes atrocium fabularum, mendaciorumque contra nostram doctrinam spississimorum materiam nonnullis dederunt: quorum mala fide decepti discalceati Carmelitani Salmanticenses in suo cursu Theolog. t. 1. in 1. p. tract. 3. dubit. 3. §. 2. narrarunt ex triginta grauissimis viris, Cardinalibus, Episcopis, & Religiosis Vicario Christi testium, & consiliariorum loco assistentibus, omnes, vno, vel altero excepto (quorum postea meminit Mag. Ioan. à S. Th. infrà recitandus) constanter cum Clemente VIII. & Paulo V. iudicasse scientiam mediam, ac subinde futuritionem conditionatam contingentium, aut absolutam, nullum in S. Augustini, & Thomæ doctrina fundamentum habere. Cui historiæ, cum à nostris per sex integros annos, vel hominum Academia disputationum pulueris inexpertium indulgentia, & neglectu, vel superflui laboris tædio, vel causæ securitate, vel tandem pacis, & modestiæ amore reclamatum non esset: nouissimè Ioann. à S. Thom. t. 1. in 1. p. d. 20. art. 6. pag. 688. cussionis Complutens. anno 1637. insultanter scripsit. [Sex anni sunt, ex quo liber est publicatus, vt possit ab aduersariis tale testimonium, & historia, vel refringi, vel redargui. Sed non est factum: & ita factum tenet. Et ibidem pag. 690. sanè, si aduersarij sensissent

sensissent pro eorum parte qualitercumque stare: nullatenus manifestare negligerent omnibus rem suæ opinioni ita favorabilem: cum etiam ex aliis minutioribus, & parui momenti argumentis grãdem aliqui ponderationem faciant.] Nostroque ipse silentio, atque modestiæ fidens ex quodam authographo Doctoris Pennæ, infensissimo societatis nostræ inimico historiam earundem disputationum aliam numeratis, cum die, mense, & anno, congregationibus, vbi de ea materia disputatum, actumque est ait: Congregat. habita apud Reuerend. Dom. S. Agathæ Episcopum die Iouis 7. Iunij anni 1601. Romanos censores omnes (exceptis Regente Carmelitarum, & Procuratore generali S. Augustini) *Statuisse scientiam mediam fuisse inuentam à Massilien-sibus ad extenuandam Dei gratiam effectricem bonæ voluntatis.* Sed quoniam historiæ illius discalceatæ, sicuti, & nimium calceatæ huius falsitas, vel inde deprehendi facile posset (vt docte obseruauit R. Petrus à S. Ioseph d. 4. de suaui concordia, sect. 4. n. 3.) quod nihil horum à Reuerendiss. Didaco Aluarez (quo Dominicano actore, & disputatores præsente, Romanæ sessiones, & disputationes habitæ sunt opere de auxiliis post illas omnes proxime euulgato memoratum fuerit; cum tamen nihil, quod suis fauere partibus posset, vel minutulum eo in opere, & altero responsorum omiserit. Duacenses Patres Dominicani difficili huic, & promptæ obiectioni contra vulgatam ante annos quatuor discalceatorum historiam occurrere volétes opusculum posthumum eiusdem Aluarez *de origine hæresis Pelagianæ* cudi fecerunt anno 1635. Ad cuius calcem addunt codice magna ex parte propria eius manuscripto, eòque ocniobio asseruato testari ipsum. [Ex triginta iudicibus supra recensitis, qui vel Cardinales, vel Episcopalibus insulis conspicui, vel ex grauioribus inter regulares omnes vno, atque altero dempto, & prædictos summos Pontifices Clem. VIII. & Paulo V. vt Doctores particulares, iudicasset veram, & germanam SS. Augustini, & Thomæ sententiam à Thomistis, aduersus Ludouici Molinæ doctissimos, & acerrimos defensores propugnatam,] quibus pro indubitatis suppositis subdunt, [vt proinde, quo iure Doct. Angelicus post tale grauissimorum Pontificum, & tot iudicum interrogatorum iudicium à quodam fulienſi. (Doct. nimirum Fr. Petro à S. Ioseph in defensione à S. Th. à physica prædeterminatione actuum liberorum ipsi falso imposita) [& nonnullis aliis in partes contrarias pertrahi possit viri prudentissimi vehementer mirari non desinant.

5 Vt autem ea præcautio fabulæ illi suadendæ, atque ab obiectione prætata liberandæ prodesset, eam historiæ partem è Reuerendissimi Aluarez codiculo decerptam, manu eius exaratam esse authenticis testimoniis comprobari oportebat. Plura enim eius codiculi alienæ esse manus proferentes ipsi testantur: atque aliorum manibus scripta plura circa eas congregationes, & disputationes apocrypha, & fabulosa ad aduersarios peruenisse certissimum est, tempérque illud instat nullibi suorũ operum, ne opusculo quidem hoc à suis Duacensibus cuso ea historia pro sua doctrina vsum Aluarez fuisse, qui omnia pro illa mouit. Et sane neque per Ioann. à S. Ioseph cit. art. 6. pag. 68. Consultorum Clem. VIII. & Paulo V. pro eis disputationibus assistentium numerus trigenarium expleuit: re autem vera neque vltra decem & quatuor, & sex præterea Cardinales fuit, vt ex relationum concordia singulis, & omnibus nominatim recensitis ostendit Paulus Leonardus proxime n. 11. Secundo vt hic bene obseruat sect. 4. n. 18. cum primum Molinæ doctrina delata ad Sedem Apostolicam fuit anno supra notato, non fideliter, vt in eius concordia erat, sed corrupte fuit delata, vt Molina ipse conqueritur: quare mirum non esset in congregationibus habitis anno 1598. coram Eminentiss. D. Ludouico Madruchio, & Dom. Pompeio Aragonio generalibus inquisitoribus Romanis septem ex nouenario numero Consultorum illam S. Augustino, & Thomæ declarasse contrariam; renitentibus R. Patribus Ioanne Antonio Bohio Collegij Romani Carmelitani Rector, & Ioanne Bapt. Piambino Procurat. generali Eremitar. S. Augustini, quibus adnumerandi ex illis nouem sunt Mag. Greg. Nunnez Coronel, Augustinian. qui è sui ordinis fuit sententia Procuratori suo generali consensit, & D. Ludouicus Creyl. & R. Iacobus de Bussu Benedictinus ambo Sorbonici Doctores Parisienses, ex quibus nemo non ab anno 1626. præfinitiones prædeterminatiuas, ac prægraui censura notatas, non reiecit, vt vidimus cert. 1. an. 2.

quod si, vt refert Ioann. à S. Thom. cit. art. 6. eis congregationibus interfuit Episcopus de Nardo, & Reu Mag. Henricus Siluius, postmodum Generalis Carmelitus in earum congregationum censoribus numeratus à Fr. Antonio Alegre statu 5. paradisi Carmelitici ætate 17. c. 36. ann. 1598. quos etiam pro doctrina Molinæ, vti Augustiniana, & vere Thomistica stetisse veriores dicunt relationes; liquet ex vndecim suffragiis, etiam tunc, cum nondum delatio verificata, doctrinaque à nostris, vt Molinæ, & Societatis propria, & germana recognita fuerat (sequenti anno 1599. actum hoc fuit, vt n. 3. dicebamus) nec disputationes inchoatæ septem doctrinæ nostræ adfauerunt. Et sane vani hi rumusculi per id temporis sparsi ab aduersariis fuere, vt patet ex epistolis recitatis Vniuersitatum, & Professorum Theologiæ cert. 1. & 2. & hoc cert. 3. afferendis; imo, & fabulosior ille, eorum tamen consectarius, quod Clemens VIII. Molinæ præfatam doctrinam vellet damnare; contra quem tamen bono nos animo esse iussit Eminentiss. noster Cardinal. Bellarminus epistola data. De eodemque Bellarmino in eius vita lib. 3. c. 9. dixisse Clementi VIII. fertur. Nihil eum contra nostras assertiones definiturum: id quod, & si probato alias sanctissimi viri prophetico spiritu dictum pie credi possit: cum Eugenio tamen Philadelpho exercit. schol. tripart. appendice ad Camerarium §. *Hus spectat*, ob supremam sedis Apostolicæ, & infallibilem in definiendis authoritatem, & nostræ doctrinæ firmissima, & ab authoritate, & à ratione fundamenta altissime ab eo penetrata, dictum potius reor. Maxime, cum sciam illum sub vitæ finem in sua contra prædeterminatiuas præfinitiones sententia mori se testatum esse.

6 Sed quamuis illud tunc fuerit consultorum, & Clem. VIII. iudicium, cum res non erat, & partis confessione, & disputationibus explorata: qui fieri potuit, vt post illas habitas, repræsentataque à nostris Sixti V. pro eadem doctrina contra Baium, eiusque partiales, omniúmque S. Inquisitionis tribunalium, totque vniuersitatum, & insigniorum ætatis illius Professorum iudicia, atque ex S. Augustino, & Thoma apertissima, & frequentissima testimonia, atque à ratione Philosophica, & Theologica argumenta firmissima, vel Romani censores illi, Clemens VIII. & Paulus V. (adhuc contrario delationis initio iudicio præuenti) in aduersa nobis censura persisterent? Fuerint ergo in rudi adhuc indigesta, & confusa materia ij omnes nobis aduersi, an non gloriosius nobis, nostrísque fundamentis est, causa cognita eosdem nostris partibus præconcepto etiam iudicio renunciantes, & quasi à se ipsis abscedentes nostris partibus accessisse? Quod autem ita demum (si vera illa aduersariorum historia esset) res acciderit: decreta illa vtriusque Pontificis memorata euidenter suadent. Neque enim contra proprium, & longe maioris partis censorum iudicium edita in nostræ doctrinæ fauorem decreta illa fuissent, quæ prudenter, & pie non, nisi ex maiori suffragiorum parte, præsertim contra priuata Pontificum ipsorum statuentium iudicia, edi potuerunt. Accedit sententiam censorum postremam, ex qua decreta illa prodiere secretis singulorum suffragiis ab eisdem Pontificibus per sanctam generalem inquisitionem Romanam, & memoratos Eminentiss. Generales fidei quæsitores in scriptis receptam fuisse: cumque, tum ob materiæ qualitatem, tum ob sanctæ inquisitionis stylũ inuiolabilem secreti iuramento tam inquisitores, quam censores obstringerentur: vnde fide dignis testibus ea iudicij censorũ postremi computatio effor mari potuerit, non apparet; nisi è Pontificiis regestis, quæ nulli partium hactenus patuere, nec ab aduersariis citantur.

7 Eam ob rem Ioan. à S. Th. cit. art. 6. pag. 688. ait: censuram illam maiori longe suffragiorum parte scientiæ mediæ, eiusque connexis articulis aduersã in cõgregationibus habitis apud Ædes Episcopi S. Agathę datã esse anno 1601. quare non esse illam, quæ summo Pontifici à iuratis de secreto censoribus post ventilatam vtrinque quæstionẽ data est. Postremum hoc est verissimum siquidem anno 1602. primũ quæstionis ventilandæ facta est vtrique parti facultas, ac publice disputationes indictæ. Et quidem argumenta hæc cõtra fabulosas istas Cõgregationes & cẽsuras, quæ fusiori calamo Paul. Leonard. persecutus est efficacia satis de se sunt, & Breui Innoc. X efficaciora facta expedito die 23. Aprilis, anno 1654. in Congreg. generalis Inquisit. Romanæ habita in Palacio Apostolico quirinali coram eodem summo Pontifice & Eminentiss. generalibus inquisitoribus, quo postquam libros plures Cornelij Ian-

senij, & Ianſenitarum ſub grauibus pœnis, & cenſuris prohibet, præfatas omnes hiſtorias Congregationum illarum, & ſpeciatim, quæ ex relatione Mag. Lemos, & Doct. Pegnæ circumferuntur, à pochryphas, & nullius authoritatis Innocentius declarat, à nulloque allegandas decernit. Breue incipit. *SS. D. N. Innocentius Papa X. poſt condemnatam ſua conſtitutione, &c.* fine autem ad rem præſentem ait. *Caterum, cum, tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam aſſerta acta manuſcripta, & forſan typis excuſſa, Congregationum habitarum coram ſacris record. Clemente VIII. ac Paulo V. ſuper quæſtione de auxiliis diuina gratia, tam ſub nomine Franciſci Pegnæ olim Rotæ Romanæ decani, quam fratris Thomæ de Lemos ordinis Prædicatorum aliorumque Prælatorum, & Theologorum, qui, vt aſſeritur, prædictis interfuerunt Congregationibus. Necnon quoddam autographum, ſiue exemplar cuiuſdam aſſertæ conſtitutionis eiuſdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de auxiliis, ac damnationis ſententiæ, ſeu ſententiarum Ludouici Molinæ ſocietatis Ieſu: eadem ſanctitas ſua præſenti hoc decreto declarat, ac decreuit: prædictis aſſertis actis, tam pro ſententia fratrum Ordinis ſancti Dominici, quam Ludouici Molinæ, aliorumque ſocietatis Ieſu Religioſorum, & auctographo, ſiue exemplari prædictæ aſſertæ conſtitutionis Pauli V. nullam omnino eſſe fidem adhibendam: neque ab alterutra parte, ſeu à quocumque alio allegari poſſe, vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta obſeruanda eſſe decreta Pauli V. Vrbani VIII. ſuorum prædeceſſorum fidem facit Ioann. Antonius Thomaſius ſanctæ Romanæ, & vniuerſalis inquiſitionis Notar.* Huius autem decreti publicatio ita peracta eſt. *Anno à Natiuitate D. N. Ieſu-Chriſti, milleſ. ſexcenteſ. quinquag. quarto, indictione 7. die vero vigeſima ſeptima Aprilis Pontific. Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. Innocentij diuina prouidentia Papæ X. anno eius decimo ſupradicta littera Apoſtolica, ſiue decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, atque in acie campi floræ, vt moris eſt, per me Hieronymum Maſcellam eiuſdem S. D. N. Papæ, & Romanæ inquiſitionis curſorem.* Decreti huius authenticam copiam apud me habeo.

8. De Hiſpanis inquiſitionibus, quam honorifice hanc Molinæ, & noſtram prædeterminatiuis præfinitionibus abnuentem ſententiam probauerint conſtat ex datis epiſtolis cert. 1. à n. 9. & cert. 2. Datiſque de Luſitana generali inquiſitione reſtant ex iam ſubjiciendis Epiſtolis perſpicua teſtimonia clarebunt. Albertus Auſtriæ Archidux, olim Cardin. & Generalis apud Luſitanos fidei quæſitor, cum poſtea è Belgio Hiſpaniam ducturus infantem Iſabellam claram Philippi 2. filiam veniſſet, hæc è Matritenſi aula ad Clementem VIII. dedit anno 1599. die Aprilis 12. [Beatiſſime Pater, quo tempore Regnum Luſitaniæ, & S. ibi generalē inquiſitionem gubernabam oblati mihi ſunt ſupplices libri aduerſus librum Ludouici de Molina ſocieratis Ieſu de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, diuina præſcientia, & prædeſtinatione, & vt in eo negotio mature p. ederetur, poſt cōmunicatam cum ſenatu inquiſitionis materiam datum eſt Doct. Ludouico Molinæ tranſſumptum obiectionum factarum contra eius librum; quibus ille reſpondit; & ego præcepi, vt, tam obiectiones, quam reſponſiones ad eas perlegerentur, & excuterentur à perſonis doctis, & grauibus eius Regni, & inter has ab aliquibus Patribus Ordinis S. Dominici. A quibus, cum eſſet compertum nihil eſſe in libro, quod cenſuram promereretur; imo potius continere doctrinam valde vtilem, ſanam, & conformem ſcripturæ, conciliis, & SS. Patribus: &, quod Author omnibus, quæ opponebantur, ſolide ſatisfaciebat, vt liquet ex decreto S. inquiſitionis. his viſis facta eſt copia libri in lucē edendi; qui ſtatim prodiit. De quibus V. ſanctitatem admonere volui, quoniam percipio, nunc de nouo hanc eandem materiam Romæ pertractari: atque eidem, qui apud me in Luſitania de opere apud illo detulerunt, modo ad veſtrā Beatitudinem recurrere, vt in librum cenſura feratur. Atque, vt hęc repreſentarem motus ſum, tum quia æquum eſt ita fieri? tum quod Author efflagitauit: tum præcipuè vt V. ſanctitas per me, qui omnia noui, edoctus, ſtatuat, quod de tam graui negotio magis expediat, in quo, & mea periclitatur authoritas, & ſacræ generalis inquiſitionis Regni Luſitaniæ, & vtraque omnium tam catholicorum, quam hæreticorum oculis expoſita eſt.] Conſuli vero Dominicani Patres, fuere perdoctus Mag. Bartholomeus Ferreira ſenatus illius publicus cenſor, & Mag. Ioan. Delaſcueuas tunc Archiduci à confeſſionibus, poſt vero Epiſcop. Abulenſis.

Idem Luſitanæ inquiſitionis iudicium teſtata eidem Clementi VIII. fuit Maria Auguſta Imperatrix præfati Alberti mater litteris ad ipsū datis Matriti 14. Nouemb. anno 1598. tenoris ſequentis. Beatiſſime, perſpecta, & in Germania, & in Hiſpania, cum animi magna cōſolatione, quantum Religio ſocietatis Ieſu Deo, & eius Eccleſiæ deſeruit, obligor ex intimo corde concupiſcere, & adniti eius conſeruationem, & augmentum. Præſertim, cum videam eam à S. illa tua, & Apoſtolica ſede, à Catholicis Principibus tantopere coli, & adamari, quantum eam hæretici, & Pontificiæ Cathedræ omnes hoſtes deteſtantur. Perſuaſum enim habeo tales fauores neceſſarios eſſe, vt fructus laborum, quos ſuſcipit, creſcat, & mercedis, atque præmij quaſi debitos titulo, ob plura, & inſignia eius merita erga veſtram ſanctitatē, & totam catholicam Eccleſiam, pro qua inceſſanter fatigatur, veſtram Beatitudinē ſuppliciter deprecor; tum propter vniuerſalis Eccleſiæ gratiam, tum propter noſtræ in hanc religionem ardentiorem affectum, vt quam commendatiſſimam V. habeat ſanctitas, & paterne defendat omnibus occaſionib. ſpeciatim ea, quæ oblata eſt de P. Ludouici Molinæ libro, quem librum ex authoritate V. ſanctitatis Archidux Albertus filius meus, dum eſſet ſupremus in regno Luſitaniæ inquiſitor cum toto S. inquiſitionis ſenatu examinauit, ob quorumdam æmulorum inſtantiam; & reperit criminationes illorum nullius eſſe momenti: librumque ſecurum, & catholicum eſſe. Quod ipſum quoque iudicatum eſt à multis vniuerſitatibus, Prælatis, & hominibus doctis Caſtellæ: quod V. ſanctitas fuſius percipiet ab Hiſpaniæ in vrbe legato. Cuius beatiſſ. perſonam quod V. ſanctit. obedientiſſ. filia Maria.] Extant etiam apud nos quatuor aliæ Auguſtæ huius in eandem ſententiam epiſtolæ eodem anno 2. Decemb. Madriti etiam datis ad eminentiſſ. Cardinales Aldobrandinum, Madruchium, & S. Seuerinæ, atq; ad ducem de ſeſſa Regis Catholici tunc in vrbe legatum. Similis epiſtola ad Clementem eundem à toto ſupremo inquiſitionis Luſitanæ ſenatu miſſa per id tempus in hæc verba fuit. *Beatiſſ. P. Poſt Sanctiſſimorum pedum oſcula, de licentia huius Senatus Generalis inquiſitionis Luſitaniæ non paucis ante annis, inquiſitore tunc generali Cardinali Archiduce impreſſi ſunt commentarij P. Ludouici de Molina ſocietatis Ieſu, de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, &c. habita prius honorifica approbatione P. Bartholomæi Ferreira è Dominicana familia publici tunc in hoc Senatu cenſoris: quæ approbatio in fronte libri præfertur. Nihilominus accepimus eius libri doctrinam grauiter à nonnullis Theologis in Hiſpania fuiſſe oppugnatam, tandemque ad iudicium ſummi iſtius Apoſtolatus, vnde omnis certa doctrina cenſura petenda eſt cauſam eſſe delatam; huiuſque cognitionem à V. ſanctitate certis deputatis commiſſam. Cum igitur in eo libro approbatæ huius conſilij authoritas, quæ ex delegatione Apoſtolica exiſtit, interpoſita ſit: ac proinde in libri periculo eadem authoritas modo aliquo periclitetur: oportere viſum eſt id exponi ſanctitati veſtræ, prout facimus, humiliter ſupplicantes, vt iubere dignetur communicari huic conſilio obiectiones, quæ eius libri doctrinam in diſcrimen adducere videntur, dato nobis ſpatio congruo ad tranſmittendam ſatisfactionem, quæ reddi poſſe videbitur: nihilque interim contra ipſum librū ſtatuendo. Quidquid tamen ſanctitati V. circa totum hoc negotium diſponere placeat, ſubmiſſe, & obſequentiſſime, vt par eſt, animo, conformique iudicio ſuſcipiemus. Vltiſpone in menſa ſenatus generalis inquiſitionis vacante officio inquiſitoris Generalis, &c. Senatus generalis inquiſitionis.*

Illuſtri hoc tanti ſenatus inſtrumento non ſolū abipſo approbatam eſſe oſtenditur doctrinam noſtram præfinitiones prædeterminatiuas auerſantem, ſicuti ex approbatione opuſculorum noſtri Suarez (quorum alterum de ſcientia media eſt) ab eodem ſenatu facta 9. Mart. anno 1599. vt conſtat editione ex Typographia Reg. Madriti eodem anno, verum & ſupremo illi ſenatui præ oppoſita ſententia approbatā cum eius doctrinæ, nec ſolū cenſura, defenſio, ea epiſtola abillo ſuſcipiatur. Id quod amplius adhuc elucet: cū eiuſdē ſenatus generalis alter inquiſitor illuſtriſſ.

Illustriss. D. Fernandus Mascarenas cum his de rebus adscribendum se contulit, adeo efficaciter oppositam doctrinam impugnauerit, adeóque constanter nostræ adhæserit, vt infra videbimus. Denique mittenda non est Dom. D. Ioannis de Borgia Augustæ memoratæ Maiordomi Maximi Regisque Senatus Lusitani Consiliarij. Data ad Clementem eundem, Madriti 8. Iunij, anno 1601. Latina per nostrum Paulum Leonardum citata 1. p. sect. 7. n. 30. motiuum enim omnium, & artium, quibus Molinæ doctrina impetita ab hostibus fuit, eiusque apud Hispaniæ tribunalia, Academias, & doctos quosque triumphorum compendiaria tanti viri historia est. Titulis, quibus Lusitaniæ inquisitionis, & Regni authoritati consulere debet initio recensitis ait: Rumore ab aliquibus per totam Hispaniam diffuso, nempe prohibendam in vrbe concordiam liberi arbitrij cum gratiæ donis à P. Ludonico de Molina Societatis Iesv in lucem emissam valde commotus sum. Quoniam, si sparsus rumor verus fuisset, non modo tristitiæ occasio fuisset piis, & doctis quibusque eius Regni, periculi quoque non mediocris æstimationi, & authoritati supremi fidei Senatus per S. Sedem ea in prouincia erecti; quæ me compellunt, vt v. Beatitudini repræsentem, P. doct. Ludouicum de Molina per viginti annos, quibus primariam Theologicæ facultatis cathedram Ebornensi in Academia moderatus est, atque per alios multos, quibus à pueritia ad extremam ætatem ibi vixit, eximiæ Religionis virum computatum, & eruditione consumatissimum adeo, vt oraculi instar haberetur: eiusque libri in pretio magno habentur cum generali approbatione: singulariter verò opus eius de concordia gratiæ, & liberi arbitrij: non solum, quia more communi data est eudendi facultas à Concilio S. Inquisitionis, & ab aliis Conciliis Regis Domini: Sed, quia ob denuntiationem quorundam Theologorum ex Castella Archidux Albertus, cum esset V. Sanctitatis Legatus à latere, & supremus inquisitor, mandauit cum omni diligentia, quæ obiiciebantur, simul cum auctoris satisfactione diligenter examinari; quibus perpensis Archidux cum toto supremo Senatu iudicarunt, censura dignum nihil reperiri; proinde non esse impediendum fructum, qui ab eo expectabatur libro, speciatim aduersus hæreses nostrorum temporum. V. Sanctitatem humiliter deprecor hæc omnia perpendat; & quanti inconuenientis futurum sit Domini Archiducis V. Beatitudinis legati & supremæ inquisitionis sententiam tanta cum circunspectione, & pondere latam reuocare: quantæ etiam toti regno amaritudinis condemnari doctrinam viri, quem maximi faciebat, &, à quo vtilitatem plurimam accepisse faretur. Et, licet certus sum Theologos vrbis, quibus libri examinandi cura demandata est, tam graues esse, vt merus esse non debeat, quin suo fungantur munere cum integritate; tamen parta his in locis experientia de mediis singularibus, & extraordinariis, quibus huius P. hostes vti sunt ad eum persequendum, mouere debet, ad diligenter considerandum eorum delectum, quibus censura commendatur, confido in Deo, &c. V. B. humilis seruus Don Ioannes Borgia. | Porro & si ex his, quæ tota hæc quæstione produximus concludi absolute nequeat, prædeterminatiuas præfinitiones, quas insequimur damnatas ab omnibus Academiis, Romanis congregationibus, & sancta Inquisitione prorsus esse, nostramque eadem auersantem sententiam, vti certam commendatam; in hanc vero nostram potius, quam in aduersam potuisse omnino concluditur.

QVÆSTIO V.

An per scholam veram Thomisticam, & Philosophorum, & Magistri doctrinam prædeterminatiuæ præfinitiones liceant?

PHILOSOPHORVM primo loco, & Magistri sententiarum tum antiquitatis nomine, tum, quia iam sectam propriam in scholis non habent exploranda sententia, vt postmodum ad celeberrimæ Thomistæ examen veniamus.

CERTAMEN I.

Philosophis non fatalibus omnibus, ac Magistro sententiarum, prædeterminatiuæ præfinitiones absolutæ actionum humanarum fuerunt semper inuisæ.

1 CVm res hæc ex naturali Philosophia disputari, ac definiri optime queat, vti ex quæst. 7. patebit: merito, dum scholasticorum iudicia super illa explorauimus Philosophorum de illa sententiæ explorandæ etiam sunt. Et in primis Philosophorum Principes Platonem, & Aristotelem pro exclusione cuiusvis principij determinantis ex parte actus primi voluntatem ad alterum operationis extremum retulimus, ac recitauimus, præsertim quæst. 1. certam. 2. num. 2. 6. & 8. & certam. 3. num. 1. & 6. dum nostram de actionibus consultationem, consilium deliberationem electionem, ac propositum, rerumque vsum strictum Aristot. statuit. Inde etiam fatum ad actiones solum naturales restrinxit, ne libera fatali necessitati, contra ipsarum libertatem, subiaceret, vt multis eius locis probat Iulius Sirenius 3. de fato, cap. 4. & 5. & à cap. 41. ad 44. quod ipsum de Platone ostendunt, Nemesius de natur. hominis, & animæ facultatibus, c. 38. & Ludou. Viues 5. de ciuit. c. 1. allegatis multis ex postremo eius lib de Rep.

2 Nemesij primo loco sententia est. *Virtutem (vtpote sui iuris) carere Domino, & quia omnis Platonis oratio eo pertinet, vt electiones, & aliquas actiones ex electione in nostra esse potestate ostendat, ne ex necessitate legis æternæ rerum administratricis.* Sirenius cap. 44. cit. post med. *Stoici* (quorum Plato author) *& fatum, & in nostra esse aliquid potestate tuentur.* Et Plato ipse in gorgia, siue dialog. de Rethorica sub med. ex Socrate: *Quisque sibi imperet, vt temperatus, & sui ipsius potens sit, & voluptatibus, ac cupiditatibus suis imperet:* tanquam scilicet actionum suarum dominus. De Stoicis cum Platone scribit August. lib. 5. de ciuit. cap. 9. sub init. dixisse: *Non omnia ex necessitate fieri, quamvis omnia fato fieri contenderent.* Et cap. 10. iuit. *in his causis, quas sub necessitate esse noluerunt* (Stoici) *posuisse voluntates nostras; videlicet, non essent liberæ, si subderentur necessitati.* Plotinus apud Theodoret. 6. de prouid. post med. aiebat: *Liberæ potestatis animalia, quæ mouentur ex se ipsis, modo in meliorem, modo in deteriorem partem inclinare possunt.* Et Euripides apud Origen. 2. contra Celsum ante med. & apud Euseb. de præparat. Euang. lib. 6. cap. 6. aiebat: *Quemadmodum Laius dare operam liberis, & non dare, sic eius filius interficere & non interficere poterat.* Et si extabat de parricidio vaticinium. Et Cicero de natura Deor. & 2. de diuinat. apud August. 5. de ciuitate, cap. 9. & 10. & Viues ibi, *Libertatem omni necessitatis vinculo solutam* asseruit, cum autem conciliandæ cum hoc infallibilitati, & celsitudini præscientiæ impar esset has erroneè negauit.

3 Audiendus tamen in hanc sententiam est Aristot. 9. Metaph. cap. 5. text. 9. & 10. vbi statuit: irrationales potentias cum requisitis, & absque impedimentis necessario operari; rationales verò, seu liberas esse adhuc contrariorum factiuas, & ad illa indifferentes. Ita enim dixerat textu comment. 3. *Quæ quidem cum ratione agentes omnes contrariorum sunt eadem, & quæ irrationabilis una vnius:* Eumque obiiciat: *quare simul facient contraria* quod est impossibile; respondet: *Necesse est ergo alterum aliquid esse, quod proprium* (aliter) *quod dominetur est, nec adeo commune vtrique dico autem hoc appetitum, appetitionem, aut prohæresim* (id est electio iudicij) *quod enim desiderabit principaliter, hoc faciet, quoniam vt possit extiterit, & appropinquauerit possibile.* Quibus verbis, & si ex parte principij aliqualem videatur determinationem requirere; non tamen illam requirit, sed proprietatem solum respectu actus voluntatis: eamque ponit in prohæresi, seu iudicio, quod ex duobus sequitur de facto apperitus, quod proprium

eius actus est, nec commune ipsi, & opposito; non autem de se determinatiuum ad illum. Appetitionem vero non ponit, vt determinatiuum necessarium ex parte actus primi ad appetitionem, neque enim requiri ad se ipsam, neque ad aliam, potest, ne processus infinitus detur, ni in aliqua sistatur appetitione, quæ immediate ab appetitu, seu voluntate oriatur nullam appetitionem supponens. Hanc igitur ad operandum ad extra solum modo requirit, quæ operatio, cum solum mediatam libertatem ab appetitione participet, determinationem per illam non auersatur. Adde illud ex 3. Ethicor. cap. 5. init. *Nostra in potestate virtutes, & idemtidem vitia collocari; quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere, in ijs & non agere; & in quibus non agere, in ijs est & agere;* vt ad hanc potestatem ad vtrumvis recte explicat S. Th. lect. 11. postea recitandus. Item 1. Perihermen. cap. 8. vt absurdum infert. [Neque est quidquam, quod æque fieri, & non fieri possit: neque erit, aut non erit quidquam, sed omnia necessario eueniunt: & nihil est quod æque fieri, ac non fieri possit.] Et sub fin. concludit: (Patet non omnia necessario, vel esse, vel fieri; sed quædam talia esse, vt æque fieri, atque non fieri possint.] Et subinferius. [Quare, cum ita orationes sint veræ, quemadmodum sese res ipsæ habent, patet, & contradictionem ipsam, quæ circa res eas est, quæ sic se habent, vt æque fieri, atque non fieri, & esse atque non esse possint, necessario perinde sese habere, atque res tales sese habent, & eandem cum illis legem subire.] Et lib. 2. c. 3. post med. [Potentiæ igitur eæ, quæ participes rationis sunt, eædem plurium sunt, & contrariorum; at, quæ sunt rationis expertes, non omnes: sed ignis, vt dictum est, non calefacere, & calefacere non potest: neque cætera quæcumque semper actu existunt. Aliqua tamen eorum, quæ potentias rationis expertes habent, opposita simul suscipere] (passiue) possunt. Alia etiam in sententiam eandem Philosophorum testimonia dabimus q. 7. dum agentis liberi definitionem statuamus.

4 Accedunt Patres plures recitati q. 1. & 2. non vno solum Theologiæ titulo, sed & Philosophiæ illustres: quandoquidem in vtraque eminuerunt. Sed præsertim Scholasticorum Philosophorum nomine referendi hic sunt, qui ex nominatissimis, celeberrimisque Philosophis Christianam religionem ingressi, & sanctimonia vitæ, & sacrarum litterarum accurata meditatione, & intelligentia naturalis suæ Philosophia laudem non minuerunt quidem, sed magnopere auxerunt, & illustrarunt, in quibus sunt Boërius, Athenagoras, Iustinus Martyr, Cyprianus, Nemesius, Ireneus, Nazianz. Basilius, Nemesius, Synesius, Lactantius, Minutius Felix, Augustinus, Ennodius, Damascenus, & ex recitatis q. 2. & 3. Antiquorum plerique, quorum testimonia eis locis videri poterunt, ne hic otiose repetantur.

5 Ex Theologis referendus primo venit Magister sententiarum, & in primis locis ex ipso dandis contra præfinitiones prædeterminatiuas ad materiale peccati. Secundo dandis etiam pro definitione causæ liberæ. Tertio datis iam locis controuers. 2. disp. 5. quæst. vlt. pro concordia præscientiæ infallibilis Dei de nostris liberis actibus cum eorum libertate, quia illos non præcedit, sed subsequitur potius, & supponit. Audiendus præterea est in 2. d. 25. c. 1. sic fatus. *Habilitas voluntatis, & rationis libera est ad vtrumlibet: quia libere potest moueri ad hoc, vel ad illud.* c. 2. negat sub potestate arbitrij esse præterita, & præsentia (qua præsentia scilicet) *imo neque futura; sed ea tandem, qua per liberum arbitrium possunt fieri, vel non fieri.* Vbi tantumdem valere posse fieri, vel non fieri, seu potestatem ad faciendum, vel non faciendum, atque arbitrij, & actionum libertatem ait, cap. 5. *Liberum dicitur arbitrium: quia sine coactione, & necessitate, valet eligere, quod ex ratione decreuit,* cap. 9. *A necessitate, & ante peccatum, & post, æque liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita neque modo. Ideóque voluntas merito apud Deum iudicatur, quæ semper à necessitate libera est, & nunquam cogi potest: vbi necessitas, ibi non est libertas:* vbi *non libertas, neque voluntas: & ideo neque meritum,* c. 13. repetit esse à necessitate liberam, cap. vlt. *libertas à necessitate est per naturam*, quæ consonant dictis ab ipso d. 5. init. & d. 24.

CERTAMEN II.

S. Thomas pro nobis apertus prorsus est.

1 SEcundo loco pro sententia præfinitiones prædeterminatiuas excludente adeo apertus, frequens, & constans S. Thomas, vt absolute, ac sine vlla lectorum eius recitatione, imo & citatione referendus esset, ni Dominicani Patres habitus, & ordinis, quam mentis, concordia, ius priuatiuum, quod aiunt, illum interpretandi sicut, & Thomistarum nomen sibi arrogantes Angelicum Præceptorem in propriis quique sententias trahendi, vel inuitum, communem sibi (sibi tamen non semel, discordem) fecissent potestatem. Quoniam igitur in re præsenti se solos Angelici Præceptoris mentem assecutos, secutosque iactant; Nosque in re tam graui ipsius infensos hostes apud scholas, apud alienæ facultatis, imo mere etiam laicos homines, insciasque mulieres, & plebem conqueruntur, & clamant pluribus illius (vt omnibus fieri absque nimia prolixitate nequeat) testimoniis vbique operum eius obuiis eum ipsis infensum, nobis in hac materia amicissimum esse ostendendum hic erit. Et in primis videnda, quæ ex ipso produximus controu. 2. d. 5. quæst. vlt. cert. 3. à num. 3. vbi, inde solam præscientiæ certitudinem cum contingentis futuri contingentia, & libertate conciliat, quia illa huius causa non est; neque hoc ideo erit, quia præscitur; sed potius ideo præscitur quia erit, atque esse, seu fore in se determinate ad sui præscientiam supponitur. Secundo quia eisdem locis ait futurum ex suis causis necessitatem, vt sic, non habere, neque determinationem essendi infallibilem: ac proinde non posse præscientia Dei physice, ac metaphysice infallibili, in suis causis cognosci futurum potius, quam non futurum: cum in illis, etiam coniunctim acceptis determinationem, & necessitatem essendi potius, quam non essendi eius futuritio non habeat, sed solam indifferentiam, & indeterminationem ad sui futuritionem, & non futuritionem. Quare expectandam esse ait contingentis in suo determinato esse existentiam pro duratione, respectu cuius determinata eius futuritio est potius, quam non futuritio, vt determinate futurum à Deo infallibiliter absque suæ contingentiæ, & libertatis præiudicio cognoscatur: quia necessitas obiectiua, quam præscientiæ infallibilitas supponit, est necessitas essendi futurum contingens in se, quandiu esse supponitur, seu necessitas essendi in se pro duratione, qua in se iam est, scilicet necessitas libertatis, & potestatis ad vtrumvis exercitium consequens, neque vllatenus natura antecedens, Qua doctrina Angelicus Doctor docet, quamvis determinationem, & necessitatem in coniuncto causarum contingentis, vt hoc sit reiiciendam necessario esse, vt eius contingentia, & libertas seruetur; neque aliam determinationem, & necessitatem essendi cum contingentis libertate posse consistere, nisi, quæ ex eo, quod in se ipso contingens est, suboriatur: eam scilicet, qua omne, quod est, quando est, necesse est esse, & quam consequenter appellamus: igitur ex mente apertissima S. Th. quoties in coniuncto causarum futuri contingentis inuenitur determinatio, & necessitas infallibilis, & antecedens essendi eiusmodi futurum eius contingentia, & libertas aboletur: neque alia necessitas, & infallibilitas essendi cum eius contingentia, & libertate componitur, nisi consequens, seu quæ futuri ipsius positionem supponit: At qui prædeterminatiua præfinitio Thomistica, in coniuncto causarum, etiam necessariarum, & essentialium futuri contingentis inclusa, est necessitas infallibilis, & determinatio essendi eiusmodi futurum causalitate, & natura antecedens, nec solum consequens, & quæ ortum habeat ex ipsius futuri positione, quam supponit ergo ex mente S. Thomæ abiicienda est, vti in eius sententia veritissima, & certissima incomponibilis cum futuri ita præfiniti contingentia, & libertate.

2 Eandem sententiam tradit q. 6. de malo art. vn. argum. *Sed contra* nostram ad eligendum libertatem in eo collocans, *vt voluntas hominis se habeat ad opposita, & non ex necessitate moueatur ad vnum, & sit Dominus sui actus: ita vt in ipso sit agere, & non agere.* Atque in 3. Ethic.

Ethic.c.3.lect.7.lit.I. Aristotelis sententiam, *quod consilium* (proprium rationalium, & liberorum agentium) *necessario sit de his, quæ in nostra sunt potestate approbat*: indeque constare ait *ea,quæ ex necessitate causæ fiunt non posse ad consilium pertinere.* Atque ex eodem textu Aristotelis q.24.de verit.art.1. *Sed contra* argum.4. *consilium non esse,nisi de actibus, qui sunt in nobis,& quorum sumus Domini.* Et cit.q.6.de malo à med.articuli,*esse inquisitionem viam habentem ad opposita: vi cuius se voluntas non ex necessitate, sed cum potestate eligendi alterum, vel non eligendi mouet.* Vnde 1.2. q.14. art.3. infert *consilium non esse circa res, quæ necessario fiunt, sed contingenter,& à nobis*, & q.44. art.3. ad 3. *non esse de impossibilibus*, de electione autem, quæ consilium, seu consultationem sequitur 1.2.q.13.art.3.4.5.& 6. docet non esse de *te nobis impossibili, aut quæ ex necessitate fit: quia quod possibile est non esse, non necesse est esse: est autem possibile non eligere, vel eligere: quia potest homo velle, & non velle agere, & non agere*: ergo ex sententia S.Th. necessitas, & determinatio ex parte causæ ad operandum, æque, atque operandi impossibilitas, quarum altera voluntati adest posita præfinitione prædeterminatiua, altera vero ea deficiente deficit, consilio, & electioni humanæ repugnat: quia repugnat potestati indifferenti, quam electio contingens supponit: Item 1.p.q.23. art.1. ad 1. ait. *Necessitatem agendi conuenire rebus naturalibus, quæ ad vnum sunt determinata; non liberis, quæ ad vnum determinata non sunt.* Et 1. cont. gent. c.88. proxime ad rationem 3. ait: *Liberum arbitrium esse respectu eorum, quæ non necessitate quis vult*; vult autem necessitate præfinita prædeterminatiue, ex qua doctrina cap.90. fine Damascenum 2.de fide c.30.aientem: *Deum omnia præscire; non autem omnia prædefinire, ac prædestinare: quia præscit quæ* in nobis *sunt* (liberas nostras operationes) *non prædefinit autem hæc: quia nec cogit ad malum, nec vim affert virtuti. Solumque prædefinire, quæ non sunt in nostra potestate.* Ita interpretatur; *vt intelligantur ea quæ sunt in nobis diuina determinationi non esse subiecta, quasi ab ea necessitatem accipientia*: Atque ibidem in eum sensum explicat Gregorium Nyssenum lib.7. Philosoph.c.1.& lib.8.c.4. dicentem: *quæ sunt in nobis non esse à Dei prouidentia*, scilicet ea prædefiniente, & determinationem, ac necessitatem ea agendi nobis inducente, atque imponente. Prima insuper p.q.22. art.2. ad 4. ex loco Eccles.15. Colligit *nobis non præfigi adeo virtutem operatiuam determinatam ad vnum; sed potius nos ipsos nos agere, mouere, & eligere*, & q.93. art.5.& 9. corp. Laudat Damascenum 2. de fide c.12. sub init. quod imaginem Dei in nobis in potestate indifferenti arbitrij nostri ad vtrumvis constituerit. Eundémque iterum, ac Bernardum eadem de causa laudat q.24. de verit. ad 2. argum. *Sed contra* probat huius imaginis rationem in eo stare, quod voluntatis nostræ potestas non sit determinata ad vnum: quemadmodum neque Dei potestas ad vnum determinata est. Quæ omnia quamvis necessitatem, & determinationem ad operandum (quam dubio procul prædeterminatiua præfinitio illi inducit) à voluntate nostra omnino reiectant.

3 Accedit 1.2.q.10. art.4.arg. sed contra & corp. ex eodem loco Eccl.15.dicens: *quia voluntas est principium actuum non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quod non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius.* Determinat autem ad vnum ex necessitate, & impediibiliter, cum illam mouet, & motus remanet necessarius, ac non contingens, si vnum extremum prædeterminatiue prædefinit, eandem ex eodem loco sententiam deducit 1.p.q.83. art.1.arg. *Sed contra*, & corp. vbi etiam determinationem ad vnum à potentia libera excludit Caiet. & 1.2.q.1. art.1. corp. *Homo est Dominus suorum actuum per rationem, & voluntatem. Illa ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*, quod ipsum repetit q.6. art.2. ad 2. docuit autem locis datis n.3. in his, quæ ex determinatione, & necessitate fiunt, nec consilium, nec deliberationem locum habere. Ac de vsu (qui proprius ratio-nalis, & liberi agentis est) 1.2.q.16. art.1. corp. & art.2. ait: importare, ac esse applicationem rei alicuius ad actionem: sicut consentire est applicare motum appetitiuum ad aliquid apprehendum. Cum autem applicatio motus appetitiui, seu voluntatis eius indifferentiam supponat, vsúque, qui consensus est, vt S.Thom. ait ad actionem applicetur: fit ante consensum ipsum voluntatem ad actionem applicatam, & determinatam ad illum non esse: quare nec prædeterminatiuam præfinitionem, ex qua ante consensum determinata, & applicata ad illum esset, admittendum in sententia Diui Thom. fore. Huc etiam spectat testimonium D.Thom. ex commentario eius ad 9. Ethicor. cap.5. lect.11. ne citatum q.2. cert.3. num.1. vbi ait, *in quibus operari est in nostra potestate, in eadem esse debere & non operari: & è conuerso: si non operari sit in nostra potestate itidem esse & operari: aliqui alterum esset nobis impossibile, quare, & alterum non esset ex nobis. sed ex necessitate.* Quibus omnem necessitatem, quæ ex nobis non sit, alterius extremi, impossibilitatem alterius inducere, quæ potestatem ad vtrumvis potentiæ liberæ necessariam, atque vt ex nobis operemur, euertant, atque eodem cert. num.2. in cap.1.Ioan.lect.6. aiebat: consensum liberum requiri ad iustificationem, in adultis etiam post Baptismum peragendam. *Vnde, quia in potestate hominis est, vt consentiat, & non consentiat dedit eis potestatem.* Quod ipsum de potestate conseruandi, & amittendi semel partam iustificationem statim docet. Atque in id 2.Petri 1. *Vos autem curam omnem sub inferentes ministrate in fide vestra virtutem.* Ita illud *subinferentes* commentatur: id est: *sub Deo principaliter, operante inferentes, & ei cooperantes in omnibus enim operibus principatis authoritas est gratiæ; secundaria liberi arbitrij.* His adde eiusdem Sancti Præceptoris commentarium in 3.cap. Dionysij de diuin. nomin. recitatum q.3.cert.1. n.2. vbi posita etiam Dei prouidentia,& prædestinatione nostram ad consentiendum,vel non consentiendum potestatem, cum qua negatio consensus, & salutis coniungi possit admittit. Item illud, quod ait comment. in 2.Physicor.textu 58.& 59.lect.10. *Quod ad proprie agendum dominium sui actus requiratur.* Quod & docet commentar. in 6. Ethicor. c.2. lect. 2. & sæpe alias supra, vt vidimus q.4. cert.1. num.3. vbi etiam retulimus eum hanc propositionem: *Debere esse per se mobilibus, seu agentibus liberis, per aliud mobilem necessitatem*: vbi etroneam refutasse comment. in cap.2. de diuin. nomin. Dionysij lect.4. deberet autem esse per se mobilibus, per aliud mobilis necessitas, si prædeterminatiua præfinitione opus haberent. Pluribus denique locis datis cit. cert.1. num.5. docet: agere proprie, & stricte solis agentibus liberis competere, quia cum dominio sui actus se agunt; eum cætera, quæ cum eo dominio non agunt, agantur proprius quam agant. Dominium autem actionis dicit ad vtrumvis potestatem, cui Physicum alterius ius, seu actiuitas obsit: quemadmodum dominium politicum, seu ciuile potestatem vtendi pro libito quin ius alterius ciuile obsit includit, vt supra expendebamus.

4 Item 3.p.q.79. art.6. ad 1. desumentibus Eucharistiam, & recipientibus eius virtute auxilia, quandoque efficacia, ad non peccandum ait: *quia omnis virtus actiua agit suum effectum secundum modum materiæ, seu recipientis. Homo autem statu viæ est huius conditionis quod liberum arbitrium eius potest flecti in bonum, & malum. Vnde licet hoc sacramentum, quantum est de se, habeat virtutem præseruatiuam à peccato; non tamen aufert homini possibilitatem peccandi.* Quod ipsum de quauis actiua virtute docet, ex qua generaliter asserta de auxiliis præseruatiuis hoc infert. 4. item contra gent. c. 70. fine obiicit ex 1. Ioan.3. *Omnis qui in eo manet non peccat, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Respondet *bona Spiritus sancti, quibus homo adoptatur in filium, vel renascitur in filium Dei, quantum est de se, tantum habent virtutem, quod hominem sine peccato conseruare possunt: neque homo peccare potest secundum ea viuens; Potest autem contra ea agere, & ab eis abscendendo peccare.* Et 1.part.quæst.62. art.3.ad 2. *Omnis forma inclinat suum subiectum secundum modum naturæ eius: modus autem naturalis intellectualis naturæ est, vt libere feratur in ea quæ vult: & ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non vti, & peccare.* Quod ex generali principio, quo vtitur æque contra omnem formam,& principium actiuum prædeterminans probat. Et 1.2.q.106. art.2. ad 2. *Gratia noui Testamenti, & si*

adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, vt homo peccare non possit, &c. gratia autem confirmans efficax est, & specialem Dei electionem supponit, q. 24. de verit. art. 1. ad 19. *Ex habitu infuso efficitur quod homo efficaciter appetat finem consonum illi habitui, & tamen ille habitus necessitatem non inducit, neque libertatem electionis tollit*, non autem efficaciter appetit, ni positis requisitis voluntatis, & gratiæ efficacis diuinæ. Et in c. 7. ad Rom. *id velle adiacet mihi*; Commentatur, *id est, propinquum est mihi, quasi sub mea potestate constitutum. Nihil enim tam est in hominis potestate constitutum, quam hominis voluntas*, notatque id esse ex reparatione gratiæ Dei

5. Sed legendus non postremo loco ad rem hanc est Angelicus Doctor 1. p. q. 116. in cuius art. 1. & 2. Christianum fatum explicat. Et art. 3. tertio loco sic arguit. [Si fatum est immobile ea, quæ subduntur fato immobiliter, & ex necessitate eueniunt: sed talia videntur esse maxime contingentia, quæ fato attribuuntur: ergo nihil erit contingens in rebus; sed omnia ex necessitate eueniunt.] In corpore autem hanc pro eius, & similium solutione doctrinam statuit. [Fatum secundum considerationem secundarum causarum mobile est; sed secundum quod subest diuinæ prouidentiæ immobilitatem sortitur: non quidem absolutæ necessitatis, sed conditionatæ: secundum quod dicimus hanc conditionalem esse veram: si Deus præscit futurum erit.] Et subiuncto in eius confirmationem Boëtij dicto 4. de consolat. prosa 4. circa med. *Fati seriem esse mobilem*: ait addidisse; *quæ tamen ab immobilis prouidentiæ proficiscatur exordijs ipsamque immutabilem esse necesse est: & per hoc patet responsio ad obiecta.* Qua doctrina ex Boëtio desumpta fati Christiani in Dei prouidentia, & prædestinatione, aut præscientia necessitatem, & immobilitatem cum futuri contingentis contingentia, vt à causis secundis est, & subinde cum ipsius fati immobilitate, non aliter componi posse docet, nisi eo modo, quo futuri præsciti contingentiam cum præscientiæ certitudine componebat d. 5. de scient. quæst. vlt. quia nimirum necessitas, & immobilitas ea *non absoluta, & natura præcedens; sed secundum quid, seu consequens* est, atque contingentis præsciti positionem sequens, ac proinde ab Anselmo, & Scholasticis nominatur: Quare ex S. Thomæ sententia prædeterminatiuæ præfinitionis necessitas, quæ antecedens, nec sequens, & supponens contingentis positionem est, conciliari cum eius contingentia, & libertate minime potest, quæst. 6. de malo toto art. vn. fuse probat voluntatem proposito indifferenter obiecto posse illud eligere, vel reiicere, agere & non agere absolute, absque vlla necessitate, aut determinatione ad alterum: atque à med. corporis: [Voluntas mouet seipsam, & omnes alias potentias. Intelligo enim, quia volo.] Inferiuscule.] Sic ergo ad ostendendum quod voluntas non ex necessitate mouetur oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto. Primo quidem manifestum est, quod voluntas mouetur à se ipsa; sicut enim mouet alias potentias, ita & se ipsam mouet, &c.] Et quamvis asserat Deum esse principium mouens per instinctum voluntatem ad primam volitionem, boni scilicet in communi, ait propter eius indifferentiam seruandam relinquere illi potestatem, vt eligat particularia bona, vel non eligat, & solut. ad 3. etiam posita Dei prouidentia certa, & prædestinatione circa particularia bona, relinqui tamen indifferentiam voluntatis omni determinatione, & necessitate solutam. *Deus*, inquit, *mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest* (scilicet consequenter: quia, vt sæpe superius dixit, vsum libertatis sub conditione eius, quo mouet, supponit) [sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diuersa non inducitur necessitas, Dei motione, sed manet libertas.] Et rursus quæst. eadem 6. [Oportet considerare motum voluntatis, & quantum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem actus, qui est ex obiecto, quantum ergo ad exercitium actus, primo quidem manifestum est, quod voluntas mouetur à se ipsa. [Subinfertius] Cum ergo voluntas se consilio moueat: Consilium autem est inquisitio quædam non demonstratiua, sed ad opposita viam habens: non ex necessitate se ipsam mouet] Et si quidem à se ipsa, necesse est, quod motus voluntatis præcedat consilium, & consilium actus voluntatis: & cum hoc in infinitum procedere non possit, necesse est ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis moueatur voluntas, non actu volentis, sed ab aliquo exteriori] (Deo) [qui cum omnia moueat secundum rationem mobilium, etiam voluntatem mouet secundum eius conditionem; vt non ex necessitate; sed vt indeterminate se habentem.] Vbi ter determinari à se ipsa voluntatem, ac non à primo motore Deo ad suos actus, & si ad consilium, seu primam cogitationem moueri ab ipso intentionaliter, quia mobilis intentionaliter illa est, ab eo doceat moueri, & q. 3. de malo. art. ad 5. dixerat. [Dicendum, quod voluntas, cum sit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis: nec oportet esse per aliquod agens extrinsecum.] Et q. 1. de potent. art. 4. ad 3. [Dicendum, quod, licet causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur.] q. 24. de malo art. 1. ad 5. negat voluntatem esse proprie instrumentum Dei, à quo mouetur, quia etiam se ipsam mouet: se, scilicet determinando, nec solum agendo, seu coagendo: id enim, & intellectus habet. Et vitales potentiæ, quæ immanenter operantur; quibus tamen proprie, vt instrumentis vtitur Deus. Et ad 14. fine. *Non oportet quod mentes humanæ sint determinatæ ad aliquos effectus: sed respectu multorum efficaciam habent ratione cuius conuenit eis libertas*, quam toto art. 1. & 2. ponit in indifferentia potentiæ ad vtrumvis absque vlla necessitate, & determinatione ad vnum; ita vt homo sibi principium, & causa sui motus sit.

6. Rursus q. 22. de verit. art. 5 docet voluntati, qua tali, & qua rationali, aduersandum circa particularia bona, ac non circa bonum in communi, repugnare necessitatem, & determinationem ad vnum; eiusque propriam vim esse suis actibus dominari, & se circa particularia bona determinare. Et ad 5. ait, [voluntas, in quantum est rationalis, ad opposita se habet. Hoc enim est considerare ipsam secundum hoc, quod est ei proprium.] Et fine articuli. [Hoc est proprium voluntatis, in quantum voluntas: quod sit domina suorum actuum.] Quam totam doctrinam repetit art. 6. cuius corpore ait. [Ex hoc dicitur aliquid esse necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad vnum.] Ac statim triplicem indeterminationem voluntatis, qua omni determinationi aduersetur, assignat: scilicet, vt velit, vel non velit; vt velit hoc, vel illud: vt velit bonum, vel malum, materialiter scilicet: quæ vltima solius viæ est. Et art. 9. ad 1. [*Voluntas potest seipsam immutare, respectu aliquorum directè: cum sit domina suorum actuum.* Et q. 2. de potent. art. 3. corporis init. *Voluntas, in quantum voluntas est, cum sit libera, ad vtrumlibet se habet. Potest enim agere, & non agere: sic vel sic facere: velle, vel non velle. Et, si respectu alicuius voluntas sit determinata; hoc non est in quantum voluntas; sed ex inclinatione naturali; quam habet ad aliquid; sicut ad finem vltimum, quem non potest non velle: sicut voluntas humana non potest non velle beatitudinem; neque potest velle miseriam.* Vbi pendenda sunt. Primum: voluntatis libertatem in potestate indifferenti, & indeterminata ad vtrumvis extremum, vel contrarietatis, vel contradictionis à S. Thom. collocari. Secundum: huic per eundem doctorem repugnare voluntatis determinationem ad vnum extremum. Tertium: respectu actionis, & affectus, ad quem vnice determinata voluntas est, non recenseri à S. Thom. voluntatem, vt voluntatem: hoc est, vt potentiam, & causam liberam; sed, vt causam, & potentiam naturalem: id enim docet expresse illis verbis. [Hoc non est in quantum voluntas, sed ex inclinatione naturali.] Quare, si præfinitione prædeterminatiua determinata, necessitateque ad agendum voluntas admittatur, nec indifferens, indeterminata, & soluta eius potestas ad agendum, & non agendum, neque vt voluntas formaliter, seu, vt libera, operabitur; & si physice secundum suam entitatem maneat, & operetur iuxta S. Thom. item quæst. 3. de potentia artic. 7. ad 13. ait: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ;*

prima: Sed, quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet sicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis; & q. 9. de potentia, art. 1. ad 3. *Sola*, inquit, *substantia rationales habent dominium sui actus: itaque in ipsis est agere, & non agere.* Quodlib. 1. art. 7. ad 2. *Deus mouet omnia secundum modum eorum: & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate; à natura vero rationali cum libertate: propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideo, sic Deus monet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Adiutante scilicet motione, atque in ea resistendi Deo mouenti, & motioni potestate naturæ rationalis libertatem in actu primo S. Thom. constituit.

7 Nec minus apertus pro nostra doctrina fuit S. Th. in summa etenim 1. part. quæst. 19. artic. 12. ad 3. dixit: *Creatura rationalis est domina sui actus; & ideo circa ipsam specialia quædam signa diuinæ voluntatis assignantur: inquantum creaturam rationalem Deus ordinat ad agendum per se.* Pende: *signa quædam* voluntatis in mediorum, quibus ordinatur collatione, quibus se velle finem, quatenus ex se est ostendit, & significat, non autem absoluta, & efficaci, & ineluctabili nobis voluntate, seu prædeterminatiua præfinitione effectus, seu finis. Talis enim voluntas Dei illam ordinans, mediaque, per quæ eam ordinat esse debent, vt ad agendum per se, & à se, vtpote sui actus dominam, ac non ex determinatione, & voluntate sola alterius, operetur. Id quod subiuncta immediate aduersatiua hac magis explicuit. *Sed alia creatura non agunt, nisi mota ex operatione diuina, ac proinde non à se, & per se.* Et art. 10. corp. *Liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu.* Ergo respectu eorum, quæ necessario volumus arbitrium liberum non admittit, & si necessitas ex naturali instinctu voluntatis non sit, sed aliunde. Et ad 2. probat liberum arbitrium in Deo, & si nequeat velle culpam: *quia ad opposita se habet inquantum velle potest hoc, quod culpa non sit, esse, vel non esse. Sicut, & nos, non peccando possumus velle sedere, & non sedere.* Quod ipsum docuit 1. contra gent. c. 88. & q. 24. de verit. art. 3. maxime fine. Deinde eadem 1. p. q. 59. art. 3. ad 2. ait voluntatem Angeli, quia liberam, non esse determinatam ad vnum, & si eius intellectus determinatus sit ad omnem naturalem veritatem. Vbi etiam Caiet. & q. 82. art. 1. ad 3. *sumens domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc, vel illud eligere.* Et toto art. 2. probat voluntatem particularia bona nullatenus ex necessitate velle q. 83. art. 4. arg. 4. cum eius solutione asserit nostras electiones potestati, & dominio nostro esse subiectas q. 109. art. 4. corp. explicans, quomodo Deus, tanquam efficiens creans voluntatem creatam, illa moueat, ait: *Velle nihil aliud est, quam inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale. Inclinare autem in bonum vniuersale est primi mouentis, cui proportionatur vltimus finis*: sicut *in vestra humanis dirigere ad bonum commune est eius, qui præest multitudini.* Et nihilominus ad 2. & 3. fatetur voluntatem ex se, & à se ipsa moueri ad particularia bona. Existimo autem motionem illam generalem voluntatis à Deo ad bonum in communi esse solum ipsam voluntatem naturaliter ad illud inclinantem de se se, ac proinde, qui illam creat Deus, illam ad illum creationis ipsa determinat, & mouet actiue: ex qua determinata est, in actu primo quoad specificationem ad bonum amandum, ita, vt malum amare nequeat. Sed si quando volitura sit ad amandum hoc, vel illud bonum, & contradictorie, & contrarie indifferens sit, ac non determinata. Illudque solum probat exemplum eius, qui præest multitudini, vt de se se patet.

8 Insuper 1. 2. quæst. 1. art. 2. corp. [Ad hoc, quod agens determinatum effectum producat, necesse est, quod determinetur ad aliquid certum, quod habeat rationem finis. Hæc autem determinatio, sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas: ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis. Tamen considerandum est, quod aliquid sua actione, vel motu ostendit in finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem mouens vt homo, &c.] Et subinferius. [Illa ergo, quæ rationem habent, se ipsa mouent in finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium] quæst. 9. art. 3. arg. *Sed contra*, & corp. & ad 1. ait, è finis volitione mouere se voluntatem ad volenda media. Et art. 4. indigere motione exterioris mouentis ad primam finis volitionem, ad sequentes vero se ipsam mouere: alias non esse liberam, quibus consonat quæst. 16. art. 1. & 2. de vsu agens. Et quæst. eadem 9. art. 6. fine: [Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum, non ergo motione illa generali determinatur ad volendum, quod vere bonum, aut apparens, id est honestum, vel turpe; alioqui ad ea in particulari volenda non se homo determinaret.] Subdit. [Interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum: sicut in his, quos mouet per gratiam, vt infra dicetur.] Scilicet quæst. 109. Ex quibus constat motionem gratiæ ad vere bonum volendum non esse generalem illam Dei, vt causæ primæ, sed specialem, & quæ detur ad volendum apparens bonum, seu turpe. Item motionem hanc specialem ad bonum non esse determinando voluntatem ad illud volendum, licet sit motio ad illud determinate volendum, scilicet illud determinate, ac non aliud apparens bonum, vt integrum voluntati relinquat se ad illud etiam volendum determinare quæst. autem illa 109. (quo se pro hac speciali motione Dei ad bonum remittit) art. 2. ad 1. docet, iuxta dicta quæst. 9. art. 4. Dei motione speciali opus esse, vt homo deliberare incipiat; deinceps illum suorum actuum Dominum esse propter deliberationem rationis, qua ad vtrumvis flectere se potest. Et art. 7. docet Deum titulo primi mouentis mouere ad bonum in communi, vt sæpe ex ipso retulimus; ad particulare vero bonum, scilicet Deum mouere nos, non eo titulo, sed specialis causæ, ad illum nos per gratiam specialiter mouendo: quod exemplo motionis militum, & à generali duce, & à tribunis illustrat. Item quæst. 10. art. 4. corp. [Quia voluntas est principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter ex se habens ad multa; sic Deus eam mouet, quod non ex necessitate ad vnum se determinat; sed manet eius motus contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.] quæst. 15. art. 2. corp. [Consensus importat applicationem appetitiui motus ad aliquid agendum. Eius autem est applicare appetitiuum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitiuus motus.] vnde infert. *Propriè dicitur consentire sola rationalis natura, quæ habet in potestate sua appetitiuum motum, & potest ipsum applicare ad hoc, vel ad illud.* q. 16. art. 1. corpor. voluntatem vocat *primum mouens* applicans omnes potentias ad operationem q. 17. ar. 5. argum. *Sed contra*. Et corpor. dicit: Reliquos à primo actus voluntatis in eius potestate, ac sub eius imperio esse, atque ad 3. solum primum illius actum esse è naturæ instinctu, aut causa superiore q. 19. art. 8. corp. *Interiores actus esse in potestate nostra.* q. 21. art. 2. corp. ideo eos imputari ad laudem, vel culpam, quia ita in nostra potestate sunt, vt illorum habeamus dominium. Eidem doctrinæ insistit 2. 2. siquidem q. 90. art. 1. corp. docet hominem suorum actuum dominum esse. q. 158. art. 2. ad 3. motus rationis iudicium non prouenientes in eius potestate, & dominio esse; subitos vero illud præuenientes quodammodo solum esse in eius potestate. Quæ docuerat 1. 2. q. 74. art. 10. corp.

9 Ab his vero, relatum quidem, diserepat vnquem in sententiariis. Nam in 2. d. 25. q. vnic. art. 1. corp. ait, *Sic ergo patet, quod hæc differentia est in agentibus: quia quædam determinant sibi finem, & actum in finem illum; quædam vero non.* Postmodum, *Iudicium de actione propria solum modo est in habentibus intellectum: quasi in potestate eorum constitutum sit eligere hanc actionem, vel illam: vnde, & dominium sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam causis prioribus*: ergo tantum abest, vt ex primatu causæ primæ nostrarum actionum antecedens determinatio, seu

seu prædeterminatio, competat Deo, vti arguunt Thomistæ, vt inde, vel maxime, quod prior, seu prima causa sit, salua arbitrij libertate eas prædeterminare nequeat, in S.Thomæ sententia. Et ad 3. *in libero arbitrio hoc modo agit Deus, vt virtutem ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituitur. Vnde remanet sibi dominium sui actus; licet non ita, sicut agenti.* Quia hoc impletæ potestatis suæ constitutione à nullius libera dispositione pendet, & art.5. ac reliquis eius distinctionis voluntatis nostræ dominium à coactione, & necessitate liberum statuit: consone ad ea, quæ scripserat d.22.art.2. ad 1.& d.2. art.1. corp. & quæ postea scripsit d.35.art.4. corp. ac sæpius lib. item 1.cont.gent.c.81. docet libertatem creatam stare in indifferenti, & in determinata potestate ad vtrumvis absque vlla necessitate inclinante ad vnum obiectum ex his, quæ tali subjacent potestati c.88. *Liberum arbitrium dicitur respectu eorum, quæ non necessitate quis vult, sed propria sponte. Vnde in nobis liberum arbitrium est respectu eius, quod volumus currere, & ambulare.* 3. contra gent. c.73. ratione 1.ait. *Alia agentia secundum suam naturam esse determinata ad vnum, sed voluntatis virtutem non esse limitatam ad vnum, sed habere in potestate pro ducere hunc effectum, vel illum: propter quod est contingens ad vtrumlibet.* Inde concludit ad Dei prouidentiam spectare eam indifferentiam tueri c.111. ait, *quod dominium sui actus habet, liberum est in agendo, liber enim est, qui sui causa est, quod autem quadam necessitate ab alio agitur ad operandum seruituti subiectum est. Omnis autem alia creatura naturaliter subiecta est; sola vero natura intellectualis libera est.* Vtique, quia nec seruituti, & necessitati à Deo iniunctæ subiecta in agendo est; cui sola non intellectu alia agentia, quo ad necessitatem operandi, subiecta naturaliter sunt. Adde hæc ex dist.39.q.1.art.1.corp. [Sed sciendum: quod aliquis actus est ab aliquo dupliciter vno modo, tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum. Et hoc proprie in potestate agentis esse dicitur; vt est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis quantum in se, est ad plura; sed, quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Sed tamen in naturalibus actus progreditur ab agente; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed abeo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Ita editione Romana anno 1570. fol.127.p.2.

9 Iam vero, quæ pro determinatiuus præfinitionibus ex Angelico Præceptore aduersarij obiiciunt, nullius sunt ponderis. Quod enim ex comment. in c.5.de diuin.nom. (vbi de rerum rationibus in Deo existentibus agitur) lect.3.ait: *Huiusmodi rationes sacra scriptura vocat præfinitiones, seu prædeterminationes.* Subinferius. *Quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctiua entium, & effectiua, &c.* In primis nomen *prædeterminationes* non inuenitur in correctioribus S.Thom. codicibus, aut Dionysij. Secundo vterque ibi agit de idæis, siue exemplaribus creaturarum non solum secundum rationem communis entis, sed secundum speciales cuiusque rationes, iuxta quæ, creata, indiuiduatim etiam, voluntate sua producit: quare extra rem ibi de præfinitionibus prædeterminatiuis ageretur in sensu, quo hic de eis agimus; sed vocat præfinitiones, & determinationes exemplaria illa, quæ in esse Dei supersubstantiali sunt, & quibus naturæ priori, effectus omnis delineatus suis metis terminis, ac definitionibus idæaliter est: quæque sequitur Dei voluntas, dum eas exequitur adamussim. Vnde illa verba *prædeterminationes, seu voluntates*, synonyma non sunt: Nam prædeterminationes defert idæas, seu exemplaria rerum, voluntates verò principia earum effectiua: quarum prima, esse rerum exemplariter, secunda effectiue, & executiue earum distinctiua ait. Quod constat ex loco scripturæ, quo probat voluntates Dei esse principia rerum distinctiua effectiue. Etenim ille ad Roman. 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit.* Neque enim prædestinationem esse efficacem effectus voluntatem Dei S.Thom. admisit vnquam, seu præfinitionem, aut prædeterminationem, quæ ad Dei voluntatem pertineat. Ex quo patet etiam interpretatio clara, & genuina plurium locorum, quæ ex S.Thom. attipiunt ex quodlib.12. q.1.art.4. omnia etiam contingentia facto immobili quidem catholice intellecto subiacere: scilicet prouidentiæ, & præscientiæ & 1.p q.25.art.5.ad 1. nihil fieri absque Dei præscientia, & præordinatione. Atque ideo q.116.art.1.corp. omnia etiam contingentia reduci in causam præordinantem, scilicet prouidentiam diuinam. Hæc tamen omnia nihil probant: quia opotteret ostendere etiam S.Thom. prædestinationem, & prouidentiam in præfinitione, & efficaci voluntate effectus constituisse, quod nusquam apparet, insuper eam præfinitionem scientia media effectus non inniti cuius nullum est in S.Thom. vestigium. Imo vero, cum Sancti Thom. fatum ethnicum (quod in Dei voluntate efficaci independenter ab vsu nostræ libertatis posita, & tamen cum effectu ineuitabiliter connexa statuebatur) cum Patribus omnibus, tanquam liberi arbitrij euersiuum execretur, nequit præuidentiam, & prædestinationem in simili Dei voluntate constituere.

10. Dices ex 1.p.q.23.art.1. ad 1.q.5. de verit. art.5. ad 1.3.cont.gent.c.90.fine, & 1.2.q.10.art.4.corp. *Deum sic voluntatem mouere, quod non ex necessitate ad vnum determinet*: ergo determinatio voluntatis ad vnum potest esse non ex necessitate, seu cum necessitate operandi, quo ruit nostrum totum fundamentum, vel superflue additur illud ex necessitate, si determinatio eius ad operandum, & non ex necessitate esse non potest. Nego consequentiam quoad vtrumque; & postremam partem: quia quæ magis rem explicant non sunt superflua. Cum autem libertas voluntatis stet in indifferenti, & indeterminata potestate cui opponitur determinatio ad vnum, indeque contingentia operandi, cui opponitur necessitas operandi, vtriusque negatione, omnibus modis, & terminis seruari à Deo mouente voluntatis libertatem explicatur. Instas ex 1.p. q.19. art.3. ad 5.cum obiecisset. *Ab eo, quod est ad vtrumvis non sequi determinatam actionem, nisi ab alio inclinetur ad vnum*, iuxta commentatorem 2.Physicor. ergo Deus, si liber ad aliqua sit, causam determinantem priorem habebit. Negat autem antecedens, in Deo: quia eius voluntas ex se necessitatem habet ad vnum, scilicet ad seipsum: vnde ad volita reliqua potest se determinare, ad quæ habitudinem, licet non necessariam, habet. Creata vero ex se contingentia, & libera determinari ab alio ad effectum debere. Hic locus bene penetratus peculiarem nostrum modum constituendi decreta libera Dei exprimit, solumque, ad rem præsentem, probat causam, seu voluntatem creatam omnino contingentem de sese, debere supponere causam priorem quæ determinetur, vel ad primam volitionem, seu ad amorem boni in communi, vel ad motum primo primum, vt superius dixisse S.Thom. cum de hac re ex instituto disputabat, ostendimus, & patet ex q.24.de verit.art.14. ex quo nobis apponitur etiam, cum pro nobis & contra obiectans sit, vt ex fide articuli patet, id quod in Deo, qui ad primum sui, imo ob sui infinitatem omnium amorem, quo ad substantiam, & modum determinatus est, locum non habet. Et quidem determinationem voluntatis ad opus adeo hic non intelligit S.Thom. determinationem connexionis sed inuitationis intentionalis per obiecti propositionem, quam determinate obiecti huius in sua potestate voluntas non habet, sed ex Dei dispositione, & prouidentia, vel naturali, vel supernaturali, saltem quoad modum, si obiectum honestum, & bonum moraliter sit: atque ea propter liberi nostri, & honesti actus in Deum, tanquam in causam, etiam præcipuam, reducuntur à S.Thom. sæpe & præcipue in 2. d.37. quæst.1.art.1.ad 5. vbi cum dominio, & electione nostra circa actus nostros obinde componit non solum posse, sed & agere à Deo nobis donari. Sic etiam explicandum est, quod S.Thom.1.p.q.105.art.4.& 5.q.83.art.1. ad 3.& 3. cont.gent.c.67.rat.4.c.68.rat.5. & cap.10.ac de pot. q.3.art.7. corp.& ad argum. & sæpe alias ait: quod scilicet moueat causa prima causas secundas, etiam liberas. Ita enim eas mouere specialiter ait intentionali motione per cogitationum allicientium immissionem, & excitationem, siue ex motuum subitorum delectatione, siue aliunde habitam; generali vero motione, & concursu causæ primæ comitanter natura & causalitate, licet priori prædicatum entis concursui causæ primæ, & vniuersalis maioris vniuersalitatis prioritate: quia in eius sententia agentis formaliter respondet. Neutra tamé motione determinatur, tanquá per causas particulares à determinatione causarú secundarú liberarú, vt constat ex eis locis præsertim cit.q.68.&q.83. quod auté q.82. antecedéti ait a.1. ad 1 necessita

[Necessitatem naturalem non auferre libertatem ;] Ad alia, ad quæ necessitas non est, intelligitur. Scilicet necessitatem naturalem voluntatis ad bonum, seu beatitudinem in communi, non auferre libertatem eius ad bona particularia, vt patet ex eo art. & seq. & sequenti etiam quæst. 88.

11. Denique opponis ex 1. p. q. 105. art. 5. post med. corp. [Deus mouet res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem : sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum.] Ergo, sicut mouetur securis, & applicatur ab artifice per impressionem impulsus physici præuij ad scindendum, ita res omnes, etiam liberè, mouentur, & applicantur à Deo ad operandum, intentiuè per Thomisticam præfinitionem, executiuè per qualitatem impellentem, & prædeterminantem ad operandum. Confirmatur ex q. 3. de potent. art. 7. vbi hanc similitudinem explicatius S. Thom. tradit : [Id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis ;] & statim ferè. [Vnde sicut instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur, absque motu artis : ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione diuina.] Respondetur negando ex his locis colligi præuiam physicam motionem, & prædeterminationem. Primo enim loco applicationis nomine non impulsus ab artifice impressus ferræ, aut securi secundum se sumptus essent sic enim non applicatio virtutis, sed virtus ipsa physica applicita est. Applicatio vero est motus ipse, & actio scissiua, seu scindens ferræ, nec secundum se solũ sumpta, sed provt ab arte procedit accommode ad formam artis, & artificiati, iuxta S. Th. 1. p. q. 45. art. 5. corp. 3. p. q. 19. art. 1. corp. & ad 2. & art. 2. q. 62. art. 1. ad secundum de potest. med. corporis. Ita vt motus, & actio illa vt ab impulsu, & forma instrumenti physice est, sit naturalis, vt ab arte, eiusque directione artificialis sit, vt bene explicuit Cajet. 3. p. q. 13. art. 2. §. *Ad euidentiam.* Ad eum igitur modum ait S. Th. moueri, seu applicari ad operandum causas secundas etiam liberas à prima : non quidem qualitate physica prædeterminante, aut prædeterminatiuo decreto (quæ vel applicanda, aut applicita virtus est, vel applicans Deus, non autem formalis ipsa applicatio) sed motu, & concursu simultaneo, imo idemificato cum concursu causæ secundæ, quatenus à Deo concursus ille est. Idcireo testimonio 2. ait, [Quod fit à Deo in re naturali, quo actualiter agat,] Id autem quo res actualiter agit actio procul dubio est. Ac fine ait, id ita necesse esse, nec absque operatione Dei causa secunda operetur,] sicut nec instrumentum operatur absque motu artis. De ea vero operatione, vt à Deo est pergit : *est intentio sola extrinseca denominatio ab arte diuini intellectus, & voluntatis, quibus ad suum effectum ordinatur, & ex quibus res naturales Dei instrumenta dicuntur* : quatenus enim denominatio hæc rei inhærens cogitatur, quid rationis est, quod solum intentionis nomine significatur apud S. Th. hic iuxta eius generalem regulam in 1. d. 33. q. 1, art. 1. ad 2. & communem omnium scholasticorum, qui intentionem non nisi ad potentias cognoscitiuas, & volitiuas referunt. Id autem quod intentio sola est, non physica qualitas est. Confirmatur, quia post verba postrema ait. *Securi dari non potuit, quodvis artiu esset in ea vniuersim, quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum* : sine quo permanens esse nequit : quare solum transeunter & per extrinsecam denominationem ars in securi esse potest : ac subinde in causis secundis motio primæ ex eius prouidentia arte, & directione suprema eo solummodo esse potest iuxta S. Thom. subdit, *habens esse quoddam* in *artis in instrumento artificis.* Vocatur autem ens incompletum, quia ens rationis, seu intentio ens incompletum, & diminutum est apud S. Thom. in 4 d. 1. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. & 4. vbi motionem instrumentorum gratiæ appellat *intentionem, ens diminutum, non completum, sed incompletum.* Tum etiam : quia motus, & operatio illa simultanea non est quid completum, & permanens, sed via & fluxus ab agente in terminum, quare & ens fluens, & incompletum iuxta S. Th. 3. p. quæst. 62. art. 4. fine corpor. & ad 1. & q. 27. de verit. art. 4. ad 4. Caietan. citato §. *Ad euidentiam,* quod vero ait, *esse per modum quo colores sunt in aëre* intermedio inter coloratum, & visum, totum hoc confirmat. Colores enim obiecti secundum suum esse physicum in aëre non sunt, sed secundum esse intentionale suarum specierum, & repræsentationum impressarum, quæ in aëre sunt, & quibus obiectum præsens, tanquam instrumentis, vtitur ad sui visionem. Et si autem motione hac simultanea entitatiuè, imò idemtica cum operatione causæ liberæ, vti Deum ait, tanquam instrumento, non stricte quidem & propriè loquitur, sicut reliquis agentibus naturalibus, sed laxe, & communiori quadam instrumenti ratione : vt patet ex 3. cont. gent. cap. 112. sub init. & q. 24. de verit. art. 1. ad 5. Ex quibus omnibus liquet sensus S. Thomæ 1. p. quæst. 105. artic. 5. corpor. post med. aientis : *primum agens mouet, secundum ad agendum : & secundum hoc omnia aguntur in virtute Dei.* Etenim inde colligi potest solummodo concursus Dei simultaneus exemplo motus instrumenti ab arte, & artifice, quod statim subdit, & hactenus explicuimus ; quin reale quidpiam superaddatur præter extrinsecam denominationem, seu intentionem, aut ens rationis. Quinimo physicæ prædeterminationis, aut præfinitionis necessitas, vt causæ secundæ liberæ operentur apertè eo articulo excluditur à S. Th. ait enim ibi : *Deus immutat voluntatem dupliciter. Vno modo, quando voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc, quod formam aliquam imprimat voluntati.* Non ergo necesse est Deum imprimere aliquam physicam formam, aut qualitatem, vt moueat voluntatem : Secundo. Quia, cum ibi recenset ea, quibus aliter mouet aliquid imprimendo solum numerat gratiam, habitus virtutum ; lumen gloriæ, & visionis Dei claritatem ; nusquam autem physicam qualitatem prædeterminantem, ac fine corporis deformis hisce à Deo impressis ad voluntatem mouendam ait. *Aliquando autem forma superaddita non est vsque quaque perfecta sicut est in viatoribus ; & tunc ex forma superaddita inclinatur voluntas, sed non ex necessitate.* Ergo non est vlla in via forma immissa, & impressa nobis à Deo, cui necessario consentiamus, & cui, etiam adstanti, non possimus resistere, iuxta S. Thom. Alia ex S. Thom. opposuimus d. 6. de scient. q. 1. & disp. 5. q. vlt.

CERTAMEN III.

Contra prædeterminatiuas præfinitiones sanctum Thomam instare ex aliorum, & eius discipulorum insigniorum iudicio ostenditur.

1. REs hæc è nostrorum Doctorum iudicio, & si erudita, & multa in S. Th. lucubratione, & testimoniorum eius allegatione, & collatione fundato agenda hic non est, sed aliorum, quibus nullum partium, aliudve, quam veritatis studium opponi ab aduersariis possit. Et in primis suspiciendum ob accuratam eruditionem, exactissimamque mentis hac in re S. Thom indagationem est iudicium R. P. Petri à S. Ioseph. o Cisterciensis è Fulensi congregatione, erudito tract. inscripto [Defensio S. Th. Aquinatis aduersus recentiores quosdam Theologos, qui prædeterminationem physicam ad actus liberos illi falso affingunt] è cuius disp. 1. sect. 8 n. 4. ea sunt verba. [Scientiam mediam esse ad mentem S. Doctoris dubitari non posse,] & similia d. 2. sect. 10 n. 1. & d. 4. concordiæ suauis sect. 3. & 4. Alphonsus Mendoza q. 7. scholastica n. 13. concl. 5. in his prædeterminatiuis de creatis humanarum actionũ ab earum præuisione independentibus. *Thomistas Scoto potius aduersario suo, quã proprio agonotheta & D. Th. adhærere,* ait, Lorca 1. 2. art. 2. d. 20. n. 1. §. *Et quidẽ* (de Thomistis hac in re scribit) *lõgè esse à mẽte Angelici Doctoris* ; idque testari grauissimos *Thomistas Caietanũ, & Conadũ.* Et q. 21. concl. 2. nostræ de efficia auxilij sententiæ subscribit, at q. 1. in 3. p. q. 1. art. 3. d. 10. n. 2 n. 26 diligerer expẽsis S. Th. verbis ad 4. de præsuppositione præscientiæ, vtique conditionatæ, ad prædestinationem ait. [Ex quibus S. Th. verbis

verbis constat præscientiam illam, quam dicit supponi ad prædestinationem non esse scientiam simplicis intelligentiæ, nec scientiam visionis, sed scientiam, quam vocant mediam; quæ ex hoc loco S. Thom. manifeste adstruitur; quo singulatim probato concludit: [Loquitur ergo de scientia conditionata, quæ est prior omni decreto productionis, & media inter scientiam possibilium, & scientiam eorum, quæ absolute futura sunt, &c.] Franc. Dicalleuius Episc. S. Angeli de scient. conditionata c. 5. tit. quarta probatio, nostram sententiam ex S. Thom. esse studiosè probat. Et fine ait. [Hanc autem scientiam, vt patet ex locis datis non refert S. Thom. in decretum aliquod diuinum.] Quæ etsi de aliena à S. Thom. scientia media, & futuris conditionatis ante, atque independenter ab actuali Dei decreto sint: Cum id adeo sit connexum cum existentia contingentium absolutorum, independenter à decreto Dei efficaci prædeterminatiuo in sententia Thomistarum, quos impugnamus, nequeunt non hæc loca suis prædeterminatiuis præfinitionibus aduersari. Secundo: quia omnium opinione scientia media excludit, adhuc ex parte hypothesis, & conditionis, principium sui quodvis connexum essentialiter cum ipso, siue illud physica prædeterminatio, siue prædeterminatiua præfinitio, siue quid aliud sit.

2. Nec minoris eruditionis operam in S. Thoma contra prædeterminatiuas præfinitiones demonstrando locauit Gabr. Pennotus Canonicus Regular. Augustin. lib. 3. propugnaculi humanæ libert. c. 29. n. 1. vbi ait. [Testimonium S. Thom. maximum est, & maximum esse debet ad eandem secundam propositionem (de scientia media) suadendam, cuius, vt omittam loca ab aliis Doctoribus citata, duplex est locus in hac re, mihi quidem, satis euidens, & rem concludens.] Et lib. 8. c. 24. num. 6. [Quod vero hoc sit etiam contra mentem Diui Thom. præter loca adducta, &, præter quod nullum est testimonium in contrarium, hoc ostenditur: quia omnes antiquiores D. Thom. interpretes ita D. Thom. interpretantur, vt cum illo negent hanc præuiam voluntatis motionem.] Magist. Franc. Cornejo Augustinianus Primar. Salmant. Theologiæ Professor lectura de scient. Dei d. 5. dub. 3. re ex S. Th. testimoniis ostensa subiungit: [Interim dixisse sufficiat: [Sæpè Thomistas ex multo minus aptis verbis affirmasse aliam difficiliorem sententiam esse S. Thom.] Atque præsentiæ futurorum in æternitate ex æternitate exemplum adhibet. Mag. Martin. Albiz Augustinian. Primarius etiam Complutens. p. 1. tract. 1. de scient. d. 7. sect. 1. §. *S. Thomæ* ex huius testimonio 3. p. q. 1. art. 5. vbi Augustinum citat. concludit. [Fuit ergo S. Augustinus, & S. Th. in hac sententia] Illustrissimus Ferdinand. Mascarenas d. 2. de auxil. p. 7. n. 3. testimoniorum S. Thom. quæ pro nobis sunt, [alienissimas esse interpretationes mentis S. Doctoris à Dominicanis recentioribus datas testatur. Fr. Angelus à Monte Pilosо t. 2. p. 1. commentat. in Scotum d. 47. art. 3. n. 11. scribit hac in re Thomistas [voluntariè detorquere S. Thomam.] Thomas Vvalden. 1. doctrinalis fidei c. 28. [Impostura esse, docet, si Beato Doctori eiusmodi adscribatur opinio] de prædeterminationibus, seu præfinitionibus humanarum actionum. Doctor Ioannes Garcia Coronel, Primarius Theologiæ Vallisoletanus Professor epistola recitata q. 5. cert. 2. n. 9. circa finem illis verbis quam (scilicet Molinæ in re præsenti sententiam) esse Beatorum Augustini, & Thomæ pro indubitato habeo.] Doctor Ioan. de Roadauila de prouid. & prædest. lib. 2. sect. 7. n. 56. præfinitiones Thomisticas sanctis Augustino, & Thoma repugnare ostendit, & sect. 10. n. 62. ait eas esse scripturæ, & Patribus repugnantes; atque plerumque ab his, qui eos non legunt assertas; [D. vero Thomas, & S. Augustinus id non tenuerunt.

3. His adnumerandi sunt ex Dominicanorum familia solum, viri doctissimi inferius memorandi, qui contra prædeterminationes, & præfinitiones subinde prædeterminatiuas scripserunt, nec vsquam in re adeo graui, à suæ scholæ Præceptore; Maximè vbi contra suæ scholæ, & Religionis alumnos res ab exteris agebatur desiderent. Sed illi in primis, qui horum recentium Thomistarum sententiæ S. Thomam aduersum omnino esse testantur. Ij enim omnes vel tacitè, & virtualiter, vel expressè, & formaliter pro nobis esse S. Thomam & censent, & testantur: euincuntque nostram sententiam è vera Thomistica schola esse potius, quam opinionem aduersam. E postremis recitandus 1. loco est Magister Ioan. Gonzalez Albelda vnus è Dominicanis disputatoribus Romæ contra scientiam mediam, & auxilia ab extrinseco solum consentu nostro efficacia. Teste Aluarez 7. responsionum. Postea vero Primarius sui Ordinis in Academia Complutensi Antecessor t. in 1. p. cuso d. 58. sect. 2. n. 1. ait. [Primo dico contra primam sententiam Thomistarum recentium. Non oportet, quod gratia præueniens intrinsece inhærens, quæ in vno est efficax sit etiam efficax in alio maiori tentatione tentato: ac proinde non est verum dicere, quod gratia præueniens intrinsece inhærens, quæ aliquando est efficax, debeat esse efficax semper, & in quocumque supposito qualitercumque tentato. Eoque ex scriptura, Tridentino, & nostrorum rationibus probato subdit: [Quinto demum probatur conclusio. Nam Diuus Augustinus, & Diuus etiam Thomas explicant gratiæ præuenientis efficaciam per contemperamentum, & congruentiam eius cum subiecto, in quo recipitur, vt videlicet eo modo, quis vocetur à Deo, vt impedimenta, & tentationes insurgentes temperentur ab spiritu sancto iuxta modum, & quantitatem internæ inspirationis, quam nouerat se dedisse ei, qui vocatur.] Etsi autem decretum Dei efficax ad nostras actiones admittat d. 57. ait prædeterminatiuum esse non admittit, quare nec Thomisticum imo nec aliud, quam post exploratam congruentiam vocationis cum vocato, & circumstantiis conceptum absque aperta inconsequentia admittere potest; maximè cum præfinitionem Dei ad materiale peccati eisdem, quibus nos præfinitiones vniuersim reiicimus, fundamentis reiciat disp. 59 sect. 2. n. 13. concl. 3. atque S. Thom. 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. eiusque germanis discipulis aduersas testetur. Cuius ideo hac in re sententiam improbabilem, & implicatoriam docet Magist. eiusdem ordinis Greg. Martinez 1. 2. t. 2. q. 79. art. 1. dub. 3. concluſ. 3. & merito, si præfinitiones prædeterminatiuas, atque à scientia congruentiæ vocationis circa actiones nostras honestas independentes admisisset; siquidem eisdem rationibus præfinitiones malarum actionum, atque bonarum, vel admittendæ sunt, vel ablegandæ, vt de malarum præfinitionibus agentes inferius videbimus d. 2. quin & Magist. Lemos, alter, scilicet physicarum prædeterminationum Dominicanus Romæ propugnator, eas nihilominus contra S. Thomam esse publicè ibi docuisse fertur: idque contra reclamantes Thomistas defensurum se ait Caramuel Theolog. fundam. pag. 18. nota 1.

4. Caietanus vbique tanquam S. Thom. sententiam tuetur causas secundas, præsertim liberas, determinare vltimo causam primam, non autem ab ea determinari ad suas liberas actiones 1. p. q. 14. art. 13. post med. comment. [§. Neque sustinendus est Scotus, ait. Motio causæ prioris modificatur à causa secunda secundum modum ipsius causæ secundæ; & sic, licet à prima causa moueatur necessario secunda; recepta tamen motio in secunda, si secunda causa imaginetur contingens, modificatur contingentia contingentis. Et quoniam prius natura modificatur, quam impellat ad mouendum motio illa iam modificata ad causam contingentem mouebit secundam ad mouendum, non necessario, sed contingenter.] Ac stantim illud Scoti [causa, quæ mouet in quantum mota, & necessario mouetur, necessario mouet ait: *Li* mota ab alia distinguitur alia distinctione: scilicet aut motione præuia propriæ actioni, sicut à qua calefacit calefacta ab igne; aut motione cooperante ad propriam actionem. Primo modo dato, quod esset vera aut sustentabilis; secundo tamen modo sustineri non potest dicta propositio: quoniam causa cooperans intrinsece cooperatur; talis est autem cooperatio primæ causæ.] Subdit effectum contingentem non attingi prius natura à causa prima, quam à secunda: & si prima illa sit, quia independentius, & immediatius immediatione virtutis, quam secunda, ad illum concurrit. Repetit totam doctrinam quæst. 19. art. 8. [§. Secundo distinguendo] col. vlt. quæ, cum præuiam physicam motionem suam, ac prædeterminatiuam præfinitionem euertere Bannez videret, non sine stomacho, & impugnatione retulit ibi [§. Sed antequam nostram. Cum autem Ledesma de auxil. art. 3. [§. Secunda sententia] legeret Caietanum, & art. 8. [§. Primo distinguendo.] Ita S. Th. ibi explicantem, [Non enim oportet

cum

cum aliquis vult aliquid, seu, cum Sol illuminat, primam causam præuia motione, cooperari, sed sufficit, & exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi: & hoc, quia cooperatio in vnoquoque est secundum naturam vniuscuiusque: sic enim disponit omnia suauiter.] Caietanum valde insinuare Molinæ opinionem, vel inuitus faretur. Sed apertius adhuc est Caietani testimonium primum ob prioritatem naturæ qua modificari, seu determinari à causa contingente secunda motionem primæ, vt actu moueat, & cooperetur ibi ab eo concessam. Neque enim determinari à causa contingenti prius natura concipi potest, nisi quia ex parte primæ motio, & cooperatio determinata ex parte Dei minimè est, sed ex parte illius indeterminata, & indifferens.

5. Item q.22.art.4.ad 1. ait. [Difficile non est saluare naturam causæ liberæ cum prædicta infallibilitate diuinæ prouidentiæ, eo; quia huiusmodi infallibilitas nihil dat, vel aufert causæ ad vtrumlibet: sed cum ipsa stat, quod causa habeat potentiam indifferentem ad illud infallibile, & ad eius oppositum, & propter hoc diuina prouidentia non adimit contingentiam à rebus.] Daret autem aliquid ad vnum, & potentiæ absolutæ ad illud, cum proximè, tum remote constitutiuum essentiale, auferretque essentiale, tam proximum, quam remotum potentiæ ad oppositum absolutè complementum, prouidentia, ac prædestinatio, si in præfinitione effectus contingentis prædeterminatiua consisteret: quare neque ea posita esset indifferens ad vtrumque potestas. In quam sententiam plura ibi dedit Caietan. memorata d. 5. de scient. q. vlt. Deinde quæst. 41. artic. 2. eo cum S. Thom. à necessaria causa liberam distinguit: quod hæc non est determinata ad vnum, sed est ad vtrumlibet indeterminata, & sublatis omnibus impedimentis est principium eorum effectuum, qui possunt, sic, vel aliter esse quod versus finem Commentarij illius articuli, & ratione adducta pro 2. conclus. & §. *Ad euidentiam*, & seq. circa med. amplius explicat, & confirmat, & q. 82. art. 1. & 2. omnem, tam quoad exercitium, quam quoad specificationem volendi, & operandi; vel secus necessitatem à voluntate libera excludit; præter quam ad finem, seu bonum in communi, & q.83. art.1. docet ex S. Thoma libertatem, seu indifferentiam ad opposita pugnare cum determinatione ad vnum. Consonat 1.2.q 9.art.4.vers.fin. dicens, [quamvis primus actus voluntatis sit ex instituto daro ab exteriori causa effectiua, Deo; Ipsa tamen voluntas iam ex hac finis boni in communi volitione seipsam mouet ad volendum alia propter finem; quod brutis non conuenit.] Et volitione illa prima, seu inclinatione naturali voluntatis in bonum per naturalem inclinationem grauibus in motum, & locum deorsum à Deo, & generante inditam ex explicata ait: inde illa nec mouere se, nec se applicare voluntatem: quare eum motum naturalem esse, & à datore naturæ, non autem voluntarium, seu liberum. [Non autem quandoque, sed semper, cum voluntas mouet se, id est liberè operatur, vtitur seipsa applicando se ad volendum, vel nolendum.] Et art.6. fine [in responsione ad 3. habetur: quod Deus non solum potentiam voluntatis dat, sed actum volendi clausum in omni actu volendi: ipsam scilicet volitionem boni. In omni enim volitione hæc volitio clauditur, vt principium in commune. Et propterea in littera dicitur, quod ex hac volitione voluntas per rationem determinat se ad hoc, vel illud bonum verè, vel apparenter: & sine illa præsuppositia volitione, nihil omnino velle potest. Et hæc volitio est illa, ad quam dictum est oportere voluntatem moueri ab alio, etiam quoad exercitium actus.] Quo autem modo ea volitio boni in communi, & naturalis in exercitio sit, & omnem boni in particulari, inqua includitur, volitionem præcedat, explicandum est iuxta dicta cert. 1. & q. 10. art. 1. post med. ait: tunc voluntatem liberè, & non, tanquam naturalem causam operari, cum non determinata ad vnum operatur, sed causat, quia vult, & ad 4. articuli explicationem & coaclusionem S. Thomæ in corpore, tam deinde determinatione voluntatis liberæ in actu primo, & indifferentia ad malita, ac negatione præuiæ motionis à Deo cum determinatione, & necessitate ad vnum, vt maneat effectus contingens, & liber à Deo planam, & exploratam censet, vt

commentario, & confirmatione sua non habeat opus.

6. Ferrara 1.cont. gent.c.67. col.7. §. *Ad euidentiam secundi dubij* probat ex S.Thom. q.2.de verit.art.14.q.5. art.9. ad 10. & 1. sententiar. d.38. art.5. & si Deus ex necessitate operaretur ex parte sua, tamen actionem, seu cooperationem eius in actu exercito, & effectum fore contingentem propter contingentiam in operando causæ secundæ, cui cooperatur. Vnde subdit: [Causa prima producens effectum mediante causa secunda non in aliqua priori duratione attingit effectum, in qua non attingatur à causa secunda, licet dicatur prius agere, in quantum secunda non agit, nisi virtute primæ. Vnde non oportet, vt effectus in aliquo priori instanti, habeat necessitatem à prima causa; sed simul productis à causa necessaria, & contingenti propter causæ secundæ contingentiam, & ipse contingentiam habet.] Quæ, licet solum de prioritate durationis concursus diuini negata sonent; tamen prioritatem in omni instanti etiam naturæ negant. Tum, quia absolutè in nullo instanti eam admitti tandem ait: quare prioritatem durationis in exemplum clarius adduxit: maximè, cum statim solam prioritatem independentiæ virtutis in operando causæ primæ admittat; tum, quia ratio, quam præmiserat, ac verbis repetit postremis de omni prioritate, etiam naturæ, probat, c. vero 81.82. & 88.libertatem causæ vniuersim (provt primam, & secundam ambit, & coërcet) in potestate eius indifferenti, & indeterminata ad vtrumvis, scilicet ad velle, vel non, seu velle hoc, vel illud, quin ex necessitate, aut determinatione moueatur ad vnum, constituit, & c.138.§ 2. confirmat re vera potius quam neget: maximè, si ibi dicta cum recitatis conferantur. Similiter 3. cont. gent. c.70. sub init. §. *circa illam* admittit ex S.Thom. [quod à Deo sit in re naturali, quo actualiter agat, esse solam intentionem habentem quoddam esse incompletum.] Quo prædeterminatiuas præfinitiones euerti potius, quam firmari, ostendimus cert.1.n.13. maximè in sensu Ferrariæ, qui c.89. sub init. vtitur ad id explicandum ratione vltima S. Thom.ibi Aristotelica, petita ex initio consiliandi, quod; non, nisi à Deo, habere possumus, qui obinde sit nostrorum consiliorum, & voluntatum primum principium, & §. *Ad euidentiam* ait: ad primam volitionem finis, seu boni in communi naturaliter, & necessario moueri à Deo voluntates; ad alia vero quandoque è Dei applicatione. Denique §. *Ad omnia ista*, docet dupliciter esse aliquid perfectè in alicuius potestate; Primo: quia independenter ab alia causa producere illud, vel non producere potest: quod solius Dei est. [Alio modo, quia potest producere effectum, & non producere suppositia prima causa,à qua dependet, & à nulla causa ad producendum, aut non producendum necessitatur. Et sic conceditur, quod voluntas habet perfectè in sua potestate volitionem suam]Item 3.cont.gent.c.159.circa medium.[Nullus est, qui à Deo non moueatur ad bonum, &c. Sed quia diuina prouidentia vnumquodque secundum naturæ suæ conditionem gubernat, & mouet: homo autem est liberi arbitrij, potestque diuinam motionem sequi,& non sequi: inde est, quod aliqui diuinam motionem sequentes se ad gratiam præparant; aliqui vero ipsam non sequentes non se præparant,] 4.cont.gent.c.22.§. *Ad huius euidentiam*. Quod filij Dei non simpliciter, sed secundum quid ab spiritu sancto agantur iuxta S.Th. rationem reddit; quia agi simpliciter dicitur,qui non ex indifferenti sua potestate, sed ex determinatione ad vnum à superiori mouente operatur. Si autem actio non determinatur sibi ab altero; sed sic quidem moueatur ab altero, siue inclinetur, quod tamen in potestate sua sit agere, & non agere, siue agere hoc, aut illo modo,tale dicitur agi non simpliciter,sed secundum quid:quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad vnum, sed ipsum se determinat. Sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic spiritus sanctus nos ad agendum inclinat, quòd liberè tamen operamur, & ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra potestate sequi,aut non sequi spiritus sanctus inclinationem, & motionem: ideo dicimur ab ipso, agi, non simpliciter, sed secundum quid Postrema hæc duo de motione gratiæ sunt,& potestate sequendi,& non sequendi in sensu composito eius motionem, vt voluerimus: sicut & reliqua de motione causæ primæ, in sensu etiam composito, cui; quatenus ex parte Dei sumptæ resisti à no-

bis, & adiungi operationis negationem posse Ferrara expresse fatetur.

7. Deza in 2. d. 24. q. vn. toto art. 3. notab. 3. causæ liberæ essentialem ostendit indifferentem ad vtrumvis potestatem (sicuti, & d. 25. q. vn. art. 4. ad argum. contra secundam conclusionem, & d. 28. art. 3. & 4.) art. vero 4. ait proprium voluntatis esse, vt ex indeterminata, seipsam determinet, & ad 15. [Quæ necessaria non sunt ad consequendum finem, & si sint vtilia, non se habent ad mouendum voluntatem determinate, & necessarie sicut finis (scilicet beatitatis, seu boni in communi) & ad ista volenda voluntas seipsam determinat: cum posset ad ea volenda non se determinare, & illa non appetere.] Confirmat ad 16. & d. 25. q. vn. art. 3. notab. 4. & d. 4. sub fine à Deo causa vniuersali esse primam volitionem boni in communi; ast vero ad bonum in particulari à seipsa determinari voluntatem: quæ omnia ex S. Thom. vbique confirmat, & d. 28. art. 3. notab. 6. ait voluntatem agere Dei motione determinante ad actum primum, circa bonum, scilicet in communi; Deinceps vero se ad reliqua determinare. Recitatis vero S. Thom. verbis q. 24. de verit. art. 15. corp. subdit. [Non dicit S. Thom. quod impossibile est hominem aliquid velle, nisi aliquo ipsum mouente, sed dicit, quod impossibile est hominem incipere aliquid velle de nouo.] Quia scilicet cogitationem primam ad 1. volitionem à se, suaque libertate nullatenus habere potest. Insuper in 1. d. 1. q. 3. art. 3. notab. 4. ait: voluntatem non exire necessario in actum respectu alicuius obiecti, præsertim in via: quia in eius potestate est nullum actum respectu illius habere, & ab eo intellectum diuertere, & in 1. d. 38. q. 1. art. 3. notab. 1. fine, & notab. 2. docet: non posse futura contingentia in suis causis, & tota earum collectione cognosci, quoad vsque in se sint; quia in illis; adhuc coniunctim, determinate non sunt, sed contingentia, & quæ non esse absolutè possunt: & subinferius confirmat ex S. Thom. in 1. d. 40. q. 3. art. 1. infert: [Quod futura contingentia in causa prima, etiam determinata, quantum est ex ratione causalitatis cognosci non possunt per certitudinem determinate.] Et in 2. d. 1. q. 2. art. 4. ad 1. Aureoli ait: concursum Dei cum voluntate eam non obligare, seu determinare ad alteram contradictionis partem, sed indifferentem, & indeterminatam relinquere. Heruæus item General Dominicanorum Magist. in 2. d. 25. docet voluntatem ad bonum in communi à Deo ipsam producente determinari; ad bonum vero, cum ex deliberatione fertur, determinari à seipsa. Conradus ex S. Thom. (cuius mentem editis in partes summæ Theologicæ commentariis doctè, & subtiliter venatus est) omnem voluntatis in actus suos liberos determinationem ab alio, quam à seipsa, reiecit. Etenim 1. 2. q. 1. art. 2. comment. 1. ait. [Homo seipsum determinat ad finem, comment. 2. scribit. [Agens ratione determinari ad aliquid certum per voluntatem, sicut per proximum determinatiuum ad actionem; licet primum determinatiuum sit apprehensio.] Comment. 3. toto statuit irrationalium agentium esse determinari, necessitarique à Deo ad agendum; rationalium nec necessitari, nec determinari ab eo ad suas actiones & ibi notab. 3. [Tunc homo agit actionem humanam, liberam, quando ad eam habet absolutè indifferentiam sic, quod potest eam agere, & non agere; & potest velle, & agere hoc, vel illud.] Quibus similia docet q. 6. art. 1. corp. & ad 2. in ea potestate dominium voluntatis in suos actus constituens, q. item 9. art. 3. [Ad argumentum in contrarium ait, in potestate voluntatis, stante generali influentia, est se mouere ad exercitium, vel non mouere: neque ad hoc concurrit aliquid aliud actiue completiue.] Id ipsum fusius docet art. 4. § *Respondet iuxta*, & §. *Nota circa*, & art. 6. ad 3. confutat primo affirmantes requiri specialem Dei motionem, qua Deus moueret voluntatem ad primum actum, seu volitionem boni, vt sic (quæ in eius, & S. Thom. sententia à Deo indita & naturalis, ac necessaria voluntati est.) [Imprimenda voluntati aliquid habens se per modum actus primi, quo voluntas efficitur potens ad volendum.] Multo ergo minus eam antecedentem impressionem à Deo ad actiones liberas voluntatis in ea admittet. Secundo docet per generalem influentiam, qua à Deo mouetur voluntas in exercitio ad volitionem boni in communi, & quæ nihil præuium super additum, & potestatem voluntatis constituens inuoluit, satis ex parte causæ primæ actiue, & physice influentis voluntatem moueri ad actus liberos erga particularia bona. Etenim [hac motione præsuppositâ, voluntas per innatam libertatem potest sub ista motione Dei se determinare ad hoc, vel illud bonum,] quia vt dixerat art. 3. ad argum. *in contrarium* & art. 4. parraphis citatis ea influentia generali suppositâ vnum præ alio velle, ac non velle in potestate voluntatis esse. Quæ repetit quæst. 80. artic. 1. ad 3. quæst. 109. art. 2. conclus. 1. fin. & q. 10. artic. 1. fine addens necessitatem, & determinationem voluntatis eius libertati circa idem obiectum repugnare. Tandem quæst. 79. art. 1. col. 3. §. *Nota in quam*; motionem Dei præuiam ad actus etiam naturales multis ex institutio refellit Vincentius Beluacensis, ob cuius cum S. Thom. conuenientiam, quisnam alterius, quoad sententias in 1. 2. contentas, transcriptor fuerit? Lis apud eruditos est. 1. lib. 29. speculi natur. cap. 65. ex Boëtio docet voluntates nostras esse omni necessitate solutas, etiam imponenda à diuina prouidentia, ni actus futuros hæc supponeret, & lib. 1. speculi moralis ad verbum sententiam S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 6. corp. posuit. Scilicet Deum, qua primum mouentem, conuertere omnia in seipsum tanquam secundum rationem communem boni; Ad particularia bona moueri inferiora mouentia, & libera quidem seipsa vt cert. 1. ad eum S. Thom. locum expendimus.

8. S. Antonin. 1. p. t. 4. c. 2. §. 2. [Ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, & non facere possit, & ita habere viam ad opposita, quia potest velle hoc, & non velle.] Et §. 3. & 4. fine, & §. 7. necessitatem, quæ voluntati non relinquat viam ad opposita & faciendi, ac non faciendi potestatem, & actus contingentiam, & si diuina prouidentia illam inducat, libertati repugnare ait, & post recitata ex §. 2. ait, nos per liberum arbitrium vti posse habita vitioso, vel secus, agereque, & non agere. Et sub capitis init. & c. 3. §. 1. liberum arbitrium, & si non primum, tamen principium, & causam esse sui motus. Et illo c. 2. §. 9. [Immutatur voluntas à seipsa, cum modo vult vnum, modo aliud. Vnde Augustinus, Nihil tam est in nostra potestate quam ipsa voluntas,] & c. 4. §. 2. med. [intellectus mouet voluntatem repræsentans ei obiectum suum. Mouetur etiam voluntas ad actum suum à seipsa: Cum enim sit domina sui actus, & ipsius sit velle, & non velle (quod non esset, si non haberet in potestate sua mouere seipsam) sequitur, quod à seipsa mouetur.] Et §. 3. fine de indemnitate libertatis posita vniuersalis motoris Dei motione assumit illam rationem S. Thom. 1. 2. q. 10. art. 4. [Quia voluntas est principium non determinatum.] Ægidius Roman. August. S. Thom. discipulus auditor, & vindex, ex huius doctrina in 2. d. 1. p. 1. q. 2. art. 6. §. *Prosecutis*, docet concursum Dei vniuersalem; æqualem esse, & vniuersalem ad omnia; diuersitatem vero à particularibus causis diuersimode illum recipientibus prouenire: ac si Deus [nec ratiocinans, nec præeligens suum communicaret influxum, vt sol lucem, & d. 25. q. 1. art. 3. dub. 2. liter. via 2. [Quoties obiectum offeratur sub vna ratione boni, & alia mali voluntas poterit illud velle sub ratione, qua bonum, & nolle sub ratione, qua malum. Hic ergo voluntas poterit se determinare, vel, vt velit sequi legem Dei, prætermittendo fornicationem, vel, vt velit, sequi bonum delectabile, prætermittendo legem Dei.] Et subdit voluntatem esse, quæ seipsam determinat: quæ repetit dub. 1. liter. & opusc. de præd. & præsc. & opusc. de ente, & essentia Theophil. Rayner. libertatis essentiam in indifferenti ad vtrumvis, ac non determinata ad vnum potestate ponit. Et in dominio suorum actuum. Item voluntatem, & si ad bonum in communi determinatam, ad particularia tamen liberam, & omnino indeterminatam, aut necessitatem ad vnum: & proinde eiusmodi necessitatem, & determinationem ad vnum libertati potentiæ repugnare, qua velle, & non velle voluntas potest, esseque causa, & domina suorum actuum debet. Hæc sæpissimè repetit in sua Pantheologia, verbo *liberum arbitrium*, c. 1. 2. 8. 10. 11. 14. 15. 16. & 26. verb. *peccatum*, c. 47. & 49. & pluribus verbo *liberatio* à peccato, c. 18 20. & 24.

& 24. verbo. *Reprobatio*, cap.5.6.10. verbo *Tentatio* c.6. & alias sæpe, Paludan. in 3. d.18. art.3. fine. *Per liberum arbitrium intelligimus illud principium, per quod habemus dominium nostrorum actuum; Non solum, sicut communiter dicitur, quod omne agens dominatur suo passo: quia tunc omne agens esset liberum: quod falsum est; sed sic in potestate habentis tale principium est exire in actum, vel non exire in actum aliquem, vel in eius oppositum.* Vt de indifferentia libertatis dixerat art.1. & 2. Herbæus quodlibet.1. quæst.1.art.1. maxime ad 7. docet supposito amore necessario boni in communi voluntatem se determinare ad electionem boni in particulari, quia est principium sui determinatiuum, nec dari posse eius electionis, *Vnam causam per se necessariam, & determinatam.* Addit ita ex coniuncto causarum ad electionem voluntatis concurrentium eam sequi, vt non sequi possit. Et quodlib.10. quæst.9. sub fine explicans dominium voluntatis in suos actus ait, *habere dominium sui actus est, habere sic in potestate suum actum, quod in potestate sua sit agere, vel non agere hoc, vel illud.* Et requiri ad dominium infert, *quod actiuum principium, etiam super illam indifferentiam, vt applicabilis est ad actum, habeat dominium. Si enim aliquid haberet indifferentiam ad agendum, & non agendum, ita, quod illa indifferentia prout applicabilis est ad actum, sibi non subesset non esset in potestate sua agere, vel non agere.* Dicant nunc Thomistæ recentes physicam suam præmotionem, & decretum prædeterminatium suo vnumquodque gradu, & signo solum esse applicationem volùtatis ad actum, seu operationem, non autem complementum potestatis, & potentiæ; dum tamen ea applicatio solius Dei voluntati, & potestati, non autem voluntati nostræ subiaceat (vti non subiacet, si ea in decreto prædeterminatiuo, & prædeterminatione independenter ab vsu nostræ libertatis à Deo habitis, & ponendis consistat, vt hi volunt) voluntatisque libertas, iuxta egregium S.Thom. discipulum Heræum, voluntati nostræ peribit.

9. Succedat Capreolus, & ipse insignis S.Thom. discipulus sententiarum eius interpres, & recitati Deza in 2e Theologica dux, & Magist. Ille enim in 1.d.1.quæst.2. art.1.concl.3.ex S Thom.1.2. quæst.15. art.2. ait. *Sola natura rationalis habet in sua potestate motum appetitiuum, & potest ipsum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud.* Et art.3. ad 4. & 5. cont.1. Conclusionem, docet hominem & se, & reliqua ad operandum applicare, cui omnino consentit Deza ibi artic.3. notab.1. & 2. & art.4. ad argum.cont.1. concluſ. Capreolus. Item qu.3. post concl.3. docet voluntatem liberam esse indeterminatam, & circa obiecta, & circa exercitium actus, seque absque vlla necessitate determinare. Et art.1. concl.3. & ad argum. contra illam: nullum actum voluntatis in via necessarium, quoad exercitium esse, sed eo illam posse abstinere. Item necessitatem, etiam quoad specificationem, qualis est respectu boni in communi, esse contrariam libertati tota qu. docet, maxime art.1. inter quatuor rationes 1. conclusionis: eoque art.& 3. sæpe libertatem voluntatis esse ad opposita, seque ipsam determinare, & mouere, & artic.1. ad probationem 3.concluſ. hæc ex S.Thom. qu.22. de verit. affert. [Libertas voluntatis in tribus consideratur scilicet, quantum ad actum in quantum potest velle, & non velle: & quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc, & velle illud, & eius oppositum: & quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum, & malum.] Quibus hæc Capreolus adnectit. [Voluntas non necessario exit in actum respectu alicuius obiecti, præsertim hic in via: sic, quod quolibet obiecto proposito in potestate sua est nullum actum habere respectu illius. Potest enim intellectum ab huiusmodi cognitione auertere; & per consequens in aliud inclinare.] Consonat. Deza ibi art.3.notab.4.col.2. Insuper Capreolus d.38. quæst.1. art.1. longe à med. post §. *Ad argumenta contra* 4. concluſ. ait. [Cum Deus vel se solo, vel media causa necessaria; non defectiua, seu contingente effectum producit, tunc non stant simul quod prima causa sit disposita ad producendum hunc effectum, & quod ille effectus non eueniat. Cum autem Deus producit effectum media causa defectiua, seu contingenti, vult etiam S.Thom. quod effectus producti à Deo mediante causa secunda defectiua possunt deficere, & contingenter eueniunt: quia non habent ordinem ad primam causam nisi mediante secunda: & ideo, quia illa secunda causa est contingens, licet prima sit necessaria, oportet quod effectus sit contingens.] cum autem prima causa, eo solum necessaria sit in operando effectum, quatenus ex, decreti quod libere concepit, suppositione necessario sequitur effectus, & non ita operetur effectum media causa contingenti, vt necessario sequatur effectus; sit plane, huius effectum à Deo efficaciter antecedenter non decerni prædeterminatiue, aut physice causam contingentem ex illo prædeterminari. Et ad 2. Scoti contra 4. concluſ. ex S.Thom. quæ.5. de verit. art.9. ad 12. ait. *Necessitas causæ primæ non inducit necessitatem in effectum, nisi posita necessitate in causa secunda.* Ergo, si ponitur necessitas effectus per decretum prædeterminatiuum, aut prædeterminationem, nequit non causa secunda habere necessitatem, esseque causa necessaria, & non contingens: ac subinde nequit effectus esse contingens, & liber; vel, si hic liber sit, nequit esse de eo prædeterminatiuum decretum, & ad ipsum prædeterminatio causæ. Et ad 10. ex S.Thom. ait. *Actio primæ causæ quodammodo determinatur ad hunc effectum per causam secundam.* Et artic.2. prioribus 4. conclusionibus sæpe ex S. Thoma repetit futura contingentia in suis causis determinata non esse: obinde nec in eis, sed in seipsis solum cognosci certo posse. Et in med. ad 1. contra 1. concluſ. ait: *quantumcumque cognoscatur natura humanæ voluntatis, non tamen ex hoc scitur an producet actum suum, vel non. Ipsa enim potest se impedire, vt ita loquar, quantumcumque sit ad eliciendam volitionem inclinata, reproducat.* Ac statim fere recitat S. Thom. in 1. d.38. quæst 1.art.5. dicentem *cognita voluntate, & quibuscumque causis ad actum volitionis concurrentibus non potest certitudinaliter cognosci, ab ipsa producet illum actum, vel non.* Iterum Capreolus d.45.q. vn.ad 4.cent.3. concluſ. ait, *voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet, vt velit, vel non velit, determinatur à seipsa: & illud, quo se ad hoc determinat est actus eius determinatus, sed quantum ad specificationem actus, scilicet, vt tendat in hoc, vel in illud determinatur per intellectum ostendentem sibi suum obiectum:* nempe bonum, ad quod prosequendum, ac non malum, quoad speciem voluntas determinata est. Et licet in 2. d.1. quæst.2. art.1. sub fin. ex S.Thom. quæst.3. de potent. art.7. ad 7. doceat *rei naturali influere aliquid Deum, quo actualiter agat.* art.3. part.6. ad argum contra 6. concluſ. init. ex eodem S.Th. ibidem ad 12. ait Dei in voluntate hominis operationem dato illi in suos actus dominio non obesse, sed adhuc non manere obligatam, & determinatam ad alteram contradictionis partem, sed ad vtrumvis indifferentem d.24. qu.vn. art.3. post med. ad 6. argum. *voluntas*, ait, *quantum est de sua natura est ad opposita. Ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult, & ita non indiget alio determinante.* d.25. qu.vnic.art.3. col.3. & 4. *actus elicitus, & imperatus à voluntate contingenter, & euitabiliter euenit & producitur à causa de se indeterminata; quæ tamen potest seipsam determinare, scilicet à voluntate.* Et toto articulo, libertatem in dominio, potestate, & æquali indifferentia ad opposita constituit. Et ad 3. Scoti cont.2. concluſ. libertatem voluntatis cum concursu scientia, & voluntate causæ primæ vniuersalis componit: quia ita istæ determinatæ sunt ad liberum euentum, vt ad ipsum non esse determinatæ queant. Et ad 1. Henrici cont.2.concluſ. dicit ex S.Thom. motionem vniuersalis motoris Dei esse ad bonum in communi, & complacentiam de eo necessariam: ex ea vero hominem deliberatione sua se determinare ad particularia bona, qua potest se libere determinare, vel non determinare ad quodvis illorum. Quam doctrinam repetit ad 1. Henrici cont.3.concluſ. docueratque articul.1. concluſ.1.fine & d.24.quæst.vnic. artic.3. longe post med. ad 8. argum. cont.5. concluſ.

10. Nec minoris ponderis est Rupertus Holchet Dominicanus, qui si à vera Thomistica schola in Nominalem transierit tamen in indifferenti ad vtrumvis potentiæ liberæ essentiali potestate ab Angelico præceptore, eiusque schola non defecit. Fors, quia adeo id euidens, vt scholæ omnes, quantumvis aduersæ, nequeant non in adeo perspicuo principio conuenire. Igitur Holchot. in 1.q.3.

fere tota eam indifferentem potestatem, & dominium ad velle, vel non velle positis, & immutatis omnibus præ requisitis absque vlla necessitate ad alterum determinante tradit: præsertim artic.2.in diuisione 3. & definitione libertatis, & art.8. ad 5. dub. solut.argum.3. vbi *de nouo*, inquit, *nullam rem recipio, quæ coagat ad causandam volitionem, quam prius non habebat.* Consonat art.9. ad argumenta principalia. Et in 2. quæst.1. art.4. ait. [Deus dicitur aliquid velle dupliciter, vno modo absolute: alio modo ex conditione. Primo modo concurrit ad agendum cum omni natura agente naturaliter voluntarie. Illo etiam modo facit quidquid facit præcise. Et ideo omne tale est ab eo absolute volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum naturali rationali libera: cui tales leges statuit; quod quidquid ipsa velit placet sibi coagere ad illam volitionem; licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem de notatur. Ita quod, si fortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum; vel si impediret eum, hoc facit per legem communem.] Repetit quæst.11. art.4. ad 1. & 2. Franciscus Victoria Dominicanus, etiam ex Illustrissimis, Thomista relect. de peruenientibus ad vsum ration. n.4. propos.3. supponit, vt certam definitionem arbitrij, seu potentiæ liberæ communem: quæ scilicet positis omnibus requisitis ad agendum possit agere, & non agere; omni quidem alterius partis necessitate exclusa: etsi vlterius deliberattonem ad libertatem, & electionem præmitti requirat. Et num.6. propos.5. docet non, nisi necessitate inducta, libertatem abesse, & num.5. propos.4. asserit arbitrij libertatem in dominio suorum actuum stare. Et post pauca. [Ad hoc autem, vt homo sit dominus suarum actionum, duo requiruntur. Alterum, vt homo habeat facultatem consultandi, ac deliberandi, quid bonum est, & quid malum est, & quid consequendum, quid fugiendum, quid vitandum. Alterum est, vt habeat potestatem post deliberationem eligendi, & relinquendi, quod sic deliberatum est: neque enim primum sufficit. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessario, aut sequeretur consilium, aut non posset non sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione, & acceptione verborum. Nam is vere Dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem vtendi re: ita enim definiunt, & Iurisconsulti, & Theologi. Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis, & voluntatis, quo est liberum arbitrium.] Petrus de Soto de institt. Sacerdot. tract. de Sacram. pœnit. lect. 16. post med. § *Primum impotestate voluntatis*, ait. Posita diuina gratia inpotestate voluntatis esse velle amorem, & quantitatem eius, & non velle: quare, & Deum amare supra omnia, vel non amare. Dominicum Sotum acerrimum contra suos recentes Dominicanos, & eorum prædeterminatiuas præfinitiones, & pugnacissimum hostem vidimus quæst.3.cert.3.n.8. & 9.

11. Viguerius scholæ, & instituti eiusdem ex recitata num.9.doctrina S.Thom.quæst.22. de verit.ita scribit. cap.3.§.3. versu 1. fol.28. col.3. *Indeterminatio, siue libertas voluntatis potest considerari respectu trium: scilicet respectu obiecti, & actus, & ordinis in finem. Quoad obiectum inquantum potest velle hoc, vel illud, vel eius oppositum*; vt (legendum potius, [& prout) velle, & nolle positiue. Et hæc libertas vocatur à Neotericis contrarietatis quoad actum, in quantum potest ponere actum, vel non ponere, velle, vel non velle, negatiue, siue cessare ab actu. Et hæc libertas dicitur à Neotericis libertas contradictionis: quoad ordinem vero finis, inquantum potest velle bonum, vel malum, siue apparens bonum.] Et vers.2. [Neque obstat libertati voluntatis, quod eius motus pendeat à Deo, qui primo prioritate naturæ concurrit cum omnibus causis secundis, & magis, ac fortius influit in effectum, quam causæ secundæ. Vnde videtur, quod posito concursu Dei ad actum voluntatis, voluntas non sit libera, vel operatio Dei sit inefficax. Dicendum, quod posita illa suppositione negatur consequentia scilicet, quod ideo non sit libera, nec quod voluntas ex necessitate moueatur à Deo quia (inquit) [Deus libera, libere, & absque necessitate disponit.] Et inferiusculè. [Experimur nos esse indeterminatos circa multa, & bona, & mala: & posse consiliari, & deliberare, & ex duobus oppositis eligere, quod volumus: & vno solo obiecto oblato posse acceptare, vel respuere, vel suspendere actum. Repetit versu 4. Ioan. Vincentius Generalis Dominicanorum Vicarius, & Vespertinus Salmantinus Professor prælect. manuscript. in 1.p.quæst.19.ar.8. dub.2. coaeluf.5. aeriter in physicam præmotionem, & subinde in prædeterminatiuas præfinitiones, tanquam libertati nostræ infensas, inuehitur, vel inde maxime: *quia, si auxilium*, inquit, *efficax prædeterminatiuum est simpliciter necessarium apparet iniustum illud diuinum præceptum, quo Deus obligat Petrum ad actum supernaturalem fidei, spei, charitatis, &c. Ad cuius actualem executionem non confert efficax auxilium*: (seu, quod idem est, de qua non concipit prædeterminatiuum decretum) *Hæc difficultas est maxima apud me. Etenim Authores contrariæ sententiæ non aliter de illa se possunt expedire, nisi recurrendo ad distinctionem de sensu diuiso, & de sensu composito, quæ tamen distinctio in hac parte leuissima est: tota enim consistit in verbis.* Sed quoniam ea prælectio manuscripta prælum non vidit; testes testimonij, & sententiæ huius omni exceptione maiores proferamus. Et quoad distinctionis, eius leuitatem, testis est Ledesma de auxil. art.14. §. *Hæc difficultas leuissima*: quoad Læsionem libertatis art.1.col.7. §. *quo suppositio*. Testis item est Magist. Franciscus Cornelio Augustinian. Primarius etiam Professor Salmantinus tract. de Scient. Dei d.5. dub.3. §. *Dices conuincere*, ait, Præfinitionem, & prædeterminationem, ad materiale peccati præsertim, ex quo ad reliquas humanas actiones euidens in principiis aduersariorum est consecutio) expresè Thomistis aliis displicuisse, ac etiam, inquit, [Magist. Ioanni vincentio, qui in sua lectura de voluntate Dei 1. part.quæst.19. circa art.8. quam ego vidi, & legi, palam professus est: Deum materiale peccati neutiquam prædefinire: aiens ab hac sententia sola Ecclesiæ authoritate se posse dimoueri. Huius in Cathedra successor Basil. Ioannes. Augustinian.1. par.variar. cap.3. fine, & oculatum se, & auritum sententiæ Ioannis Vincentij vniuersim contra præmotionem voluntatis nostræ à Deo his exhibet testem. [Licet nonnulli obstinate prædeterminationem illam voluntatis ex physica præmotione, aut qualitate proeuenientem, quæ ita ad vnam partem determinaret ante consensum voluntarem, vt deinceps non esset electionis humanæ illi positæ motioni Dei, aut obtemperare, aut resistere docuerint; excitauit tamen Deus olim doctissimum, & religione excellentissimum virum Ioannem Vincentium ex eadem familia, qui eandem docendi rationem validissime impugnauit: & morales tantum præfinitiones per excitationes, quæ sunt actus intellectus, & voluntatis induxit, legit, dictauit in Salmantino Theologorum gymnasio me, & spectante, & audiente; & postea alij ex eadem familia ab illa propositione cum laude, & fructu discesserunt.] Fuit autem Magister Ioann. Vincentius, qui dignissimum de gratia Christi opus Typis euulgauit. Et Catherinus 1. de prædestin. & Sixtus Senensis citando loco qu. sequenti.

12. Referendi iam summatim sunt Dominicani alij proceres, quos quæst.3. certam.3. & quæst.4. vel retulimus, vel recitauimus Magist. Hieronym. Mazarelli siue à Bononia sacri Palatij Magister, Franciscus Romæus Magister Dominicanorum Generalis relati quæstione 3. certam.3. num. 8. Magistri etiam Dominicani Campanella, Iulianus Ioubert eius ordinis Vicarius in Gallia Generalis, & Sorbonicus Doctor Antonius Maller, Cosmas Marellus, fidei etiam quæsitor, Augustinus Russus studij Panormitani Regens, P. Foresi eius socius, & Seraphinus Riualdus postea ad sacras insulas assumptus: quos omnes retulimus ibidem num.11. item Magistri Zanguas Mondragon, & Tiedra qui in reliquorum Magistrorum grauissimorum Vallisoleti Dominicanorum, quibus præfinitiones prædeterminatiuæ humanarum actionum, præsertim, fuerunt inuisæ adducuntur à Primario Vallisoletano Professore Doct. Ioann. Garcia Coronel. recitato quæst.4. certam.2. numer. 8. vbi eiusdem doctrinæ Osorem Magistrum Mancium etiam Dominicanum apud Complutenses, & Salmantinos Illustrem Primarium Professorem refert. Et Patres Dominicanos, eosque doctissimos, supremæ Inquisitionis Lusitaniæ iussu Molinæ, id est nostram sententiam, non probasse solum, sed laudasse:

dasse: Magistrum scilicet Bartolomæum Ferreira supremi illius Senatus censorem, & Magistrum Ioann. de Iasenebas Archiduci Austriæ Alberto, tunc eius Senatus Præsidi, & Generali fidei Quæsitori à confessionibus, postea Abulensem, post Almeriæ, Episcopum constat ex certam. 3. num. 8. & 9. quibus addde Complutenses Dominicanos Primarios Professores Magist. Laurentium Gutierez, & Magistrum Biedma, quos suorum fratum hac in re duritiem ferre non posse publicè in suis lecturis, & Generalibus Thesibus è Cathedra conceptis verbis fateri non semel spectauimus, & audiuimus, Magistrum Gasparem de Corduba Philippo 2. à confessionibus Magist. Cuello Collegij Hispalensis sui Regentem Magistrum Balthasarem Buchnerum Academiæ Heidelbipolensis Doctorem, qui, & epistolæ eius Academiæ pro nostra sententia ad Sedem Apostolicam recitatæ à nobis quæst. 4. certam. 1. subscripsit Mag. Arauxo postquam Episcopatu Seguiensi, vt aiunt exfrattauit, licuitque non è suorum Dominicanorum, sed ex animi sententia impune scribere 1. 2. quæst. 111. art. 5. dub. 6. num. 36. qui Physicam prædeterminationem (ac propterea Thomistica decreta) ad S. Thom. ianuas fuisse expositam, non secus, *atque infans foribus Ecclesiæ*, exponitur, vt ab ipsa *volente, nolentemue curam, & tutelam recipiatur*. Exinde vero eam sententiam iunctis cum nostris, & authoritatum, & rationum copijs per plures numeros insectatur; quod autem Prado citandus respondet; hæc Magistri alterius sui ordinis manuscripti in Bibliotheca sua Salmanticensi ad seruata ab Illustrissimo Arauxo suo illi operi inferta fuisse hunc quidem nobis non eripit, sed alium, bonæ apud ipsos notæ, Magistrum contra suos pugnantem vltro donat. Addeetiam è Dominicanis Thomam Elisheem de libert. arbit. quæst. 4. art. 8. Ambros. Catherinum de præscient. part. 1. & 2. Bartolom. Medina Primarium Salmanticensem 1. 2. quæst. 14. art. 3. in expositione litteræ vbi eandem potestatem circa consultanda requirit quam S. Thom. ibi & Arist. 3. Ethicor. cap. 3. omni eius impossibilitate, quare & alterius partis necessitate, exclusa & 3. part. quæst. 18. art. 4. in expositione literæ. Si attente legatur, maxime sine ad Hieronymi testimonium. Porro, si hactenus recitati, citatique Thomistæ Dominicani cum aliis oppositæ sententiæ conferantur, vitra ex eis è S. Th. mente sit (etsi data ex ipso testimonia nos deficerent) facile constabit: quales enim, & S. Thom. intelligentia, & doctrina sunt Berdu, Rispolis Iosephus à S. Maria, Cabbezudo, Nauarretus, imo & huius doctrinæ Antesignanus Bannez, qui hac in re ad plura Sancto Thomæ contradictoria asserenda frontem perfricuit (vt statim videbimus) vt eum his conferantur? Sed & Albarez, & Ledesma bonæ notæ Magistri, & pauculi alij, qui pro suorum sententia post litem contra nostros contestatam scripsere, pro mente præsertim S. Thom. fidem non faciunt eum apertissimo partium suarum studio scripserint. Certe si vere Thomisticæ scholæ, doctrinæ, & Doctoris signa, quæ, vel aduersarij ipsi notant, & præscribunt, ad rem præsentem attendantur, nos nostramque in hac re sententiam vere Thomisticam aduersam vero, Pseudo-Thomisticam euincent.

CERTAMEN IV.

Et signis ab aduersariis præscriptis sententia, & schola nostra vere Thomistica euincitur.

1. AVdiamus Mag. Ioann. à S. Thom. veræ Thomistiæ scholæ doctrinam sequentibus notis delineandæ approbat. doctrin. S. Thom. d. 2. art. 5. habet. *Primum igitur optimum signum intelligentiæ D. Thom. & discipulatus eius est, continuatio, & adhæsio ad illos, qui per successionem temporum discipuli eius habiti sunt, eiusque adhæserunt doctrinæ. Sicut Herbaus, Capreolus, Ferrara, Victoria, Soto, Flandria, Caietan. Conradus,* &c. Atqui his omnibus, qui in exemplum ad purum ex coctorum Thomistarum assignantur, & aliis pluribus per ætates omnes explorato Thomistis, Prædeterminationes physicæ voluntatum nostrarum à Deo, & eis coniunctæ præfinitiones prædeterminatiuæ, inuisæ, & alienæ à S. Thom. mente visæ sunt: quibus nos nostrique omnes adhæremus; vti ex eorum testimoniis patet: ergo ex primo hoc, & præcipuo signo in re præsenti veri Thomistæ, & discipuli S. Thom. re vera sumus; Aduersarij verò Pseudo-Thomistæ, seu Thomistæ adscititio, & arreptitio nomine tantum. Scio Mag. Ioan. Martinez Prado 2. Physicor. controuer. 12. art. 2. numer. 35. dicterio in ipsum ex dictis facile refundendo præmisso, vt ex auriquis Thomistis, & inprimis Capreolo præfinitiones, & præmotiones physicas suas probet, euidentissima testimonia polliceri; cum tamen ea producat, quæ resolutionem quidem mereantur. Solum enim habent Deum, & virtutem causis secundis, earum scilicet productione, conferre, & cum eis ad omnes effectus operari, eisque priùs prædicatum entis, quod priùs, & vniuersalius concurrere: quod solum probat concursus diuini ad creatum præcedentiam prioritate maioris vniuersalitatis, non naturæ. Satius proinde illi ad suum intentum fuisset aliqua probabilitatis specie alicui ex pluribus, iam olim nostris, contra suos Dominicanos inductis, cum ex S. Thomæ cum ex veris ætatum omnium Thomistis testimoniis apertis satisfacere, quam vanas, & ventosas authoritatum euidentias pollicitari. Merito ex hac discipulatus S. Th. nota Doctores recitati num. 2. sententiam Thomistarum recentium non minus S. Thomæ, quam nobis aduersari dicebant. Deponeret ergo si hactenus dicta videret, expendereteque Rispolis querulum in nos stomachum illorum verborum 2. de auxil. quæst. 1. ante 1. concluſ. *Relinquant igitur, quæso nobis Doctorem nostrum, qui clare satis locutus est, vt omnes eius discipuli ipsum interpretantur: quibus solum Angelici Doctoris mysteria noscere, & scrutari datum est.* Mitto mysterij cum claritate sententiæ repugnantiam, quam vltro Rispolis admittit; aliis forsan in re præsenti admittendis assuetus. Faciunt enim nobis eius verba de vero nostro S. Thomæ discipulatu causam meliorem: eum siquidem satis clare, & de se, & iuxta omnium discipulorum eius interpretationem locutum, & intelligimus, & sectamur. Nobis igitur relinquendus ab aduersarijs erit Angelicus Præceptor, quibus mysteria eius, & nosse, & eo modo scrutari datum est. Quod si staminea tunica alba, & nigrum pallium, & bardo cucullus ad eum interpretandum claues intelligentiæ donent, eius sane indumenti omnium sapientissimi homines ad ita nobis, non nisi vestigiis eorum insistendo, ingredientibus referarunt: quamquam non facile assequor, qui vestium habitus, qui Monachum, vt aiunt, non facit, certa adeo lege faciat interpretem?

2. Signum discipulatus S. Th. secundum, & maximum ab eodem Ioanne à S. Th. ibidem præscriptum (& in quod tertium, & quartum recidunt tandem) est *affectus ipse ad D. Thomæ doctrinam, ac conatus ac labor in defendendo, ac ampliando.* Monet vero huic non obesse, *si quando ex infirmitate propria, ac profunditate difficultatum non plane intelligatur, aut etiam deseratur.* Hoc autem ipsum nobis sanctiss. Patriarcha noster Ignatius 4. p. constitut. c. 14. satis insinuauit: dum nostris ad Theologicam suppellectilem parandam, & Sacra Biblia & S. Th. Doctrinam legendam præstituit. Ex inde vero congregatio 5. general. can. 41. vti constitutionibus nostris satis insinuatum, statuit S. Th. à nostris Theologis Professoribus auide, & laudandum, & sequendum, neque vbi (si quando ita videatur oppportunius) sine reuerentia relinquendum; arcendosque à lectura, qui non bene in eius doctrinam animati comprehendantur. Et can. 56. proprius scholæ nostræ Doctor S. Thomas instituitur. Et si moderamen doctum à Ioanne à S. Th. adhibitum statim subiungatur. *Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere Professores intelligantur, vt nulla prorsus in re ab eo recedere liceat: cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur aliquando ab eo recedant:* Nec sine gloria, vt de Mag. Victoria Melchior aiebat can. 12. de locis. *Maiorem eo iudicio laudem dissentiendo, quam si assentiretur consequutum: tanta erat in dissentiendo reuerentia?* Et sane nostram hac in parte sententiam, vel eo in primis docendam

cendam nostris Professoribus mandauit reuerendissimus noster Claudius Aquauiua epist. Data Romæ 14. Decemb. anno 1613. quia Sanctis Augustino, & Thomæ magis consentanea est visa. Quomodo autem iussa nostri rei Theologicæ Proceres, & duces capesserint paucis videamus. Molina primitiuæ concordiæ præfatione ad lectorem. D. Th. veluti theologiæ solem, ac ducem sequi profitetur. Et 1.p.q.23.art.4.& 5.d.1.n.10. *D. Tho. iudicium tanti facio, & doctrinam, vt tunc me securius pedem figere arbitrer, cum illum consentientem comperio.* Legat, qui volet Molinæ eius operis init. ad Philip. 2. nuncupatoriam Epistolam, vbi de S. Thoma, eiusque doctrina amplissimum, si quod aliud, elogium reperiet. Legat & nostrum Valent. t. 1. in 1. p. præfat. ad lectorem, vbi & aliud inueniet nulli secundum. Legat Vasquez etiam nostrum t. 1. p. 1. d. 3. c. 4. n. 7. vbi *S. Thom. sententiam merito ab omnibus theologis sufficiendam: eosque, qui ei contra dicunt, veritatis cognoscendæ viam sibi ipsis præcludere dubium non esse* ait. Legat Franciscum Soarium t. 1. de grat. prologom 6. c. 6. n. 28. nihilque ad S. Thom. eiusque doctrinæ laudem magè desiderabit splendidum. Legat P. Fonsecam tom. 1. metaphysicor. admonitio ad lect. Legat & societatis scriptores reliquos, quorum præ multitudine longus hic, & importunus texeretur elenchus, vbi nisi S. Doctorem, eiusque sapientiam ingentibus laudibus efferentes seque, & libros suos ex eius discipulatu volentes in primis commendatos: quod non, nisi stupidi homines præstarent, qui vel animo, vel effectu ab eius doctrina discederent, & hæc nostri omnium impensissimum studium, & ampliandi S. Doctoris doctrinam indefessum laborem (quia signi huius discipulatus S. Thomæ altera pars est) satis produnt.

3. Sed studij & laboris huius nostri adest aliud notissimum, & euidentissimum (quod iam diu obseruabam) argumentum, notauitque ex parte nostra Flandrobelgica prouincia lib. 3. imaginis primi secul. c. 2. sub finem his verbis *theologis nostris admittentibus perfectum est, vt ordo ille admirabilis, ac diuinus, quem inuenit, sibique inscribenda summa theologia præfixit S. Thomas ab Academiis plerisque, ita sit receptus vt, misso Magistro sententiarum, aliaque minus didactica tractandi methodo, huic vni insistant. Louanienses, vt id facerent Author præcipuus fuit Bellarminus. Alij præterea pluribus in locis Doctores Academici, vel exemplum nostrum in hac re, vel consilium secuti.* Adde Academiam Duacensem Louaniensis filiam non posse non eius methodi sectandæ Bellarminum tandem authorem recognoscere. Ingolstadium eam scribendi methodum Valentia primus inuexit; atque ex eo, & nostris in Pragensem, Herbipolensem Colonienses, & reliquas catholicas Germaniæ vrbes, quæ nostris Professoribus theologis vtuntur) inducta est. Parisiis primus Ioannes Mariana ingenio, & eruditione nobilis, ea methodo est vsus Compluti doctor Alphonsus Deza magnus Magistrorum, & scriptorum Parens, qui postquam Franciscanis Patribus laicus Scotum summo ingenij acumine interpretatus publicè fuit, societatem ingressus ad partum S. Th. interpretationem ea felicitate se dedit, vt eius doctrinam mirifice illustrarit, & sua (quæ maxima erat) authoritate confirmarit. Eadem præstitit Vallisoleti noster Ioann. Martinæ Soarij, & Valentiæ Magister Salmanticæ eandem legendi normam noster Michaël Marcus se legit, vt iuxta Angelici præceptoris. Sexiem eius doctrinam publicè interpretarerur, ac de suo etiam penu firmaret. Eo enim vsque è Salmanticensibus Dominicanis Proceribus theologis, nemo S. Doctorem interpretari, eiusve methodo docere curauerat. Nec ille magnus Thomisticæ doctrinæ instaurator Magister Victoria vtriusque Soti, Cani, & Mancij Magister; sed alij Magistrum sententiarum interpretabantur, vt Dominicus Sotus, vel alia sibi opera scribenda præstituere vt Petrus de Soto, & Canus. Nostri ergo, cum nemo externus, vixque è Dominicanis aliquis (præter Caietanum, qui nuper non tam iustum commentarium, quam breuia, & si ingeniosa, scholea sine post illam summæ S. Th. Theologicæ adiecerat) S. Doctoris methodum in lecturis, & scriptis secutus nedum eius interpretationem, exorsus fuerat, id studij, & laboris aggressi, magna tanti Doctoris gloria omnium Academiarum professores suo hortatu, & exemplo in eam scribendi methodum trahentes S. Thomæ interpretes fecerunt. Videant Dominicani Patres quale, quantumque nostrorum Iesuitarum in S. Th. studium fuerit: siquidem, quod vix ab vno, vel altero ex suis, tot sæculis Angelicus Doctor obtinuit, non solum à cunctis nostris Theologis, qui è laboratissimis commentariis in ipsius summum Bibliothecas opplent, sed eorundem labore, hortatu, & exemplo à reliquis Theologis (quod vltra suorum vota, & saltem modestam spem iure videretur) eius interpretationi vbi vis catholicorum insudetur.

4. Neque vero nostrorum laboribus id solum effectum est, vt Theologi, ab Scotistis, reliqui S. Thomæ methodo, & interpretationi incumbant: Sed eius doctrinam adeo stricta lege, & professione sequantur: vt verbo, & scripto eius authoritatibus sententias suas in primis confirment, & si quæ aduersum aliquid sonent, doctis, subtilibusque interpretationibus conciliare, quasi ex præscripto tenerentur. Vtque id totum nostrorum exemplo, quibus in tantum Doctorem pius amor id oneris primum iniunxit, obtentum esse clarescat, euolui priscorum libros imprimis oportebit: ex quibus nullus inuenietur, qui ad alterius sententiam confutandum S. Th. authoritatibus vtatur: quarum ad eam rem vsus intra septa, & gymnasia Dominicana claudebatur, quousque societatis nostræ scholæ apertæ, ac libri editi sunt, qui vniuersim id genus argumentorum familiare scholis fecerunt. Opportebit secundo statum ante id temporis doctrinæ S. Th. paucis exponere. Etenim apud Parisiensem scholam S. Th. antea bonus quidem author habebatur; sed nil præterea iuris sibi vindicebat, partes præcipuas ibi habentibus Durando, qui totus à S. Th. diuersus erat, & magno plausu ad sæculum vsque proximum à Parisiensibus colebatur. Nec minus doctrinæ Thomisticæ infensi Nominales, qui è Franciscanis, & schola Scoti orti, non ignobiles Dominicanos etiam Magistros (in quibus Rupertus Holcoth) in suas partes pertraxerere ea doctrinæ, & ingenij laude, vt eius sectæ author Okam Parisiis primum, & vbiuis inde *venerabilis inceptor* fuerit proclamatus. Germani vero, & Belgæ ea tempestate ad fidei controuersias intenti rem scholasticam magnopere curabant, sed sacræ scripturæ, & Patrum, & prophanæ linguarum eruditioni, quæ illis (vt tempus, & occasio ferebant) ex potiori vsu esse poterat, incumbentes scholasticam S. Th. latinitatem horrebant maximè, cum eam ab hæreticis, quibus cum futura illis res erat, non modo negligi viderent, sed irrideri. Vulgatissimum quippe illud Lutheri habebant: qui è litterario cum rei scolasticæ peritissimo Caietano congressu tunc dixit, *Nihil* mirum, *se in Caietano inuenisse præter notam quandam grammaticam, & allegationes ex cap. firmiter de summ. trinit.* Neque apud Italos maiori in præmio doctrina S. Thom. habebatur. Cum enim nobilis è societate concionator Hispanus Neapolim aduentaret, atque ex Hispaniæ more, & in S. Thomam amore, sancti huius doctoris authoritatibus in suggestu vteretur, à nostro Salmeronio tunc ea in vrbe celeberrimo, & S. Th. doctrinæ (vti scripta eius testantur) addictissimo, nihilominus est admonitus crebris S. Thom. citationibus in suggesta abstineret: quoniam illo & tempore, & plaga, etsi immerito S. Thomæ frequentes allegationes minus longè, quam deberent plausus conciliarent. Adeo apud ceteras nationes res Thomistista eo sæculo iacebat. Sed neque in Hispania eius status erectior, & fortunatior. Animis siquidem ad arma, & Sarracenorum expulsionem per tot annos euocatis, non aliorum facultatum modo, sed vel latinitatis ignorantia Hispaniæ etiam Academiæ tenebantur. Pauculique neque admodum insignes. Nominales è Gallia, quasi cleemosynæ loco, dati Hispanis non multis prælegebant: quare cum eminentissimus Cardinalis Franciscus Ximenius insigni Complutensis Academiæ à se magnificæ structæ decoris Theologiæ Magistris vellet prouidere: quos in Hispania non reperit, eos è Parisiensi Academia & Nominalium præcipuè secta, multo honore, & mercede conductos neque exiguis ad viam sumptibus, Complutum adducere coactus est. Nec multum temporis abiit, ex quo, qui eos ex lecturis, conuersatione, & nominibus norunt, multaque proinde de illis, nobis etiam narrabant fato concesserunt.

5 Verum

5. Verum quidem est Salmanticæ, non ita ante aperta gymnasia nostra pridem, ingenio acrem, & profundum virum Magistrum Franciscum Victoriam Dominicanum iacentem doctrinam Thomisticam erexisse. Eius subinde discipuli, & in Cathedris Salmantinis, quibus potiebantur Dominicani, successores viri, pro ea tempestate (qua qui sciebat solum scire totum dicebatur) satis docti Sancti Thomæ nomen, & gloriam auxere. Sed nondum is ei honos eiusque doctrinæ alicubi Academiarum deferebatur, qui hactenus scripturæ conciliorum, & Magnorum Ecclæ Patrum proprius fuerat: vt scilicet eius, authoritatibus, tanquam firmis fundamentis, Theologi vterentur: & quibus respondere, quibus possent, aptis interpretationibus, alij in disputationibus, fere ex iure, deberent. Primus autem S. Th. testimoniis ad suas vniuersim sententias confirmandas, ac sono aduersantium interpretationibus vsus apud Germanos fuit, Petrus Canisius tantæ doctrinæ authoritatis, & Sanctimoniæ vir, vt eius scripta ipsis hæreticis in veneratione fuerint. Postea exactius adhuc, & generalius totis suis commentariis idem præstitit Valentia: apud Belgas, Bellarminus, Patiensibus Mariana, Franciscus ille Toletus, & Maldonatus magnum vterque fidei, & Ecclesiæ columen: qui, licet de more illius Academiæ Magistri sententiarum methodo legerent S. verò Thomæ sententias docebant, & illius trahant. Michael Marcus, & Ioannes Martinez Pincianis & Salmantinis, Molina, & Soarius Lusitanis. Alphonsus Deza & Vasquez Complutensibus. Alijque aliis, vti ex eorum innumerabilibus commentariis in D. Thom. patet: quorum exemplum, cum incommentando, tum in S. Thoma defendendo reliqui etiam Dominicani sunt secuti: æquale ne aliud nostro in S. Thomam eiusque doctrinam amplificandam studium Dominicani Patres ostendent?

6. Sed quintum veri discipulatus S. Thomæ signum notat idem author inferius: illudque est. *Maior vnitas, & concordia insequenda doctrina D. Thomæ.* Cuius rationem reddit inferius, & concludit. *Quare vbi maior est vnio insequenda doctrina D. Thom. ibi, maior est dispositio ad assequendam veritatem: & sic ibi apertius est signum sincerioris discipulatus S. Th.* Sed enim vt vidimus toto certam. 2. nostrorum cum antiquis omnibus, certoque discipulis S. Thom. ea concordia est, qua nequeat excogitari maior, atque cum Doctore Sancto non minor, vt constat ex cert. 1. siquidem, non in sententia solum, sed & in verbis ipsis cum illis conuenimus: vt non minori violentia illi in aduersum sensum pertrahi posse videantur, quam nos ipsi patiamur adduci. Sed voluit tamen Ioannes à S. Thom. vnionem hanc maiorem, vel minorem circa S. Th. intelligentiam in eis tantum considerari, qui in præsenti materia, & pauculis aliis partes ducunt aduersas: nimirum inter Thomistas, seu Dominicanos recentiores, & Iesuitas nostros: & quamquam, ita intellectum (quin de ptiscis S. Thom. discipulis in ea vnionis, & concordiæ comparatione sit ratio habenda) hoc signum primo illi certissimo contradicat, & alias sit, non inefficax solum, sed reprobum veri discipulatus S. Th. argumentum; in eo tamen Iesuitas Dominicanis recentioribus valde præstare facillime ostendemus. Et primo quidem argumenti eius vitium, vel inde claret: quod facile possit recentibus scholæ cuiusvis sententia aliqua, quæ suo duci in mentem non venerit, imo, quam ipse fuerit auersatus, conuenire, eandemque ipsi ab eis absque fundamento attribui contra antiquorum omnium eius interpretum intelligentiam: an ex hac recentium ipsum interpretandi concordia vera illius intelligentia, & schola dignoscetur? Id autem Recentioribus Thomistis in præsenti materia contigisse facile comperiet, qui eorum antesignani Bannez expressas contradictorias propositionibus S. Thomæ animaduertat cæteris eius sectæ Dominicanis Recentioribus annuentibus S. Thom. in 1. d. 38. ait, *effectus contingentes in causis, qua se ad vtrumque habent nullam habere certitudinem: quare in his nullo modo cognosci posse.* Et 1. part. quæst. 14. art. 13. corpor. *effectus contingentes in causa non attingi.* Bannez concul. 3. commentar. ait: *Deum cognoscere futura contingentia in suis causis, sed determinatis, & completis:* quasi de incompletis, de quibus nulla apud cordatum Theologum quæstio esse poterat, S. Thom. loqueretur, cum id allegat de causa ad vtrumvis potente absolute: & tamen incompleta causa ad neutrum absolute possit S. Thom quæst. 23. artic. 7. teste Caietano, §. *quod primum. Plura esse Deo certa præcognoscitiue qua non præfinitiue ait*, oppositum Bannez comment. §. *Ad 4. argum.* S. Th. 1. 2. quæst. 80. art. 1. ad 3. asserit, *determinari à se directe, & à diabolo per modum suadentis voluntatem humanam ad malum consilium*, Bannez 1. par. quæst. 23. art. 3. dub. 2. §. *Sed hac doctrina* ait, *Parum Catholice dici voluntatem se determinare ad bene, vel male operandum: quia ad omnia à Deo determinatur.* Et consone quidem id à se præiacto principio citat. quæst. 14. art. 13. §. *Hactenus explicuimus*: scilicet, *ita à causa prima omnes secundu ad suos effectus determinari, vt nulla causa secunda possit exire ab eius determinatione.* Et quæst. 19. artic. 8. §. *Sed antequam.* Iterum, *Deum omnes causas determinare, & modificare ad suos effectus*, ac subinde: *causam modificatam ab alia superiore non determinare seipsam;* Contra vero S. Th. in 2. d. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3. ait, *determinationem actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constitutam esse: vnde remanet illi Dominium sui actus*, quæst. 1. de pot. art. 4. ad 3. *Dicendum: quod, licet causa prima maxime influat in effectum; tamen eius influentia per causam proximam determinatur*, quibus similia 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. q. 10. art. 4. ad 3. & alibi pluries vt cert. 1. vidimus. Illud tamen omittendum hic non est ex 2. sententiar. d. 39. corpor. *ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed, quod determinate exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Obstinato docet Bannez 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 2. docum. 3. *Cum æquali Dei auxilio, quo Deus misericorditer cor hominis excitat, & præparat, non stare, vnum conari magis, vel minus, quam alterum*, in quo contradicit S. Th. 3. p. qu. 69. art. 8. ad 2. aienti, [Dicendum: quod hoc, quod in baptizatis maior, vel minor gratia appareat, potest dupliciter contingere, vno modo: quia vnus in baptismo percipit maiorem gratiam, quam alius. Alio modo: quia, etiamsi æqualem gratiam percipiant, non æqualiter ea vruntur: sed vnus studiosius in ea proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.] Et in 25. Matth. ad id, *vnicuique secundum propriam virtutem*, inquit, *si autem quæras quare vnus magis habeat de gratia, quam alius. Dico, quod huius rei est causa proxima & prima. Proxima est maior conatus istius, quam illius: causa prima est electio diuina.* An eius, qui ita aperte S. Doctori contradicit, & eorum, qui in principio earum omnium contradictorium, scilicet prædeterminatiuis præfinitionibus, & physicis prædeterminationibus, ac obinde in eisdem propositionibus cum Bannez conueniunt, & tanquam ducem iurato sectantur, concordia verum S. Th. discipulatum demonstrabit, nonne potius nostrorum, qui cum S. Th. illud execrantur Principium, ac memoratas omnes eius consectarias propositiones facillime tuentur imò illum euidenter ostendent?

7. Sed tamen misso euidentissimo argumento illac eamus, qua nos Ioan. à S. Th. duci desiderat: demusque conuenientiam maiorem Doctorum recentium alterius è duabus sectæ circa S. Th. intelligentiam (nulla siue testimoniorum eius, siue antiquorum discipulorum, & interpretum ipsius habita ratione) veri discipulatus S. Th. maius esse argumentis: ostendamusque eo etiã, quali, quali argumenti genere Dominicanos Recentiores à nostris superari. Tanta enim est Recentium Dominicanorum in re præsenti, eiusque consectariis opinionum diuersitas, alio rumque contra alios pugna, & rixa iamdiu à nostris, & sumatim à R. P. Fr. Petro à S. Iosepho in defens. S. Th. d. 2. sect. 10. n. 1. circa finem notata, vt nec cum veritate, verave S. Th. intelligentia conuenire queat. Certa siquidem dignaque Ciceronе in simili Philosophorum diuersitate sententia est. In tanta opinionum varietate, *alterum fieri profecto potest, vt earum nulla, alterum certe non potest, vt plus vna vera sit.* Incipiamus à conditionatorum scientia: quam solum coniecturalem primos illos huius sectæ Dominicanos duces admisisse ostendimus d. 4. de Sciẽtia q. 1. cert. 1. Ex iis vero, qui certã eorũ scientiã Deo negare non audebant, decreta illa subiectiue, siue ex parte actus absoluta, & obiectiue, seu ex parte obiecti cõditionata cõmenti aliqui sunt; aliis nihilominus ex eorum etiam sociis, tanquam chimærica, & inania reiicientibus, ridentibus, & exsibilantibus, vt vidimus d. 5. quæst. 2. Physicas prædeterminationes, ac

ſubinde præfinitiones noſtrarum actionum prædeterminatiuas (de quibus agimus) Magiſtri ipſorum nobiliſſimi Ioannes Conzalez Albelda, Victoria, Sotus vterque, Mancius, Ioan. Vincentius, Arauſo, Laurentius Gutierrez Ioãnes de Neapoli Biedma & memorati ſupra plures fuerunt pertæſi. Sed, quia o binde Thomiſtarũ purorum cœtu, confraternitateque expunguntur, ex coctorum ferreorum iudicio ad purum Thomiſtarum ea in re conuenientiam inſpiciamus. Quidam enim ex illis prædeterminatiuas præfinitiones, ac præmotiones phyſicas ad omnes noſtras actiones, etiam prauas, acerrime tuentur. Contra verò ex iiſdem alij illas ad eas ſolum, quæ vel honeſtæ, vel indifferentes, ſi quæ ſint, actiones noſtras admittunt; ad prauas autem negant, tanto in primos illas aſſerentes ſtomacho, vt illos impietatis, blaſphemiæ, aliiſque cenſuris proſcindant. Et hi quidem in Deum, alij verò in conſequentiam religioſiores vt clarebit qu. vlt. & alij vniuerſim phyſicas prædeterminationes, earumque ſubinde decreta, reiectant, ſolis moralibus admiſſis. Videat nunc ſigni huius quinti præſcriptor qualis, quantaque ſit, vel Recentiorum ſuorum Thomiſtarum in S. Thoma interpretando concordia: eorum ſiquidem quivis diſputationem ſuam crebris minutiſſimis, etiam lineatim, S. Thomæ allegationibus magnam tranſigit partem. Et, ſane cunctis Angelicus Præceptor fauere non poteſt, quin toties ſibi (quod dictu nefas eſt) contradicat, quoties Thomiſtæ hi alij aliis, vt vidimus repugnat.

8. Contra verò noſtrorum ea in re, & aliis, in quibus veritatis, & doctrinæ S. Thomæ tuendæ gratiæ à recentibus hiſce diſcedunt, concordiam quis non videat? Nemo inuenitur, qui certam Deo conditionatorum contingentium ſcientiam denegarit. Nemo, qui, vel conditionata illa ad ipſorum pro eo ſtatu conſiſtentiam, vel ſcientiam eorum diuinã ad fui infallibilitatem decretis ex parte ſubiecti abſolutis, & conditionatis ex parte obiecti opus habere defendat. Nemo item qui noſtrarũ actionum liberarum prædeterminatiuas, præfinitiones ab arbitrij noſtri libero vſu omnino independentes, ac prædeterminationes phyſicas non fuerit exoſus. Nemo tandem, qui ad has, ſiue ſcientiæ mediæ, ac non intrinſecæ gratiæ, & neceſſario præcedentis prædeſtinationis, ſeu miſericordis voluntatis diuinæ efficaciæ concluſiones S. Thomæ teſtimoniis ſincera, eademque facili aperta interpretatione non vtatur. Ergo ex quinto hoc ſigno, etiam, vt eius præſcriptor intelligi voluit, verus S. Th. diſcipulatus, atque adeo vera ſchola Thomiſtica in Ieſuitis, non autem in Dominicanis recentibus extat. Sed enim nonnullam noſtrorum diuerſitatem in auxiliorum efficacia, & in actus influxu explicandis aduerſarij notant. Ea tamen eſt, quæ ad controuerſiæ cum Thomiſtis recentibus punctum nõ ſpectet. Eiuſmodi eſt Molinam, Bellarminum, & Leſſium gratiæ auxilianti phyſicum influxum, & efficientiam in actum concedere; Vaſquez verò, & Soar. ſolum intentionalem. Illa item quod Molina, & Leſſius nullam illi in actu primo efficaciam tribuant, ſed ab ipſo abſoluto conſenſu efficacem æſtimant; aliqua verò ratione eam in actu etiam primo illi deferant Bellarminus, Valentia, Vaſquez, Soarez, & poſt noſtri Reuerendiſſ. Præpoſiti Generalis Claudij Aquaviuæ præſcriptum omnes. Neque ij tamen eodem prorſus modo: ex eis enim alij à ſcientia ipſa conditionata efficacem dici vocationem cenſent. Alij verò à conditionato ſub illa futuro, quibus, & nos annuimus: Verum hæ omnes diuerſitates extra punctum controuerſiæ cum Dominicanis recentibus ſunt: cum omnes in eo conueniant, quod auxiliorum efficacia infallibilis intrinſeca illis non ſit, neque proinde ex parte actus primi cauſalitate conſenſum formaliter realiter præcedat; ſed ſolum materialiter: quatenus auxilium, quod efficax aliunde, quam à ſeipſo, efficax ab extrinſeco vſu noſtræ voluntatis denominatiue ſolum eſt, in actu primo conſenſum præcedit. Volunt autem alij ante abſolutum conſenſum à conditionato ſolum eam efficaciæ denominationem ſufficienter deſumi: quare & efficaciam ipſam eo prioritatis genere, quo conſenſus conditionatus abſoluto præcedit, ad hunc ipſum præcedere, ſcilicet prioritate maioris vniuerſalitatis: quo etiam pacto ſolum præcedere docent, qui eam efficaciam à ſcientia conditionata deſumunt: quanquam, vt dixi, & ſi hæc auxilij efficacis donationem, & auxilium ex ea donatum maius quid in ratione gratiæ, & beneficij conſtituat; nihil tamen illi efficaciæ (ſeu, vt ſic loquar) effecturitionis confert: quæ ſatis, ſuperque ab eius obiecto, ſcilicet conditionato conſenſu, quod ſupponit, tributum illi non ſit: eodemque modo tribueretur, etſi non ex ea ſcientia, & conſilio; ſed caſu auxilium illud homini tribueretur.

6. Ideo ab efficacis auxilij conſtitutione ſcientiam mediam ſecludunt, ſolamque conditionatam futuritionem merito aduocant, Herize tr. de Scient. d. 7. c. 3. & 16. Meratius tom. 2. tr. de grat. d. 6. ſect. 7. ſent. 5. Ioan. Phelippeus t. 1. in Oſeam c. 2. verſu 14. n. 12. Maſcareñas de auxil. d. 3, p. 4. n. 1. Fr. Petrus à S. Ioſeph. d. 7. de grat. ſect. 9. Andreas Duuallius Doct. Sorbonic. to. 1. & in 1. 2. tr. de hum. actionib. q. 3. de lib. arbitr. tit. *quomodo gratia*, ad 3. arg. Neque alios ex noſtris (præter Didacum de Alarcon) qui pro conſtitutione efficaciæ auxiliorum in actu primo explicato ad ſcientiam mediam recurrere videtur) præfatæ conſtitutioni, à futuritione conditionata ſolum abnuere reor. Siquidem ad certitudinem obiectiuam, ſiue neceſſitatem eſſendi conſenſum abſolute purificata conditione, ſub qua futurus conditionate erat, & in potentiam conſequentem non eſſendi poſita conditione, ſub qua conditionate præuiſus eſt futurus, tandem recurrunt, vt videre eſt in Valq. t. 1. p. 1. d. 98. c. 8. n. 50. Soar. lib. 2. de Sciẽt. condition. n. 65. Tannero t. 2. d. 6. de grat. q. 2. dub. 6. & aliis. Nec tandem ipſa Molin. & Leſſ. ſic explicitæ efficaciæ in actu primo repugnant: cum mediorum certitudinem, ſeu firmitatem, cui prædeſtinationis certitudo innititur, inſcientiã tãdem mediam, & conditionatã obiecti futuritionem ſub conditione auxilij, quod prædeſtinatio de facto abſolute ponit, tandem refundant, vt videre eſt in Molinæ concordia q. 14. a. 13. d. 12. §. *Eſt autem*, d. 50. §. *Tripliciter ſcientiam*, & q. 23. d. 1. m. 9. concl. 2. & m. vlt. §. *Quantum eſt quod*. Vnde, ne in iis quidẽ, quæ extra punctum controuerſiæ cum Dominicanis recentibus ſunt, vllam re ipſa in hiſce rebus diuerſitatem eſſe perſpicuum eſt: vt appareat quam inaniter Ledeſma de auxil. definit. 2. affini concl. 5. §. *Tertio probatur*, & Zumel t. 2. opuſc. concl. 6. to. *Animaduerſio pro nobis*, noſtrorũ in materia præſenti diſſidia clament, quæ fingunt quia fortaſſis rem non penetrant: ſed horum tamen non cũ aliis, ſed vniuſcuiuſque ſecum apertas pugnas inferius notabimus: interim tamen accipe quæ de Zumel iſto erudite obſeruat Faſſolus noſter 1. p. to. 2. q. 14. ar. 13. d. 9. n. 110. *Solemne*, inquit, *huic ſcriptori eſt, nunc noſtris, nunc aduerſariorũ ſententiis, prope modũ verba ipſa deſcribẽdo adhærere.*

10. Verum quoad rem ipſam ſuis nonnullos ex noſtris referunt in re præſenti adhærere. Aluar. 1. reſponſion. c. 1. n. 25. ait: Henr. lib. vlt. de fine homin. c. 4. n. 2. docuiſſe Deũ in conditionali, quod habet decreto noſſe quid homo in tali rerum periſthaſi faceret, Et c. 6. n. 2. ait, docere ité humanos actus abſque libertatis diſpendio à Deo præfiniri, ac prædeterminari. Repetit. 7. reſpõſion. c. 1. n. 9. Addit Ledeſma ita eum pro ſua ſtare opinione, vt aduerſos acriter reprehendat. Verum (præter de eo, & Pererio dandaq. 7. cert. 15.) etſi ita fuſe pro aduerſariorum ſententia diſcurrat, vt deceptionis anſam auide quærentibus neque ita intente legentibus præbere poſſit; neutrum tamen, ſed vtrique potius oppoſitum eo c. 4. verſ. 2. docuit aiens. *Nouit enim Deus præparare voluntatem noſtram, ac munire vt, tantis, talibuſque auxiliis, & cauſarum concurſu, & conditionibus, vt infallibile ſit ſcientia diuina ſecuturum eſſe actum prædefinitum & liberum.* Vbi inprimis phyſice prædeterminatiuas præfinitiones reiectat: cum coniunctũ cauſarum, & circunſtantiam deſigner, neque illas ſolas ad cõſenſus, ſeu effectus conſecutionem, & de eo ſcientiæ (vtique conditionatæ) infallibilitatem, cui abſolutæ omnino præfinitionis, & actus ſubinde præfiniti certitudo innitatur: quod ſi de ſcientia non conditionata formaliter, ſed priori alia naturali loquatur propenſionis volũtatis creatæ, & cumuli auxiliorum totius, quem in ſua omnipotentia cohiber, & cui cõiunctim creata volũtas reſiſtere nequeat, etſi omnibus diuiſim valeat, reſiſtere, eamque ſolam naturalem ſcientiam præfinitioni (quam erga omnes actus noſtros non prauos admittit) cenſeat præcedere (vt ibi & c. 6. in gloſſa lit. L. & n. 4. & in gloſſa lit. X & c. 5. n. 6. & in gloſſa lit. B. & c. 14. num. 8. docere videtur) ſcientiam verò conditionatam contingentis conditionati præfinitionem huius in hypotheſi cum reliquis conditionibus ſupponere, ipſique innixi (vt clarè docet eo capite quarto, num. 2.

num. 2. & c. 6. n. 4. & in glossa lit. X.) nihil tamen docet, quod Thomistarum sententiæ, siue de physicis prædeterminationibus, siue de præfinitionibus de se efficacibus faueat. Ij enim non in cumulo auxiliorum contingentis certam futuritionem, & scientiam, atque præfinitionis suæ infallibilitatem, siue infrustrabilitatem collocant; sed in intrinseca entitate cuiusque auxilij efficacis, seu prædeterminationis physicæ; eamque siue præfinitionem, siue scientiam contingentis impediri à voluntate nostra posse negant; Henriquez vero non in cuiusque auxilij entitate, sed in eorum cumulo præfinitionum suarum infrustrabilitatem, & scientiæ illius, qua regulantur infallibilitatem ponit: ac insuper impediri à nostra voluntate præfinitiones suas posse, ne fuerint, docet cap. 6. idque facilius percipi, quam posse impediri diuinam contingentium nostrorum scientiam: quam tamen impediri posse, ne fuerit, docet ibi n. 7. & in glossa lit. X. firmat authoritate Scoti, Vegæ, Cordubæ, Gabrielis Okami, Richardi, & S. Bonauent. Quatenus vero è nostris præfinitoribus Suaristis non obstante intrinseca auxiliorum indifferentia in suis hisce præfinitionibus, & scientia, qua per ipsum regulantur, Henriquez, vel discreper, vel conueniat, Controuers. de Dei volunt. d. de præfinitionibus suauioribus videbimus.

11. Stat ergo firmum, & certum Henriquez, tam eo cap. 1. quam toto illo lib. vlt. de fine homin. solas præfinitiones diuinas nostrarum non prauarum operationum per scientiam illam præfatam regulatas admisisse; quas tamen aliquando motionem Dei actuam, quandoque determinationem, nec semel prædeterminationes appellat. Nec mirum illum eis tunc vocibus vti, quibus postea aduersarij, vel abusi fuerint, vel decepti, vt eum in suis castris numerarent. Siquidem illum suum librum, quem multis retro annis composuerat typis dimisit anno 1593. integro scilicet, vt minimum, anno ante ortam nostrorum cum Dominicanis controuersiam de scientia media, & auxiliorum efficacia occasione conclusionum eis de rebus habitarum Vallisoleti anno 1594. Ex tunc autem valde Dominicanæ doctrinæ aduersabatur. Nam de præfinitionibus ex parte obiecti conditionatis hæc habet ad eius numeri finem. [Nec vlla ratio, aut authoritas cogit dicere, quod Deus actu libero prædefiniuit omnia futura conditionalia: nempe, quis effectus, aut qualis operatio sequeretur, si in tali, aut alio statu, aut concursu circumstantiarum constitueretur: Nam hic actus in Deo videtur otiosus, & nihil facit ad rerum productionem, conseruationemque, aut decorem vniuersi] Addenda eiusdem sententia c. 14. n. 9. [Si quis consideret speculatiuè duos homines omnino æquales in naturalibus bonis, in habitus, & causarum concursu, & eos moueri auxilio omnino æquali ex parte obiecti, & potentiæ: non videtur implicare ex natura rei, vt vnus cooperetur, & conuertatur, altero non conuerso.] Quod tamen ex natura efficaciæ intrinsecæ auxiliorum, etiam inæqualibus, ne dum in omnino æqualibus, repugnat, aduersariis fatentibus, subditque: [auxilium eius, qui conuertitur, solum esse maius moraliter auxilio alterius, qui non conuertitur.] Frigidius adhuc Zumel t. 1. opusc. d. 5. sect. 1. §. *Adducuntur pro nobis*. Refert pro se nostrum Eminentissimum Toletum in c. 6. Ioan. annot. 21. in id. *Nisi Pater, qui misit me traxerit eum*. Vbi tractione bene explicari gratiæ efficaciam ait, qua non vi, aut necessitate trahimur, & in c. 17. ad id *quos dedisti mihi ego custodiui*. Ait Iudam potuisse non peccare, si vellet, quia ad non peccandum auxilium habuit sufficiens, & ideo etiam reliquos peccare, quia volunt, cum possent vitare peccata. Sed certè, cum in contraria sententia necessitas veniendi ad Deum præfinitione, & prædeterminatione inducatur absolutè, neque cum illis potentia ad oppositum saluetur, ac subinde, neque in non prædeterminato auxilium sufficiens. Ex his solum locis ego nostra sententia stare Toletum satis deduceretur. Sed expressior adhuc est annot. 18. in c. 10. Lucæ ad id. [in Tyro, & Sidone, vbi habet. Nota quarto: Deum quibusdam talia dare auxilia, quæ, si aliis daret etiam magis peccantibus, vtique conuerterentur; & tamen illi, quibus dantur non conuertuntur.] Nequirent autem illi conuerti de facto absque efficaci auxilio; neque isti non conuerti, si intrinseca illi, efficacia aduersariorum esset. [Petgit sæpè enim fit, vt Deo vocanti vnus consentiat, alter non, arbitrij libertate: quod, sicut, cum Dei auxilio operari potest, ita & eidem refragari, & resistere valet.] Et commentario proprio manuscripto l. 2. quæst. 109. art. 7. fine docet [In potestate hominis esse, vt auxilium à Deo datum sit efficax, aut sufficiens tantum.]

12. Camerarius apud Eugenium Philadelphum exercit. scholast. tripartita appendice ad ipsum physicam prædeterminationem tribuit nostro Benedicto Pererio ob huius verba 8. Physicor. cap. 8. [Verum esse, atque iuxta D. Thomæ mentem voluntatem nostram à Deo moueri, applicari, & determinare ad volendum.] Sed hæc satis laluarentur de motione, applicatione, & determinatione ad volendum bonum in communi, vt ex S. Thom. suprà retulimus, & explicuimus. Hunc autem, vel aliunde determinatione, & applicatione comitante, ac nullatenus præuia, nisi quatenus dicit prioritatem concursus diuini maioris vniuersalitatis, & voluntatis in essendo, & operando dependentiam à causa prima c. 9. explicuit Pererius scribens. [Voluntatem à seipsa determinari; alioqui nihil laudabiliter, aut demeritorie operaturam. Si enim voluntas ita moueretur à Deo, vt ipsa se nullo modo moueret, & ad agendum determinaret, omnis profecto meriti, & demeriti, & libertatis ratio funditus tolleretur. Sed, quia Deus, sic eam mouet, vt ipsa nihilominus simul etiam seipsam moueat, & per suam deliberationem se determinet ad agendum hoc, vel aliud quidpiam: ob eam causam appellatur libera.] Postea eius sub ordinationem, & dependentiam in operando nomine applicationis significatam, & à qua libertas causæ creatæ non eximitur, subdit. [Non enim intelligendum est, voluntatem esse liberam omnino ita, vt à nullo pendeat, nullique subiiciatur. Hæc enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus.] Et subinferius vtrumque agens sic discriminat. [Quia adhibitis, positisque omnibus rebus, quæ ad agendum ex parte obiecti requiruntur, ita, vt nihil desit, nihilve obster, agens naturale non potest non agere. At voluntas etiam tunc, potest agere, & non agere, & agere illud, quod ei proponitur vel etiam contrarium.] Consonat eidem doctrinæ lib. 16. in Genes. c. 11. d. 7. n. 95. ad id. *Non desistent à cogitationibus suis*. Ex quo loco pro nobis refertur ab aduersariis; Cabrera, scilicet, t. 3. in p. 3. q. 62. d. 12. §. 7. n. 148. Ledesma de auxil. d. 2. affini de scient. condition. dif. 2. §. *In hac difficultate*. De Patribus Michaële Marco Salmanticæ, & Andrea Martinez Vallisoleti gloriantur aduersarij. Quod suis partibus accesserint. Cæterum Primus solum admisit cum æquali auxilio gratiæ non posse consentire vnum, dissentire alterum; non loquitur autem de æqualitate entitatiua, sed in ratione gratiæ, & beneficij: quod in nostra doctrina certissimum est. Secundus contra physicas prædeterminationes acriter prælegit: Id quod, cum ex eorum Theologicis manuscriptis est certum: tum etiam ex epistola Vallisoleranı Primarij Doctoris Ioan. Garcia Coronel suprà recitata, qui omnes Vallisoletanos, & Salmantinos nostros (in quibus hi duo præcipui tunc Professores erant) physicis prædeterminationibus, ac proinde prædeterminatiuis præfinitionibus per idem tempus repugnare, generatim testatur.

13. Neque aliud euincere potest argumentum Natarrete t. 2. controu. 21. §. 7. illis contentum verbis *velint nolint isti*, Scilicet Molina, Vazq. Soar. & Calent.) *Qui non sequuntur vestigia maiorum suorum, qui in societate Iesu nati, & ad vbera sanctissimi nostri Doctoris Thomæ & Academiarum eius nutriti perpetuo nostræ sententiæ adhæserunt*. Est autem argumentum nostros scholares iuuenes à Dominicanis Professoribus, eorumque Academiis Philosophiam, & Theologiam initio audiisse; ac proinde, & præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas didicisse, quas, cum nostris postea legerent propinarent. Verum vtroque argumentum hoc claudicat pede. Damus libenter ad Societatis initium decem illis primis sanctissimi nostri sociis totidem sapientiæ columnis, fidei, & Ecclesiæ Catholicæ sustentandæ, atque amplificandæ minimè, vt euentus probauit, imparibus ad societatis inchoantis res statuendas, atque Lutheranorum euertendas, & Principum accitu, & Summi Pontificis iussu distentis, iuuenes nostros à publicis Academiarum

Professoribus audiuisse. An illæ omnes Dominicanis tantùm Professoribus Theologis, vel Thomistis vtebantur? certe neque Salmanticæ, (vbi plurimum potentiæ obtinebant) soli Theologiam docebant. Nam Compluti prævalebant, vt diximus, ea tempestate Nominales; nec quisquam ibi Dominicanus bonæ notæ, imo notus Magister, præter Mancium memoratur, qui inde Salmanticam etiam fuit euocatus. Et Salmanticæ quidem insignis vespertinæ Cathedræ Professor, & Theologiæ Decanus Magister Augustinianus Ioannes de Gueuara prælegebat quo Magistro relati eiusdem sodali Proceres gloriantur. Vix ergo Compluti scholares nostri (vbi tunc nondum fundato Salmanticensi Collegio omnes, & postea nondum satis cõfirmato, & aucto plerique audiebant) Professores Dominicanos, nisi aliquamdiu Mancium, sunt nacti, vt ab eis præfinitionibus, & prædeterminationibus, imbuerentur. Sed & Salmanticæ, etsi Dominicanos Professores audirent, celeberrimum Ioannem de Gueuara nõ omittebant, acerrimum Thomisticarum præfinitionum, & prædeterminationum impugnatorem, qui Alphonso de Mendoza quæstionis 7. scholasticæ contra illas quodlibeticis inferendæ extitit author. Hic ergo & ingenij acumine, & S. Th. eruditione, & qua erat authoritate maxima, satis apud iuuenes nostros vti apud suos destrueret, quod Professores Dominicani ædificare tentarent. Sed esto solos Dominicanos vtrobique scholares nostri audierint. Certe Compluti Magistrum vnum Mancium audirent, qui eas præfinitiones, & prædeterminationes auersabatur Salmanticæ Victoriam forte, vtrumque Sotum, & Mancium, qui easdem in Magistro Bannez reprehendebant. Canus eas (quod sciam) non docuit: nec ipse, nec Bannez à nostris scholasticis audiretur; nisi forte quis credat eos diœteriorum, & probrorum in societatem coniiciendorum, quam Theologiæ, esse discipulos voluisse. Sed demus gratis iuuenes aliquot ex nostris aduersatiorum doctrina (qua velint arte) imbutos fuisse an illi rei nostræ litterariæ maiores habendi sunt, cum iuuenes audirent? an, cum iam Magistri, de suo postea legerunt? Postremum quidem, nil ergo ex eo, duriorum etiam Thomistarum Magisterio euincitur, vt Maiores nostros eiusmodi doctrinam docuisse, atque posteri ab ea recedentes dicantur maiorum vestigia non sequi: cum inter illorum discipulatum, & Magisterium tantum studiorum, & annorum intercesserit, vt possent à suorum Magistrorum sententia ad veriorem, assidua præcipue S. Thom. lectione qui adeo clare vbivis loquitur, resipiscere.

14. Et sane ita euenisse (si forte decepti iuuenes fuere) & constat ex dictis, & ex diuturno tempore, quo primi nostri Professores Theologi docuerunt. Nam Doctor Andreas Martinez Vallisoleti triginta fere totos annos Theologiam docuit, sicuti & Michael Marcos Salmanticæ, & totidem fere Alphonsus Deza Compluti: quo tempore iam Dominicanorum, & Iesuitarum scholæ his de rebus certabant: Iesuitis cunctis (quod secus Dominicani, vt vidimus cert. 2. euenit) sua castra tenentibus, omniumque nomine singulis vbique certantibus: quare certum est satis primos illos Dominicanorum discipulos, vt eam didicissent tunc doctrinam, tandem Magistros dedidicisse. Hoc ita minutim argumentum disiicere placuit: cum ia n abunde à Paulo Leonardo disiectum esset part. 2. responsion. sect. 15. num. 76. discursu sequenti. Etenim Nauarretus t. controuers. 1. Pinciæ edidit anno 1605. qui ab exordio societatis quintus supra sexagesimum erat vita iam Molina, Fonseca, Vasquez, & Valentia vltra sexagenarios functis, præter Vasquez, qui quinquagesimo quinto ætatis suæ anno decessit anno Theologicæ professionis publicæ trigesimo: reliqui vero vltra quadragesimum prælegerant. Soarez verò adhuc superstes quadragesimum circiter annum publice iam docuerat. Assignet nobis Nauarretus antiquiores alios societatis, tunc recens formatæ, Magistros nostros, à quibus hi in ea doctrina recesserint, vt maiorum vestigia suorum illos non sequi probet. Nam coætaneos poterit fortassis plures Maldonatum, Toletum, Bellarminum Marianam, & alios: qui tamen in eadem fuerunt doctrina, etsi maiores fuissent. Sed forte Salmeronem, & primos illos Patriarchæ socios appellet Lainium Fabrum, &c. Sed hos omnes in eadem fuisse sententia constat ex historia Tridentini Concilij, cui fere omnes à Sancta Sede, & Catholicis Principibus Theologorum nomine adstitere, ac præfinitionibus, & prædeterminationibus, non Lutheranorum modo, & Caluinistarum, sed & (si quo nobis occulto, nec dum ab ipsis propalato, differunt, mysterio) Dominicanorum recentium acutis, & accuratis disputationibus coram reliquis Concilij Patribus restiterunt: non modicas illis supperias ferente contra Dominicanum Catanæum Dominico Soto iuxta memoratam supra Petri Suauis, Iesuistis infesti, historiam. Constat etiam ex eruditis Patris Salmeronis commentariis, quæ suis cum Iacobi Lainij Lucubrationibus collatis vtriusque iudicio, & sententia edita sunt. Maioribus etiam nostris Theologis adnumerandus est Petrus Ribadeneyra eo anno, quo confirmata societas fuit nostris adscriptus: vir in Theologia insignis, vt eius varia, etiam historica, opera testantur; etsi mira eius eruditio, & styli suauitas, plurimum historicis manciparint. Sed & hic libello contra præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas recentes Romam à nostra prouincia Toletana misso subscripsit. Constat ergo in re præsenti societatis nostræ doctores siue primos, siue medios siue postremos omnino, verissimæ, & S. Thomæ germanissimæ doctrinæ consensisse; contra vero Dominicanos oppositæ defensores, & à maioribus suis, & à coætaneis, & à se etiam ipsis vicissim antea, & Sancti Doctoris interpretatione discessisse: vt postremo hoc veri S. Thomæ discipulatus, & argumento concordiæ, & signo, non minus, quam reliquis antea expensis, nostra Iesuistica schola vere Thomistica, aduersantium vero, etsi eo nomine censeri velit, anti-Thomistica demonstretur.

QVÆSTIO VI.

Quatenus per scholas alias, & Religiones, cæteroſque Doctores liceant prædeterminatiuæ præfinitiones.

ETsi plures gregatim scholasticos eis præfinitionibus prædeterminatiuis aduersos retulerimus, dum pro nobis Academias omnes qu. 4. recensebamus & qu. 3. dum Senonense decretum Parisiensium examine, & suffragis editum expendere mus: ac de S. Thoma eiusque singulatim discipulis, & schola plus satis quæst. proxima dixerimus: reliquos tamen iam scholasticos pro nobis recensendi locus est opportunus, vt nouitatis, & singularitatis ab aduersariis tentatam sententiæ nostræ notam plenius in ipsos conuertamus. Doctores igitur reliquos omnes qu. hac ita peruertemus, vt pro sua quisque antiquitate præcedat: etsi et eis plures, qui ad varias, vel scholas, vel Religiones pertinent non pro sua, sed pro earum antiquitate numerandi hic sint.

CERTAMEN I.

Franciscana familia sua Scotica schola contra prædeterminatiuas præfinitiones pugnat acerrime.

1. COætanea Dominicanæ Franciscana Religio, ac Thomisticæ scholæ proximo tempore succedentes, & aduersæ ex illa oriundæ Scotica, & Nominalis hunc iure suo sibi vendicant locum. De quibus prædeterminationes physicas, ac subinde prædeterminatiuas suorum actuum præfinitiones constanter, & vnanimiter abiicere extra controuersiam est; etsi enim Scotistarum nonnulli præfinitiones actionum nostrarum siue conditonate, siue absolutè futurarum admittant;

erant; has tamen, non nisi per scientiam mediam regulatas (vti ex nostris plures) admittunt, & neutras ad veritatem status tam absoluti, quam conditionati consistentiam (vti volunt, cum quibus disputamus) requirunt, sed tanquam diuinæ de illis æternæ, & infallibilis cognitionis determinatiuum, ac necessarium verificatiuum, certum, & indefectibile: de quo alia est controuersia contra vtrosque, & nostros aliquos Recentiores à nobis discussa d. 7. de scient. q. 2. Cæterum ad præsentem, quod attinet, difficultatem adeo apertus, & constans Scotus pro nobis est, vt mirum sit aliquos etiam ex nostra schola ipsum pro opposita referre sententia. Scotus ergo in 4 d. 49. q. 6. dub. 1. sic habet. *Nunquam causam secundam præuentam à causa superiore agente ad vnum oppositorum posse potentia propinqua exire in aliud oppositum.* Ergo præfinitio causæ superioris primæ nostram ad vnum præueniens voluntatem, & si potentiam radicalem eius, seu remotam ad oppositum relinquat extremum; propinquam, & proximam potentiam ad illud in voluntate non relinquit, quod ipsum est libertatem proximam, quæ in proxima ad vtrumvis potentia sita est, non relinquere voluntati. Et in quodliber. q. 6. *Si esset necessitas præuia ad voluntatem, & voluntas intelligeretur cadere sub necessitate, tanquam impellente in actum, & figente in actu, voluntas ageretur, & non ageret: nec staret in actu libertas.* Aſt præfinitionis, & prædeterminationis necessitas, & præuia ad voluntatem est, illaque impellitur & figitur in actu voluntas: ergo nec eius, nec actus libertas cum præfinitione, & prædeterminatione stare per Scotum, Valentiam. Rursus ibidem. *Cum necessitatem computitur, tunc necessitas cadit sub voluntatem, sic, quod voluntas propter firmitatem libertatis sua sibi necessitatem imponit, vt in eliciendo actum, & in perseuerando, siue figendo se in illum:* atqui necessitas præfinitionis prædeterminatiuæ non cadit sub voluntatem eo modo hic ab Scoto explicato: ergo in eius sententia voluntatis libertas earum necessitatem non compatitur.

2 Et hæc quidem ad rem præsentem satis ex Scoto clarasc nec obscuriora quæ sequuntur. Ille siquidem in 2. d. 37. q. vn. §. *Ad solutionem istorum* ait *in potestate voluntatis creata est recte agere: ita, quod nulla intelligatur subtractio causæ prioris, propter cuius defectum non possit voluntas recte agere. Si igitur Deus esset prima causa non agens rectitudinem, actus non rectus non esset peccatum.* Quibus docet posito, quod opus ad recte agendum ex parte Dei est, vt voluntas peccet, posse illam nihilominus recte agere, & cum peccare non peccat, ac proinde determinationem ad alterum. Ex parte Dei non apponi voluntati nostræ, sed eius potestati per Dei auxilium, & concursum ex parte eius oblatum completæ, & absolute tali relinqui. Et sub eius §. init. dixit: *Deus quantum est ex parte sui daret rectitudinem voluntati, si voluntas ex parte sui recte ageret quemcumque actum elicitum.* Et inferiuscule. *Causa superior, quantum est de se, causaret: si causa inferior secundum suam causalitatem causaret. Et ideo rectitudinem non causari est propter hoc, quia causa secunda, quantum ad se pertinet, non causat.* Quibus ex parte Dei apposita totum fatetur, quod ad actum rectum requiritur; & tamen, quia ex parte liberæ voluntatis non etiam apponitur requisitum, actum rectum non haberi: quia scilicet Deus illum non absolute efficaciter decernit, sed sub ea conditione si ex parte sui voluntas velit: quod totum ipsissima nostra doctrina est: & d. 25. q. vn. vt Gotfredum assentem voluntatem nostram determinari à Phantasia; Henricum vero aientem determinari ab obiecto cognito impugnet, statuit eam esse vim actiuam voluntatis ad vtrumvis, vt à nullo determinata se ipsam determinet, quod, nisi eius à Deo determinationem excludat, nec generaliter, & absolute diceretur, neque assumi ab Scoto poterat vt principium, ex quo contra præfatos concluderet; sed assumeret pro antecedenti conclusionis impugnandæ contradictorium; quod bardi quidem esset, non subtilis anthonomastice Doctoris. Secundo, quia §. ad 1. & ad 2. principale fine quæstionis respondet: mouens, & motum posse, imo esse re ipsa idem in voluntate, solaque ratione distingui: quod falsum esset, si Deus esset mouens, & determinans, & voluntas solum mota: cum Deus, & voluntas non sola ratione, sed re ipsa infinite differant: quæ his consonant, quæ dixerat in 1. d. 8. q. vlt. circa finem §. *Ad argumenta* post med. *si quæras: quare voluntas diuina magis determinatur ad vnum contradictoriorum, quam ad alterum? Respondeo: indisciplinati est quærere omnium causas, & demonstrationem secundum Philosophum 4. Metaph. text. 9. Principij enim demonstrationis non est demonstratio. Immediatum autem principium est voluntatem velle hoc: itaque non est aliqua causa media inter ista: & ideo huius, quare voluntas voluit hoc, nulla est causa, nisi quia voluntas: sicut huius, quare calor est calefactiuus, nulla est causa, nisi, quia calor. Sed hic est naturalitas, ibi autem est libertas.*

3 Rursus in 1. d. 1. q. 4. fuse probat in potestate voluntatis esse determinare se ipsam, & reliquias potentias ad agendum, maxime ad suos actus, non solum intentionis finis, & electionis mediorum, sed omnes vniuersim, etiam fruitionem vltimi finis, vt constat clarius versus finem quæstionis, §. *Ad argumenta pro opinione.* Et §. *Ad tertium*, quin vsque adeo suæ potestatis esse voluntatem asserit §. *Negatiua istius articuli tertij*, absque vlla ad suos actus, etiam fruitionis Dei in patria, necessitate; vt neque visione beata necessitari illam ad Deum amandum, sed posse visione posita eum non à mare, ac non frui, atque horum actuum omissionem cum illa coniungere doceat. Sed certe in 4. d. 49. q. 6. dub. 1. post §. *Dico ergo* similem libertatem in Beatis asserit, ac subinde libertatem etiam ad peccandum; argumentis in oppositum respondens ostendit deliberate absolute tali, seu potentia proxima & expedita eorum ad non amandum Deum, & peccandum se non loqui; sed solum de radicali & remota, & secundum quid solummodo. Eius verba, quæ aperte etiam contra præfinitiones, & prædeterminationes hasce pro nobis sunt, ita habent: *Respondeo. Potentia operatiua non concludit habentem posse operari, nisi intelligendo secundum quid: scilicet ex parte sui: sed posse simpliciter, requirit, quod ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas: vt scilicet requisita possint concurrere, & impedimenta cessare. Sed vltra istam possibilitatem, potentia vel magis possibilitas propinqua requirit, quod conuenientia adsint, & impedimento cessent.* Inferiuscule. *Operatiuum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit vt operetur.* Si ergo requisita essentialia ad actū liberum voluntatis sunt præfinitio, & præmotio, quæ ad vtrumque extremum oppositum pro instanti eodem esse simul nequeunt, infertur non posse esse potentiam propinquam voluntatis ad extremum oppositum præfinito in sententia Scoti; quia ad appositum contrarie deficit præfinitio, & præmotio essentialiter, iuxta aduersarios, requisita ex parte principij ad illud: ad oppositum vero contradictorie actui præfinito adest, impedimentum essentiale. Vnde recte infert Scotus loco recitato ex eodem dubio voluntatem creatam à Deo præuentam ad vnum determinate ex oppositis non posse potentia propinqua, & absolute tali in eius phrasi in eius oppositum prodire: ac subinde ex Dei præfinitione, & præmotione ad vnum, eius absolutam ad vtrumque potestatem quare, & libertatem absolutam aboleri. Vltimo loco recitandus est Scotus ex 2. sentent. q. 1. art. 4. sic fatus. *Deus dicitur aliquid velle dupliciter. Vno modo absolute, alio modo ex conditione, vel ex quadam conuentione cum creatura rationali. Primo modo concurrit ad agendum cum omni natura agente naturaliter voluntariè* (scilicet voluntarie sumpto ex parte Dei) *illo etiam modo facit, quidquid facit præcise per se ipsum: Et ideo omne tale est ab eo absolute volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntarie ad coagendum cum natura rationali libera, cui tales leges statuit: Quod quidquid ipsa velit, placet sibi coagere ad illam volitionem, licet non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem denotatur. Ita, quod, si fortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum, vel si impediret eum, hoc facit per legem communem.* Quod repetit in determinationibus q. 11. art. 1. & 2. quibus nil clarius contra præfinitiones absolutas, actionum nostrarum, & concursum præuium, & prædeterminantem nos ad illas dici potuit.

4 Et hæc sane explorata toties, & constans contra præfinitiones, & prædeterminationes actuum liberorum Scoti mens satis euincit subtilem, constantiæque, & consequentiæ laude Doctorem præstantissimum, nihil suæ huic doctrinæ aduersum docuisse; & si alicubi verba eius oppositum sonent: quæ obinde hic erunt explicanda, ne laudi derogent suæ. Primum opponitur ex 1. sent. d. 39. à §. *Viso de contingentia*, docet omnia cognosci à Deo in determinatione

suæ voluntatis, nec aliter certo, & determinate cognoscet potuisse. Et d.41.§ *Sed contra istud arguitur*, ait, *Deus non præuidet istum bene usurum libero arbitrio, nisi quia vult, vel præordinat istum bene usurum eo; quia, sicut dictum est d. 39. certa præuisio futurorum est ex determinatione voluntati diuinæ.* consonat d.47.fine, & quod lib.14.post med agens de secundo principali, & quod lib.16. probat late eandem actionem simul necessariam, & liberam esse posse. Et in 1.d.q.1. & 2. §. *ostenso esse* à versu *item* 3. & d.8.q.vlt.d.39. §. *Tertia positio.* & §. *viso de contingentia* citato docet, si Deus concursu quo de facto ex necessitate naturæ nobiscum ageret, nullam fore nostrorum contingentium libertatem: quia causa mouens in quantum mota si necessario mouetur necessario mouet: mouet autē omnis causa secunda in quantum mota à prima: verūm Lychetus in 1.d. 37. Mayronis in 2.d.43. q.4. Scotum interpretantur determinatione non antecedenti, sed comitanti concursus diuini ex suppositione quod nostra se voluntas determinet. Eadem quippe d. 39. §. *quantum ad primum* probat libertatem consistere nostram in potestate ad opposita excludente omnem necessitatem, quæ ex suppositione ipsius actus liberi non prouenit: indeque ad 1.argum.secundæ opin.præscientiæ certitudinem cum potestate ad oppositum conciliat, quia præscientia comitatur quamcumque existentiam rei contingentis: perinde, *ac si te sedente opinarer te sedere; & te surgente opinarer te surgere.* Et eodem pacto nostram libertatem, se ad hanc distinctionem referens, cum diuinæ voluntatis, & prædestinationis certitudine conciliat d.40.q.vn.corp.ait, *Iste, qui est prædestinatus potest damnari: Non enim propter eius prædestinationem est voluntas eius confirmata: & ideo potest peccare: & pari ratione in peccato stare finaliter:* & fine. *Sicut voluntas creata potest mereri damnationem, ita etiam potest concomitanter sequi, quod voluntas diuina non prædeterminauerit ipsum hominē ad gloriam.* Et hinc facilius est, quam aliqui (in quibus noster Ruiz de Montoya d.49.sect 7.n.12.vers. *Dico tertio*) æstimant cum hac doctrina Scoti conciliare oppositā, & similia plura testimonia. Nam illud quod Deus nequeat videre contingentia futura determinate nisi ex sua voluntate, & præordinatione illorum certissimum est omnium sententia: cum, nisi ea futura determinate in se sint, nequeant determinate cognosci: ac insuper Dei voluntatem, & præordinationem, tanquam sui causam necessariam, & essentialem, non autem necessitantem & prædeterminantem, requirant. Ex quo euidenter infertur in Dei voluntate, & præordinatione (non tamen præfiniente, & prædeterminante, tanquam ex medio materiali, determinate cognosci: & specialem qualitatem prænouentem, seu physicè prædeterminantem, quare & ipsi respondens decretum reiectat in 4.d.1.q.1.ad vlt. argum. vers. *Causam etiam secundam*, his verbis: *Ex hoc patet, quod causa proxima in causam secundam propriè dictam, quando simul agunt non est influentia noua, qua fit creatio alicuius rei inhærentis causæ secundæ; sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem.* Eoque causas secundas ab instrumentis differre ait: quod hæ, non nisi per aliquid à causa principali receptum, operantur. Et quamuis aliud agens dist.49.q.6.§. *Dico ergo.* Multum eidem sententiæ fauet.

5. Insignis Scotista Bassolis, & si in 1.d.10. q.vn.art. 3. necessitatem cum libertate euentus absolutè non pugnare doceat; ait explicat statim non loqui se de necessitate principij actiui seu per modum naturæ, sed de necessitate, principij agentis voluntariè, & liberè & quæ non excludat potestatem non agendi, seu agendi oppositum, necessariam ad meritum, ac demeritum, sed quæ satis, vt summum sit, ad rationem voluntarij (quod liberum quandoque & ab ipso, & ab Scoto, & aliis similiter loquentibus appellatur) vt docet sub quæstionis finem. Similiter videtur admisisse nostrarum actionum prædeterminationem per Dei voluntatem, cum qua componi earum omissione queat in 1.d.38. art. 2. Sed nihil tamen minus docet cum ibi §. *Ad primum eorum* dicat. [Nec voluntas diuina immutat aliquid circa modum agendi, vel cessandi contingenter & libere sic enim contingens in se contingēs est; sic à Deo contingenter volitū, & in sua cōtingētia relictū non plus est necessariū, quā si non esset diuina voluntas: adhuc altera pars, non autem vtraque conueniret, & tamen non necessario sic nec modo; & ideo peccat; quantumcumque Deus determinet se non influxurum ad talem actum, cuius scilicet omissione peccat: nec tenetur in illum influere, & ideo non peccat, Deus.] Eodem sensu intelligendus est d.39. art.2. vers. *Dico igitur.* & d.40.art.3. vbi etiam præfinitiones contingentium videtur sonare: sed accipe eum hac d. art. 2. hic fatum. [Diuina scientia de parte negatiua alicuius contingentis (vt, quod sortes non curret) non imponit illi partī necessitatem. Nam diuina scientia, & voluntate circumscripta, adhuc illa pars eueniret, & non necessario, sed contingenter, ergo similiter non imponit necessitatem parti affirmatiuæ, si nouerit eam: vt quod sortes curret. Cum enim diuina scientia non immuret naturam, & modum obiecti: illud, quod est contingens per se formaliter, semper est contingens quantumcumque à Deo scitum, vel volitum:] Quia scilicet eius necessitas, non alia est, quam ex ipsius contingentis obiecti, vel volīti, vel sciti suppositione. *Sicut necessarium à nobis contingenter scitum, & volitum, non propter hoc est minus necessarium: sed semper manet necessarium, & nullo modo contingens est.* Hæc ex locis, quibus aduersum aliquid sonat Bassolis. Nam in 1.d.45.q.1. art 3. sub finem expressè voluntatis nostræ potestatem, & indifferentem ad vtrumvis & actus contingentiam defendit, & expressius adhuc in 2.d.24. & 25. Sæpe: præsertim d.25. q.2.art.3. §. *Ex quo concludo contra.* 2. *dictum* asserens voluntatem esse causam æquiuocam virtute continentem determinationem ad æquè, vel maius, vel minus bonum, quin eius indifferens potestas alterius determinationem expecter, vt determinetur.

6. Franciscus Mayronis, & ipse illustris Scotista, & si in 1.d.38. qu.1. art.4. concluſ.5. doceat contingentia per diuinam voluntatem determinari; ait tamen q.3. & d.40, d.40. q. 2. & prædestinationem adhuc contingentem esse dependenter ab effectus contingentis libera omissione. Quo etiam modo loquuntur Magister, & alij veteres: quod, & si noster Ruiz d.33. de scient. sect.9.d.49. sect.7. & d.45.sect.4. n.27. ita illis tribuat, ac si docuerint, diuinam prædestinationem semel iam à Deo conceptam contingenter esse, atque absolutè posse deficere; tamen cum eam solùm contingentiam diuinæ prædestinationi deferant, qua dependentia à libero vsu voluntatis nostræ sit, ipsumque ideo non impediat: satis ad id est, vt pro priori naturæ ad sui conceptionem à Deo ab eo vsu nostræ libertatis pendeat, vt nisi hic futurus esset, nec prædestinatio conciperetur à Deo, ac proinde in Deo non fuisset; neque adeo absurda, & implicatoria sententia doctis viris vnquam tribuenda est. Cæterum, etsi ita Mayron intelligatur, constat eum necessitatem, & determinationem absolutam antecedentem nostrarum actionum ex diuina voluntate adeo exosum fuisse, vt in eam absurdam, & implicatoriam dependentiam eius ab illarum contingentia & libertate inciderit. Erat siquidem illi altè repositā libertatis arbitrij ad vtrumvis soluta, & absoluta potestas eius libertati essentialis, vt constat 1. sentent. d.10. q.1.dif.2. vbi inter liberum pro spontaneo, & arbitrij libertatem distinguens ait, [Sed liberum arbitrium est præcise circa illa, circa quæ voluntas potest aliter se habere.] Scilicet circa contingentia, subinferius, [Habere se ad oppositā est conditio liberi arbitrij, vt addit supra libertatem] id est, spontaneitatem, & in 2.d. 27.à med. opponit sibi. [Aut diuina voluntate concurrente voluntas.] (Creata) [non potest non causare; & tunc necessario causabit non liberè: si potest non causare: ergo Deus vult aliquid, quod non impletur: [Respondet vero. [Assistēte volūtate diuina potest nō velle: quia Deus assistit in ratione causæ vniuersalis: & ideo si vis agere agit. Nempe Deus agit, si tu vis vt agat.] Ibidem ex instituto defendis indifferentem ad contraria, & contradictoria libertatis potestatem, Dei etiam voluntate, vt causa vniuersali adstante.

7. Eadem est Guillielmi de Rubione sententia in 1.d. 38.q.1. tota maximè art.1. concl.4.p.3. dum Deo prædeterminationem cum necessitate actuum voluntatis concedit; cum statim asserat per omissionem liberam nostram, quæ nostræ absolutè potestatis est, fieri absolutè posse, vt nec sciat, nec velit Deus: quod modo proximè dicto intelligendum est, & d.47. qu.1. circa finem docet electos

electos posse agere contra id, quod voluntate consequenti per suam prædestinationem fieri ab eis Deus voluit; quare nec prædestinatos necessitari ad non peccandum, ac merendum, & d. 10. q.2. post med. §. *Ad hoc respondetur.* Statuit libertatem contingentiæ stare in eo (sicuti & Scotistæ reliqui recitandi cum aliis quæst. 7. cert.1.) vt positis omnibus requisitis ad actus productionem non fieri absolutè possit. Et in 2. d. 24. q.1. & 2. necessitatem agendi à libertate excludit. Et consequenter d.25. q.1. art.2. post med. ait: [In Beatis est vsus liberi arbitrij, non respectu actus beatifici, qui non est in potestate ipsorum, sed respectu omnium in eorum potestate existentium; vt videlicet possint ab eis in esse poni, vel non poni. Consimiliter est dicendum de damnatis. Non enim respectu actus, ad quem sequitur tristitia punitiua videntur habere aliquam libertatem: quia nec potestatem, seu actuitatem; sed respectu omnium in eorum potestate existentium aliorum.] Eidem, quæ putatur absurda, sententiæ de dependentia iam habitæ à Deo voluntatis, & prædestinationis à nostro vsu libero voluntatis, vt libertatem eius defendat, videtur adhærere in1. d.39. art.2. & d.40. art. 2. atque ideo non obstante præscientia, & prædestinatione in potestate causæ liberè esse producere, vel non producere actum, & posse illam perseuerare finaliter in gratia, vel illam per finale peccatum amittere. Et in 2. d. 33. circa med. docet ex Scoto ita à Deo præparari voluntati nostræ concursum, vt in eius potestate sit illo vti ad bonum, vel malum, vel non vti: quod fieri nusquam potest, si prædeterminatiua præfinitione decernatur. Nicolaus de Orbellis in 1. d. 39. art.2. d. 40. art. etiam 2. eodem excessu cum præscientia, & prædestinatione potestatem absolutam peccandi, & amittendi gratiam finaliter componit, ac defendit. Plures Scotistas dabimus q.7. cert.1. vbi causæ liberæ definitionem antiquissimam, atque apud omnes Philosophos, Patres, & Theologos contra nonnullos nouatores statuamus.

8. Sed ad Scotistas recentiores veniamus: in quibus nonulla est circa præfinitiones actionum liberarum diuersitas. Etsi in eo, vt diximus, conueniant: quod prædeterminatiuè, siue physicam prædeterminationem inducentes ad actum præfinitum, vt recentes Dominicani volunt asserentes præfinitiones minimè sint. Sed tamen eas suas præfinitiones connexas essentialiter, & antecedenter ad vsum libertatis cum actibus præfinitis videntur Scotistæ aliquot asserere. Cæterum in Scoti doctrina peritiores eas, tanquam Scoto inuisas, auersantur Camerarius totis tribus libris de libero arbitrio. Sat erit videre eum lib.1. cap.7. circa fin. de Augustino cap.21. de grat. & libero arbitrio loquentem, & lib. 3. cap. 8. sub finem. Petrus Trigosi t. 1. in 1. p. S. Bonauent. quæst. 15. art.2. dub.3. concl. 1. Gibyeuf. & Camerar. & si verbis aliquando à scientia media abscedere videantur, re tamen præfinitiones prædeterminatiuas abiiciunt. Fr. Angelus à Monte Philos. 1. p. commentar. in Scot. t. 2. d. 47. art. 5. & 7. Ildephon. Brizerius, seu Brizeñus potius in 1. sentent. Scoti contr. 11. d.2. art. 2. num. 11. 14. & 20. Philippus Faber fauentin. in 1. d.39. q.vn. d. 54. cap. 4. num.37. cap.5. num.47. & 49. Hugo Cauellus, Episcop. Armachanus Iberniæ Patriæ suæ Primas, multa Scoti (quem perpetuo illustrauit commentario) eruditione, & contextura. In primis in supplemento Scoti quæstionum de anima, d.3. sect.14. num. 6. citans Scotum ex 4. sentent. d.1. q.1. ad vlt. d.12. q.3.§. *Hic est* num.5. d.43. q.3.§. *Tertia opinio* num.9. d.49. q.6.§. *Dico ergo.* Item in 1.d.39 quæst. 5. in Scholio num. 22. §. *Quantum ad secundum* d.40. in Scholio ante §. *Ad vltimam quæst. dico.* Et in 2. d. 37. num.13. §. *Quod si dicatur.* Et in Scholio versu *Adde secundum Scotum.* Ex Scoto 2. Physicor. quæst. 8. §. *Quantum ad* 4. Rursus d.38. n.8. in Scholio ante §. *Dico igitur.* Vbi eiusmodi præfinitionem communiter, nec solum à veris Scotistis negari asserit. Insuper in reportatis in 1. d. 38. n. 6. in Scholio §. *Dico igitur.* Et in tractatum Scoti de primo principio t.3. edit. magnæ Lugdunens. cap. 4. num. 8. schol. 3. antes. concluf. Et in conciliationibus locorum quodlibet alium conciliat. 5. cuius præcipui discipuli & interpretes Scoti verba collecta inuenies apud Paulum Leonardum p. 2. responsion. ad expostulationes contra scientiam mediam sect.4. n.20. à med. Insuper idem Hugo Cauellus in 1. d. 37. quæst. 2. scholast. ante §. *Ad solutionem*, referens ex antiquis præter recitatos Scotistas Elicletum, Tartaretum, Ioannem Maiorem. Et ex recentioribus Angles, Herreram, & Vegam passim in Tridentinum. Nam lib.2. ac.12. *Libertatem* nostram omni necessitate solutam esse debere probat. Et quæst. 11. de iustificat. ad 3. docet Dei concursum nobis oblatum indifferenter applicare, ac determinare nostræ potestatis esse. Etsi Deo prius principalius, ac potius influente in nostram operationem egemus. Quod repetit 6. in Tridentt. c.2. c.7. post med. cap.8. post med. & sub fin. c.9. init. Quibus locis gratiæ auxilium, & efficaciam nostræ etiam potestati subiacere per consensum, aut resistentiam docet. Sicuti & lib.13. cap.13. sub init. Cordubam item 1. quæstion. q. 55. dub. 8. prope vlt. opinionem Gabrielis, & dub.9. sub init. & fere toto dubio 10. maximè sub fine, Michaëlem Medinam de recta in Deum fide cap.1. inter principium, & medium. Cordubam vbi proximè, & quæst. 23. dub. 8. & lib. 2. de ignorant. q.10.11. & 18. Alphons. de Castro hæresi 1. col. 2. 5. 10. & 11. Gasparem Leoribach Herbipolensem Doctorem. Anton. Delphinum lib. 5. de iustificat. §. *de multiplici gratia Dei* pag. 205. & sub tit. *de ordine iustificationis*, §.2. pag. 207. & lib. 1. *de salutis progressu* 14. & 2. *de prædest.* respons. ad 2. dub. p 77. & ad 3. dub. pag. 85. & de libero arbitrio inter princip. lib. 4. sub tom. *Quo pacto sit liberum arbitrium in hominibus* pag. 147. fuit autem sui ordinis General. & ex Patribus Tridentinis. Herreram in 2. sentent. t. 1. d. 13. q. 2. d. 14. quæst. 1. d.30. q. 2. notab.2. t.2. d. con.38. q.3. notab.6. probat.2. conclusionis 4. & q. 6. fusè præsertim notab. 9. §. *Alij autem.* Franciscum Carthagenam de prædestinat. disertissimè discursu 4. dub. 3. discursu 8. dub. 4. discursu 9. discursu 10. dub. 2. vbi, & discursu 4. dub. 3. vsque adeo physicas prædeterminationes, & præfinitiones diuinas liberarum actionum auersatur, vt omnes vniuersim præfinitiones, nec solas prædeterminatiuas Thomisticas actionum libertati aduersari defendat: accedunt etiam è iunioribus Scotistis Hieronym. Tamarit. in floribus Theologicis q. 2. de scient. Meurisse t. 2. metaphysicor. c.3. p.5. q. 3. Ludouicus Caspens. d. 6. de scient. sect. 6. Dola. d. quadripart. p.1.c.3. n.8.c.4. num.2. Theodorus Smising. tract. 3. de Deo d. 2. q. 5. decreta præfinitiua regulata solummodo per scientiam mediam præ nimia eorum facilitate se defendisse testatur, ac non ita regulata repudiasse, & si hæc ibi defendat: ob ea tamen argumenta, quæ satis ostendunt nostram de scientia media doctrinam minus, quam oporteret, tam antea, cum regulatas solum per scientiam mediam præfinitiones defendebat, quam postea cum per illam irregulatas defendit ab eo fuisse penetratam eidem nostræ sententiæ præfinitionibus aduersæ ex Scoti doctrina subscribit ingeniosus etiam Scotista Pontius in cursu Philosoph. tract.3. d.2. q.5. n.151. vbi admittit decretum indifferenter concurrendi cum nostra voluntate pro libito illius, vt ex parte sui concursum præparet ipsi Deus. Licet autem q.4. & d.3. q.3. à n.81. & d.6. q.8. n.600. & alias admittat aliud decretum determinate concurrendi cum voluntate ad eius absolutum consensum; tamen hoc comitans esse ait, atque à voluntatis determinatione dependens; non autem antecedens, vt ex eis locis præsertim ex d.3. citatis constat. Hæc autem comitantia solum decreta, atque à voluntatis determinatione dependentia rectè cum nostra de scientia media, & decretorum abusu libertatis independentium, cumque minimè antecedentium, doctrina consistunt: ac proinde à nostris doctoribus Vazquez, & aliis acerrimis præfinitionum omnino antecedentium impugnatoribus defenduntur, quos refert, & sequitur Gasp. de Ribadeneira art.10. de prædest. c.1. num.1. quamquam decreta hæc comitantia non leues aliunde pariantur difficultates ad eaque confugiant nuperi aliquot Thomistæ non aduertentes diuersas omnino eas ab illis esse, quas hactenus, & sui defendendas suscipere.

CERTA

CERTAMEN II.

Nominalium (altera scilicet Franciscana, vtplurimum, schola) pro nobis contra prædeterminatiuas præfinitiones est.

1. ALtera apud Sapientissimos Franciscanos orta secta est Nominalium schola; quæ ita, & Okami inuentoris ingenio, & sequacium subtilitate apud Catholicos statim inualuit, vt insignes, & Thomisticæ, & Scoticæ, & omnium Religionum, & Academiarum Professores in partes traxerit suas; aliasque Philosophorum, & Theologorum scholas multis annis vbique Academiarum & gentium fecerit conticescere. Ex ea vero Nominalium schola solos hic Franciscanos Doctores referam, ac proinde Ioannem Bachonem Holchot, & eius sectæ (diuersæ tamen familiæ) Professores reticebo, vt ex hoc, & primo certamine constet, quo iure, & fide, perfidus alias hæreticus, Tusslius apud nostrum Annatum vniuersim dixerit Franciscanos omnes in præsenti, & consectariis controuersiis nobiscum contra Dominicanos recentiores ducere agmen. Sed neque aduersarij Nominales in nostris castris esse dubitant: cum potius principium, ex quo ipsos acrius à ratione impetimus, scilicet causæ liberæ definitionem, communem quidem, apud Nominales natam fateantur. Inde otiosum fortassis videatur Nominalium pro nostra sententia testimonia singulatim recensere, ni exploratos sententiæ nostræ Doctores, etiam, qui ab aduersariorum antiquioribus vltro nobis donabantur, ab eorum iunioribus denegari in dies videremus. Sed tamen non omnia Nominalium ad rem hanc testimonia præsenti cert. proponemus: quia quæ eorum ad stabiliendam communem causæ liberæ definitionem spectant q.7.cert.1. producentur opportunius.

2. Venerabilis eius scholæ inceptor Okamus in 1. d.38. q.vn. sub init. [Voluntas in quantum est actus primus, libera est ad oppositos actus: & mediantibus illis actibus oppositis est libera ad oppositа obiecta, in quæ tendit, & vlterius ad oppositos effectus, quos producit] vnde infert non agere necessario, sed contingenter: ita, vt agere oppositum possit. Etsi autem §. *contra istam opinionem* subdat hanc potentiam oppositi solum esse pro instanti sequenti, intelligendus est ex suppositione actus pro primo. Concludit inde in actu determinationis diuinæ non posse certo cognosci nostræ voluntatis determinationem: quia, si ad eam necessario sequitur determinatio voluntatis nostræ, hæc non liberè, sed naturaliter operabitur; si non sequitur necessario, non sufficit cognitio determinationis diuinæ, & paulo ante dixerat. [Voluntas creata cessare potest ab actu causandi se sola quantumcumque nullum prædictorum desit.] Deus, scilicet, volens coagere, & requisita cætera. Consonat dictis à se d.1.q.6. post med. & d.10.q.2. & dicendis in 2. q.16. Gabriel Okami discipulus & proximus ingenio, & doctrina successor in 1. d. 38. q. vn. art. 1. ante 1. concl. probat nostræ voluntatis libertatem, etsi Deus necessario moueret. [Potest enim, inquit, prior causa facere, quod in se est, & ita mouere posteriorem; & tamen posterior, propter sui libertatem, non parere huic motioni,] quibus nihil contra præfinitiones prædeterminatiuas magis perspicuum dici posse videretur, nisi statim subiicienda idem Doctor scripsisset.

3. Idem igitur Gabriel in 2. d. 37. q. vn. art. 1. ad 1. argum. ex quinque viis ait. [Primam causam concausare habet voluntas in sua potestate, Nam voluntas diuina cuicumque concedit antecedentia concederet, & consequentia, quantum est ex se, nisi esset impedimentum: dando autem voluntati libertatem dedit ei omnia opera, quæ sunt in eius potestate: ideo Deus semper coagit ad omnem actum, quem vult elicere. Ergo semper est voluntas ante instans, quo elicit actum, potens elicere, & non elicere.] Et obiiciens inferius non esse Ordinem inter causam primam, & nostram voluntatem, si neutra alteram determinet: negat. [Nam in hoc est ordo essentialis: quod voluntas creata non potest elicere actum non currente prima causa coëfficiendo; licet non è conuerso. Neque sic mouetur à prima causa, quasi aliquid de nouo causet, vel influat in voluntate, quo voluntas velit; sed quia produxit voluntatem liberam ponens actum suum in sua potestate.] Et ibidem cum pro prima via arguisset [si voluntas diuina non determinaret nostram posset voluntas diuina aliquid velle, quod non fieret propter voluntatem nostram non concordantem] negat postea consequentiam: quia nihil efficienter, id est efficaciter, vult diuina voluntas voluntatem nostram, nisi, quod vult voluntas creata. Ad hoc enim determinat se diuina voluntas dando voluntati creatæ libertatem: quod est dare ei facultatem eliciendi, & non eliciendi: &, ad quemlibet actum, quem elicere voluerit, velle sibi coagere.] Item ad argum 3. viæ & d.1.q.2.art.2.concl.4. & in 1. d. 45. fine docet in nullo signo causare causam primam, in quo nostra voluntas eundem actum non causet. Rursus necessitatem, etiam non coactam spontaneam ab vsu libertatis independentem libertati aduersari, nec esse voluntati libertatem, nisi respectu actuum, quos requisitis omnibus positis potest elicere, & non elicere, quorumque proinde dominium habet docet in 1. d.1.q.6.art.1. notab.2.art.3.fine d.10.q.2.d.28.q.vn.art.1. notab.6. & sequentibus in 2.d.7.q.vn.art.1. sub init. d.25. tota, maximè art.1. à Corollar. 4. art. 2. concl. 1. art. 3. dub.3. proposit.1.

4. Gregor.in 1.d.10. q.vn.art.2. circa med. & deinceps essentiam causæ liberæ in eo statuit, vt positis omnibus requisitis ad agendum, & sublatis impedimentis in sua potestate habeat agere, vel secus omni alterutrius necessitate ex parte actus primi excluſa: quare eidem agenti nullam actionem necessariam, & liberam simul esse posse. Et in 2. d. 25. q. vn. ait: [Libertatem sui actus causam esse, & potestatem eliciendi, cum vult] & ad 1. contr. 2. concl. voluntatem cum eadem cogitatione velle, ac nolle posse, & d. 28. q. vn. art. 3. post med. ad 12. (quo loco prædeterminationi, & præfinitioni aduersariis fauere putatur) eidem doctrinæ, & sententiæ insistit & d. 37. q. vn. art. 3. ad 8. arg. ait. [Ad hunc sensum dico Deum sequi determinationem voluntatis: quoniam ideo Deus agit illum actum, quia cum voluntas agit; & non ideo, quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo magis propriè dicitur Deus coagere voluntati in talem actum causandum, quam voluntas dicatur coagere Deo.] Quæ licet de actu prauo, & materiali peccati dicta à Gregorio sint, quoad physicum Dei influxum, etiam in actu honesto verum habent; & si quoad influxum Dei intentionalem, & moralem per victricis cogitationis, seu congrui auxilij immissionem ex misericordi liberali, & gratuita Dei voluntate, & intentione boni operis nostri coagere nos potius Deo (cuius in eo eliciendo præcipuæ partes sunt) quam Deum nobis coagere certum sit. Mitto plura alia ex Gregorio de determinatione voluntatis nostræ, non à Deo, ad materiales actiones peccati, quæ inferius propria specialis huius difficultatis examinandæ sede locum habent commodiorem.

5. Adamus in 1. d.1. q.6. art.2. dub.17. confutat asserentes; [voluntatem non posse denuo aliquid agere, nisi sibi de nouo adueniat aliquid determinatiuum ipsius ad agendum.] Et fine ait. [Voluntas omnibus concurrentibus vniformiter potest causare volitionem, & nolitionem obiecti cogniti: & seipsam determinat ad volitionem, vel nolitionem.] Et totis eo art. & 2. præcipuè dub. 15. 16. & 17. libertatem in potestate indifferenti ad vtrumvis omni necessitate ad alterutrum excluſa constituit: quam etiam ad non causandum esse in eodem instanti, quo causat, sed pro priori naturæ, asserit ad quæstionis finem; verum non ex suppositione quod causet, siue in sensu compositо causationis, quæ repetit q. 8. art. 2. circa med. ad 1. *argum.* item in 3. sentent. d. 14. quæst. 3. dub. 3. ante med. ait: [Alius articulus Parisiens. dicit sic. Falsum est omnia esse prædestinata (præfinitiuè, seu prædeterminatiuè, vt de eo Parisiensi decreto explicamus suo loco) à causa prima: quia sic omnia

omnia euenirent de necessitate : quod est error. Item quæro : an Deus sit determinatus, absolutè ad producendum A, quod siue velim producere A, siue non, A eueniet ; vel solum sub hac conditione, si ego voluero producere A ? si primum : igitur A fore non subest liberæ voluntati meæ. Si secundum : igitur non plus producit ille necessario, quam ego.] E cuius scilicet voluntate productionem, (qua ex parte etiam sua est) pendere voluntate illa conditionali voluit. Et tota ea q. atque 2. 4. 5. & 6. indifferentiam potestatis essentialem causæ liberæ multis defendit : imo eius tuendæ affectu aliqua quæ minus vera sonent, videtur admittere, & in Scotistis nonnullis notauimus cert. 1. in bonumque sensum eursim explicuimus.

6. Marsilius eandem liberæ voluntatis indifferentem potestatem ad vtrumvis, & dominium ad volendum, vel non volendum, omni necessitate, aut impedimento alterius partis secluso, essentialem multoties docet, explicat, & confirmat in 2. q. 16. art. 2. 3. 4. & 6. ad secundam rationem principal. & q. 22. art. 2. eamque potestatem, & dominium non impediri præscientia, prædestinatione, reprobatione, ac denique vlla voluntate diuina docet in 1. q. 40. 41. 44. & 45. vt retulimus controu. de scient. d. 5. q. de concordia præscientiæ cum nostrarum actionum libertate. Sed citata q. 40. art. 2. post 4. conclus. eius rei rationem quasi à nobis insusurratam dedit. [Si effectus est dependens à creata libera voluntate, sicut ab ea dependet liberè, sic Deus disposuit æternaliter quidquid illa voluntas elegerit, siue voluerit se, quoad bonitatem entium producendorum liberè concursurum. Nihilominus præsciendo æternaliter ad quam partem voluntas liberè declinabit.] Quod si præscientia hæc dispositionum diuinæ voluntatis ductrix est, non quidem absoluta, quæ eam dispositionem supponit, sed conditionata est, vt sæpè controu. de scient. notabam. Similia habet 3. p. articuli, & in 2. q. 16. art. 2. dub. 1. post 1. conclus. ait : ideo dependentiam in operando à diuino concursu voluntatis libertati non obesse : [Quia Deus dando libertatem voluntati consequenter dedit ei, vt quodcumque eligeret, cum ea ad illius electionem concurreret.]Et art. 4. concl. 1. docet voluntatem positis omnibus requisitis, & impedimentis sublatis se ad volitionem, vel eius suspensionem determinare. Et ad 3. obiect. [Causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas nunc acceptans, quod ante non voluit acceptare ejsdem existentibus impellentibus.]Repetit ad 4. 5. & 7. obiect. & col. pen. ad 4. rationem princip. ait. [Quamvis concursus diuinus requiratur ad voluntatis liberam electionem ; tamen, quia se Dominus cum libera voluntate concursurum, qualitercumque eligeret, & qualitercumque eligere vellet ad electionis productionem : ideo adhuc manet libertas voluntatis in sua potestate, vt eligat, sicut liber : quia Dominus cum ea electione liberè producet.

7. Ioan. Maior in 1. d. 1. q. 3. 4. 7. & 19. ad libertatem requirit potestatem omittendi actum, tunc, cum eum elicit, nullatenusque necessitatem ad eius productionem. Quod seruari adstante prædestinatione, & reprobatione docet d. 38. q. 2. & 3. d. 40. q. vn. & d. 41. q. vn. & in 2 d. 25. vbi communem liberi arbitrij definitionem per potestatem indifferentem ad vtrumvis positis omnibus requisitis ad operandum statuit q. 1. & sequentibus tribus. Obiicit autem voluntatem egere Dei concursu ad operandum : eoque posito non posse non voluntatem operari. Respondet : [Concedo quod requiritur concursus Dei antequam voluntas concurrat ; sed Deus paratus est cum voluntate agere, & non agere ad nutum voluntatis.]Obiicit secundo. Deus efficaciter vult talem actum esse : ergo talis actus est. Antecedens non est in potestate Socratis : ergo nec consequens. Respondet. [Nego, quoad antecedens non sit in potestate Socratis. Deus est paratus cogere cum voluntate ; sed non sequitur, quod propterea à voluntate nostra dependeat :] Cum id tandem ab eius voluntate ad nutum nostrum coagendi proficiscatur. [Sed quoad nostrum modum loquendi, potest dici Dei concursus quodammodo dependere à nostra voluntate. Cum est paratus coagere, vel non coagere ad nostram nutum, omnibus causis secundis positis ad actionem voluntas potest agere & non agere] quæst. 2. statuit dominium & potestatem voluntatis ad opposita & quæst. 3. sub fine : [Voluntas vult hoc obiectum, quia, & placet, & sua libertate ad hoc se determinat. Neque quærendum est aliud ab ea, per quod se determinat : sed, sicut calor naturaliter calefacit, ita voluntas liberè vult. quod confirmat q. 4. & illustrat indeterminatione ad materiale peccati.

8. Andreas de Castro nouo in 1. d. 22. pluries, maximè q. 2. ad 2. voluntatem concurrendi cum causis secundis esse conditionatam, vt diximus, non absolutam : nihilque prævium ad effectum concursu Dei afferri docet q. 5. fin. & si aliquando auxilium speciale Dei concedat. Repetit d. 38. q. 1. & clarius solutione ad 4. & 6. Petrus de Aliaco in 1. q. 11. art. 1. & q. 12. art. 3. contingentiam effectus, & potestatem ad vtrumvis in voluntate non obstante præscientia diuina, & similibus fuse defendit. Et sub huius articuli init. propos. 4. ait : [Non facilius potest saluari futurorum contingentia, siue, quod futura contingenter sint futura non ponendo Dei præscientiam, quam ipsa posita nec ipsa præscientia affert necessitatem in futuris plus, quam ipsa non posita.] Et iure quidem ita scribit : cum præscientia, & similia solum afferant necessitatem contingentis futuri, quæ in ipsa futuritione contingentis ad præscientiam eius supponitur, nec eius contingentiæ aduersatur, vt sæpè explicuimus ; non vero antecedentem natura necessitatem, quæ sola eius contingentiam valet euertere. Et quamvis seruandæ libertatis studio indissona videatur aliqua lapsus, vt Scotistæ, & Nominales aliquot relati, eadem qua illi, à nobis benignitate interpretandus est.

9. Almain tract. 1. moral. c. 1. notab. 3. asserit, & probat agentis liberi indifferentem agendi, vel non agendi, positis etiam omnibus requisitis, potestatem in eodem instanti, quo agit, eiusque libertati necessitatem ad alterum repugnare ostendit. Et cum à med. capitis obiiciat posito requisito Dei concursu non posse non agere voluntatem. Respondet cum Dionysio Cistercienti in 2. eum concursum non esse requisitum prævium, seu præcedens natura operationem (de cuius generis requisitis sermo in definitione est) sed solum comitans. Quod autem ibi ait, nec prævium esse tempore de concursu ipso verum est ; ast de voluntate concurrendi non ita facilè verum apparet, nisi intelligatur de ea voluntate, vt efficaci, quæ quidem cum efficax concursus illius ab intrinseco, ac de se non sit, sed ad vtrumvis se habens, offerensque concursum pro libito nostræ voluntatis, à solo concursu ipso efficax erit : ac subinde, nec tempore, vt efficax nostram operationem, cui concursus Dei identificatur, præcedet : quo etiam præfinitiones prædeterminatiuas excludit. Repetit eandem sententiam post 4. lib. sententiar. in dictatis circa sententias Ruperti Holkot q. 3. sub init. & q. alia circa 4. articulum §. *circa solutionem 1. argum.* At dices Almainum alia posteriori solutione argumenti illius definitionem causæ liberæ. *Positis omnibus prauiis necessario requisitis.* Ita limitasse : *supple quæ se tenent ex parte illius agentis potest*, &c. quasi dicat. Et si positis quæ se tenent ex parte Dei, scilicet eius voluntate, & concursu non possit non causa libera operari eius libertati non obesse. Noster Ruiz d. 49. sect. 8. n. 22. putat primam solutionem datam esse obiectioni. Quatenus de voluntate Dei concurrendi, & generali concursu cum causa libera formabatur ; secundam vero quatenus è Dei efficaci voluntate actus honesti, quæ esse potest maximè circa actus prædestinati, quæ necessitatem eius actus affert voluntati, quam explicare Almainus ex professo noluit : sed solum ea limitatione asseruit actus ita præfiniti libertati non obesse. Sed multum diuinationis in ea interpretatione est. Facilius respondeo : Secundam hanc solutionem eandem esse cum prima ; nullamque definitionis communis ab Almaino statutæ limitationem continere : sed explicari aliter necessitatem, quæ contingentiæ operationis obest illam solam esse, quæ se ex parte actus primi tenet : Cuiusmodi sunt omnia prærequisita ab agente siue intrinseca, essentialia, vel inhærentia illi sint, siue extrinseca ; ea enim omnia absolutè requisita sunt ex parte agentis illius, quod de se, & ex parte sua illis omnibus eget, vt absolutè non solum operetur, sed & operari absolutè possit. Cuius generis necessitas operandi è concursu Dei, & voluntate concurrendi diuina proueniens minimè est inquit Almainus, quia concursus comitans solummodo est,

non antecedens operationem noſtram ; voluntas vero concurrendi de ſeſe, &, vt concurſum Dei, & noſtram operationem ipſi idemtificatam antecedit efficax, vt diximus non eſt, ſed extrinſecus ab ipſo concurſu, & operatione : quare neceſſitas, quæ eius efficaciam conſequitur, nequit eſſe antecedens, & quæ potentiæ voluntatis ad operationem omittendam, ac ſubinde ipſius libertati repugnet, ſed conſequens, & quæ cum illa amice fœderetur.

CERTAMEN III.

Omnium Eccleſiæ Religionum præſtantes quique Doctores ſemper contra prædeterminatiuas præfinitiones decertarunt.

1. PRimum ſibi doctrinæ, & ſanctimoniæ, atque inſtitutionis antiquitate venerabilis locum adſciſcit ſacra Benedictinorum Religio. Ex qua ante ſcholaſticorum doctorum tempora eis etiam preſſius, & acutius, cum de aliis Theologiæ difficultatibus, tum maximè de re præſenti egit, ac definiuit Anſelmus de concordia præſcientiæ, & prædeſtinationis cum noſtrorum operum libertate ex inſtituto ſcribens. Qua de re ſub titulo libri *cur Deus homo* ? Sæpe, nec curſim ſolum, ſed fuſè ſcripſit : vbi eo ſolummodo voluntatis, & prædeſtinationis, ac præſcientiæ diuinæ certitudinem, & infallibilitatem cum noſtrarum actionum libertate componi poſſe docuit, quod neceſſitati conſequenti, & quæ harum poſitionem ſequatur, & ſupponat, non autem antecedenti & quæ eas faciat, vel ponat innitantur. Quod totum ipſiſſima noſtra doctrina eſt præfinitionibus prædeterminatiuis aduerſa, vt ſuo oſtendimus loco, dum de Patrum ſententia diſputabamus. Huius veſtigiis inſiſtit Bernardus eiuſdem inſtituti Monachus, ac tandem alterius nempe Ciſtercienſis Author, vt eadem q. patet : ſed de S. Bernardo, eiuſque inſtituti filiis poſtmodum : nunc de iis, qui in Benedictino Sodalitio floruerunt Theologis dicendum nobis eſt. Vtque plures eius inſtituti, ſicuti & S. Baſilij, Doctores modo præteream, quia in Patribus Eccleſiæ numerantur, vt Magnus Gregorius, & ſimiles, adeoque ad citatam quæſtionem ſpectant ad ſcholaſticos Profeſſores Benedictinos veniamus, qui præſertim à ſocietate noſtra fundata, ac lite præſèti exorta floruere.

2. Eos igitur omnes cauſam noſtram contra Dominicanos, tanquam S. Anſelmi, ac ſui proinde ordinis propriam tunc temporis ſuſcepiſſe conſtat ex epiſtola ſequenti, Collegij ſui Vincentini Salmanticenſis ad ordinis ſui Generalem Procurator. In vrbe. [Ob multam notitiam, quam V. P. habet de propoſitionibus, quæ apud SS. Dominum excutiuntur, de his, quæ ad phyſicam præmotionem ſpectant ſuperſedemus de illis referre. Tantum monere voluimus, quod à Patribus Societatis Ieſu defenditur eſſe doctrinam S. P. N. Anſelmi. Et ideo ob hanc cauſam, & quoniam, quod illi propugnant, verum eſt, & docetur in hoc Collegio à noſtris Magiſtris, & à diſcipulis eorum Monachis noſtris, tam in huius Academiæ publicis Theſibus, quam in iis, quæ in Capitulis generalibus habentur, defenditur.] Quam ob rem V.P. ſedulo conſiderandum eſt hanc eſſe litem nobis æquè communem, à qua noſtræ Religionis honor dependet. Proinde, quæ ſolet, induſtria in ordinis bonum vigilare, proſpiciat doctrinæ tanti momenti, & media opportuna adhibeat, quibus ſubſidietur ei, & ne illorum technis obſcuretur, qui in occulto ſagittant, & feriunt, & præterquam, quod in his V.P. meritis ſuæ perſonæ, & habitus ſatisfaciet, nobis, quod gratiſſimum ſit, operabitur. Nam, & ſi ſacræ Ieſu Societati ob labores, quos in publicum emolumentum confert, æquum eſt vniuerſis fauorem exhibere ; nos tamen ſpecialius deuincimur ob continua præſtantium in ea virorum beneficia erga nos, & germanitatem, quam alterutrum profitemur in pleriſque noſtris Monaſteriis : præſertim in hoc D. Vincentij Salmantino Collegio ; ac proinde optamus ſingulos nobiſcum concurrere, vt animi gratitudinem conteſtemur : veſtram in primis Paternit. qui quam optimè id nouit facere, poteſtque his rebus non leui eſſe adiumento ; quod V. P. ſecure dicere valeat ſuæ ſanctitati, & quibuſcumque aliis perſonis : opiniones ſocietatis, & noſtras legi, & defendi ab Auguſtinianis, Franciſcanis, Carmelitis in concluſionibus, & Theſibus ſuorum Capitulorum, & quotidie magis magiſque amplificantur, & recipiuntur à Theologis valde doctis, vt conformes fidei Catholicæ, & veritati proximiores. Deus P. V. vitam protegat, ipſumque amore & gratia ſua repleat. Salmanticæ ex D. Vincentij Collegio Iulij 31. anno 1600. ſubſcribunt. *Fr. Placidus Pacheco*, poſtea *Placentinus Epiſcop. Fr. Gregorius Criales* præcipuis eius ordinis magiſtratibus functus. *Fr. Antonius de Xepes*, annalium ſui ordinis centuriator illuſtris. *Fr. Marrius de Salazar*, Salmanticenſis Mag. cum primis eius Academiæ numeratus *Fr. Antonius Xerez* Mag. Salmant. poſt ſui ordinis Generalis, & doctis libris euulgatis notiſſimus, ac demum poſt alias inſulas Tarraconenſis Epiſcopus *Fr. Leander de Granada*, qui eruditis obſeruationibus S. Geltrudis reuelationes elucidauit.

3. Extat & alia epiſtola eo ferè tempore ad Procuratorem Generalem eiuſdem ordinis in vrbe ex eodem Collegio miſſa à R. P. Mag. Salmantino Fr. Hieronymo Marton erudito, & docto ſi quis alius Theologo, atque Hiſpalenſi Abbati, quæ eidem veritati facit fidem eius autem exemplar. [Video per noſtræ congregationis Monaſteria rumorem vagari de cenſura in vrbe ferenda aduerſus libros P. Ludouici de Molina ex Societate Ieſu : quod V. P. ibi degenti melius perſpectum erit. Et, licet, quoniam de V. P. ingenio, litteris, Zelo ardenti veritatis, & eorum, quæ ad noſtræ familiæ, vel authoritatem, vel grauitatem ſpectant, certus ſim, hæc mea aduertentia excuſari poſſit ; Nolui tamen officio deeſſe : ne forte ob ſilentium meum noſtro ordini labes aliqua aſpergeretur : præſertim, cum iuxta Chriſti vicarium talis, tantuſque exiſtat vir, qualis V.P. quam ob rem omnes, qui hic litteras profitemur optamus enixe vt V.P. ſedulo perpendat doctrinam Molinæ, de qua controuertitur ibi, ad litteram eandem eſſe, quæ traditur à N. glorioſiſſ. P. Diuo Anſelmo Doctore tam graui, & à quo Eccleſia Catholica mirifice illuſtrata eſt, & quem noſtra Congregatio tantum colit ; quem in finem remitto V. P. Theſes ſubiectas habitas hoc ipſo anno in noſtro Capitulo generali, quarum Præſes fuit acutiſſimus, & eruditiſſimus P. Fr. Maurus de Salazar : & in omnibus Theſibus, quæ à noſtris, vel in Academia iſta, vel intra noſtrum Collegium propugnantur, hæc eadem doctrina defenditur : quam, & noſtri diſtant in ſuis prælectionibus Magiſtri : eſtque apud nos receptum hanc fluxiſſe doctrinam à primitiuis ſcholis noſtræ ſaciæ Religionis. Quos ob titulos hæc cauſa nobis æquè propria eſt, ac Patribus Societatis ; nec declinare poterimus Famæ iacturam, ſi, vel vnus eius minimus apex cenſura Romani Pontificis notetur. Habet ſanè V. P. dignam ingenij ſui excellentiæ materiam : in cuius defenſione, quantum præſtet, cum egregia reputatione oſtendere valeat coram Summo Pontifice, & deſignatis ab eo ſapientiſſimis conſultoribus : idque cum non mediocri, & Dei, & ſuæ religionis gloria. Nolo longiori ſermone faſtidioſus eſſe : nam noui cuius diligentiæ rem hanc commendo : quæ non ſolius noſtri ſodalitij cauſa eſt, ſed aliorum ſacrorum ordinum per Hiſpaniam : in quibus communiter prætata doctrina legitur, & defenditur. Deus nobis ſuam lucem communicet, & V. Paternitatem in longos tueatur annos, vt nobis honori, & ornamento ſit. Salmanticæ ex Collegio S. Vincentij vltima die Iulij anno 1601. Fr. Hieronymus Marton.

4. Ecce quot, quantique ex S. Benedicti ordine Theologiæ Profeſſores non ſolum ſe, & florentiſſimum ſuum Salmanticenſe Collegiũ, ſed & totũ Benedictinum ſodalitium in noſtris caſtris acié re ſuper hac contra recentiores Dominicanos inſtruere teſtantur, vel, vt verius fatear totam noſtrorum aciem non aliis, quam ſui ordinis per Anſelmi manus miniſtratis armis contra eos recentiores inſtrui & pro cauſa vtrique Religioni communi pugnare. Scio ex eo Collegio Vincentino nonnullos poſtea ab hac Anſelmi, & ordinis ſui, & noſtri ſententia, policicis, quam Theologicis rationibus

rationibus aliquandiu defeciſſe : vt de ſe fatetur Caramuel, dum eo in Collegio degebat, in ſua Theologia fundamentali, quam apud Belgas compoſuit : vbi politis illis rationibus ſolutus pro ingenij ſui, & acumine, & ingenuitate inſtructæ à ſe ſatis preſſe, & dilucide contra prædeterminationes ac ſubinde prædeterminatiuas præfinitiones rationi de libertatis euerſione ſolutiones Dominicanas, quas tunc adhibebat refert, & tanquam inanes ridet, & exuges. Neque ipſe ſolus ad ſui ordinis doctrinam noſtram rediit : Verum, & totum illud Vincentinum Collegium, ac proinde hiſpanum totum S. Benedicti Sodalitium, dum hæc ſcribo, ad eandem Anſelmi & ordinis ſui natiuam ſententiam rediit ; in hoc ordine recenſeri iure poſſunt S.Bernardi Alumni, cuius ordo fuit, è Benedictino propagatus.

5. Ex ordine S. Bernardi Doctores omnes in noſtris numerandi ſunt caſtris. Et in primis ſanctimonia & doctrina celeberrimus melliſluus ipſius Author Bernardus, cuius pro nobis plura, & perſpicua in quæſtione, quæ de Patrum authoritate eſt, teſtimonia extant. Sapientiſſimo Parenti, & ordinis ſui, & Theologiæ nobiles Profeſſores quique ea in re adhæſerunt. Inſignis omnigena litteratura Magiſter Fr. Angelus Manrique inter Academiæ Salmantinæ Profeſſores recitatus cert. 2. Magiſter etiam Lorca Primarius in Scoti Cathedra Complutenſis Profeſſor, quem ſola ignorantiæ temeritate, aut impudentia pro oppoſita ſententia citari poſſe hæc euincunt. Nam 1. 2. d.20.de grat.m.1. §. *Et quidem* Thomiſticam de phyſicis prædeterminationibus, & præfinitionibus noſtrarum actionum à cauſa prima ſententiam, à ſe repulſam, longè eſſe à mente Angelici Doctoris grauiſſimorum Thomiſtarum allegatione teſtatur & d.21.concl.2. §. *vt ex omni* de auxilio efficaci (quod ſolum moraliter efficax admittit) agens ait. [Auxilium huius generis infallibile eſt ex adiuncta præſcientia, & cognitione futuri euentus conditionali, quæ ſolum neceſſitatem conſequentem inducit : quæ eſt neceſſitas ſecundum quid, & ſupponens liberam determinationem.] Quibus conſequenter t. in 3. p. q. 1. art.3.d.10.n.2.n.26.allato S.Th.teſtimonio ſcribit. [Ad 4. dicendum, quod prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum excuſſaque induſtriè S. Th. mente ſubnectit. [Ex quibus S. Th. verbis conſtat præſcientiam illam, quam dicit ſupponi ad prædeſtinationem non eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec ſcientiam viſionis ; ſed ſcientiam, quam vocant mediam : quæ ex hoc loco S.Thom. manifeſtè adſtruitur, quibus ſigillatim probatis concludit. Loquitur ergo de ſcientia conditionata, quæ eſt prior omni decreto productionis, & media inter ſcientiam poſſibilium,& ſcientiam eorum,quæ abſolutè futura ſunt : qua ſcientia Deus cognoſcit, non ſolum, quod eſt poſſibile, ſed etiam quid foret, & eſſet in omni euentu, & ordine rerum, & ſuppoſita quacumque conditione dependente à voluntate ſua, & aliorum, & à quacumque ſuppoſitione.] Scientia autem media, ita admiſſa non magis decretis ſubiectiuè abſolutis, & obiectiuè conditionatis, quam prædeterminationibus, & præfinitionibus abſolutè futurorum contingentium aduerſatur. Quibus adde doctum, & ingenioſum Fr.Petrum à S. Ioſeph tract. de grat.d.3.ſect.9.n.67.& in ſuaui concordia tota d.4. Fr. Euſtochium à S. Paulo 2.p.ſumm.Philoſoph. tract.2. d.11. q.3. §. *verum & liberè*. Chryſoſt. Caberum Primarium Theologiæ Profeſſorem Complutenſem tract.2.Phyſicor. d.4.n.9. & tandem vtrumque Hiſpanæ Congregationis ſuæ florentiſſimum Theologorum ſeminarium Complutenſe, & Salmantinum, in quorum primo,& ſi aliquot aliquandiu Profeſſores à ſuorum Anſelmi, Bernardi, & reliquorum doctrina hac noſtra, voluntate, quam mente, deſeruerint ; iam totum ex annis aliquot ad eam ranquam ſui ordinis doctrinam propriam è Capituli generalis ante annos quatuor habiti deliberato conſilio, ac decreto redit. Salmantinum autem ſacri huius ordinis Collegium in ſuis, & noſtris hac in re caſtris ſemper fuit : ac Pauli Leonardi reſponſiones ad expoſtulationes contra ſcientiam mediam communi ſuffragio probauit, ciuſque nomine ſubſcripſere Magiſtri omnes Fr. Angel. Manrique Ab. Ildephonſus Perez Petrus de Obiedo. Hieronym. Martinez, Thomas Brauo, Henricus de Lagarma.

6. Tertio loco pro noſtra doctrina recenſenda eſſet Patrum Dominicanorum, & religione & doctrina pet illuſtris familia, ex qua primores omnes Theologos, cum veteres, tum iuniores pro nobis ſtare vidimus quoproxima, quibus & numero, & eruditionis, ac Theologicæ ſuppellectilis laude longè impares eſſe illos Dominicanos recentes, cum quibus pugnamus, ne hi quidem inficiabuntur ; ſiquidem ſententiæ huius ſuæ pauci, qui ob excellentiorem doctrinam typis illam docere auſi ſunt inferioris tamen, quam eam impugnantes Dominicani in ſuo ſodalitio habeantur, vt ex citatis & recitatis ſatis claret. Quarto loco Franciſcanorum, & Scotiſtæ, & Nominalis ſcholæ Profeſſores, quos ferè omnes pro nobis eſſe oſtendimus cert. 1. & 2.

7. Quinto loco recitandi veniunt Theologi Auguſtiniani Primores ſuum ſanctiſſimum æquè, atque ſapientiſſimum Patriarcham, Theologiæ, atque Eccleſiæ totius lumen Auguſtinum ſecuti, qui vbivis, & ſententiam noſtram, & eius oſtendendæ principia & docet, & confirmat, vt q.2. videbamus. Sunt autem pro nobis è ſacro hoc Auguſtini ordine inſigniores huius ſæculi Theologi recitati & cert. 1. cum his de rebus Academiarum pro nobis produceebamus iudicia. Scilicet Illuſtriſſ. Auguſtin. Antolinez ex Magiſtro & Profeſſore Primario Salmantino Compoſtellan. Archiep. Mag. Ludouicus de Leon citans Mag. Gueuaram. Baſil. Legionenſ. Salmantin. etiam Primarius, qui & citat Ludouicum auunculum, & Leonardum Coquæum ſcholiis ad cap. 9. libri 12. de ciuit. Dei. Et Petrum de Aragon 1. 2. quæſt. 83. ſolutione argumentor. Sui etiam ordinis inſignes Magiſtros. Poſſet autem eundem Aragon citare ex 2. 2. quæſt.24. art.3. dub. 1. notab. 2. atque attente lectus dub.2. quæſt. 30. art. 4. ſolut. argumenti 2. Magiſter etiam Auguſtinianus Franciſcus Cornejo, & ipſe Primariæ Salmantinæ Cathedræ Theologus Anteceſſor Magiſt. profeſſionis eiuſdem Ioannes de Gueuara Veſpertinæ Cathedræ Academiæ eiuſdem Moderator, atque eiuſdem ordinis, & Cathedræ Rectores Magiſtri Fr. Ioann. Marquez, & Alphonſus Mendoza : quos omnes citato cert. 2. in Salmantina Academia recitauimus. Ex cert. vero 3. à n. 4. addendi ſunt Auguſtiniani ordinis eiuſdem Eremitarum Generalis in vrbe Procurator, & Theologus inſignis Ioannes Baptiſta Piambinus, necnon Mag. Gre.g. Nunez Coronel, qui dum hac de re diſputationes Romæ haberentur à Summo Pontifice nominatus fuit eius controuerſiæ cenſor. His addendi Auguſtinianus etiam Magiſter ſtunica de vera religione aduerſus eius temporis Hæreſes lib.2. cap. 4. col. 3. & deinceps, maximè verſus fin. & toto cap. 7. Mag. Fr. Martinus Albiz Primarius Complutenſis Anteceſſor tract. 1. de ſcient. d. 7. ſect. 5. num. 7. & ſect. vlt. Item Ægidius de Præſent. t. 2. de Beatitud. lib. 1. quæſt. 12. artic. 1. §. 8. &. inſignis Valentinæ Academiæ Primarius Profeſſor cuius in ea Academia memini. Ac demum ne longiorem texam catalogum Gabriel Pennotus Canonicorum Regularium S. Auguſtini Generalis in vrbe Procurator celeberrimo ſuo humanæ libertatis propugnaculo, & nuper Celeſtinus Brunus in quodlibet, d. 13. de ſubſtantia Dei, §.8.

8. Sexto eiſdem omnino fundamentis pro nobis, & contra prædeterminatiuos præfinitores Carmelitus ordo cum ſuis proceribus Theologis ſterit ſemper. Eadem enim, quæ nos modo contra prædeterminatiuas præfinitiones docuit olim reſolutiſſimus Doctor Ioannes Bacho. in 1. d. 40. artic. 2. à med. hanc refert, laudat, & ſequitur Giltonis Doctoris ſententiam. *Licet pronitas quædam ſit in voluntate, & cauſis ſuperioribus ; nulla tamen neceſſitate limitatur ad hanc partem magis quam ad iſtam ſecundum ſententiam Philoſophi, & Catholicorum.* Et ex eodem, & illa probat longè inferius, quibus docet ea ſolum nobis libera, *quæ à Deo* fiunt. *Voluntate permiſſiua, & ſunt in poteſtate noſtra, quantum ad determinationem præſuppoſita influentia tamen in generali & in eſſendo, & in cauſando.* Et recitato Eccleſiaſtico cap. 15. *imaginor ſic, quod Deo permittente me agere indifferenter hanc partem contradictionis, vel iſtam, non determinante me magis ad hanc, quam ad illam ego eligo alteram partem* art. 4. non ſolum in alio probatam, ſed,

vti propriam, atque à seipso, eam sententiam docet asserens arbitrij libertatem in potestate ad vtrumvis, & suarum actionum dominio sitam esse suppositа etiam influentia Dei, & in 2. d. 26. q. vn. art. 1. 3. & 4. docet circa bonum in communi nos libertatem immutabilitatis, siue potius necessitatem habere, quam libertas, seu potius immunitas mutationis deuoluit; ast circa reliqua bona habere libertatem propriam arbitrij, scilicet, potestatis indifferentis ad vtrumvis. Accedit è Carmelo eodem non suppar modo Bachoni Theologus, sed (in rebus præsertim hisce, quæ ad præscientiæ, & prædestinationis cum libertate nostra concordiam attinent) excedens Thomas Vvaldensis Anglicanæ Prouinciæ Prouincialis, de cuius doctrina luculenter Fr. Marcus Antonius Alegre de Casanate in suo paradiso Carmelitico statu 4. ætate 16. anno Christi 1430. c. 234. in Thoma Vvaldensi. Is ergo libris doctrinalis fidei Vviclefum Lutheri, & Calumi erroribus contra nostrarum actionum libertatem præludentem, ita nostra hac doctrina oppressit, vt nemo, qui eum legerit, nisi sciens, & volens possit à Catholica veritate deuiare: legatur eorum operum vbique, sed maximè lib. 1. art. 1. c. 25. vbi explicata, vti nos infrà explicamus, necessitate antecedenti, & consequenti ab Anselmo & satis clarè tradita ait. [Necessitas ergo præcedens non competitur arbitrij libertatem: & ideo non conuenit humanis affectibus. Subditque. Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni viri necessitate missam præcedentem ponunt in humanis operibus etiam, & quod fluant voluntate Dei: maximè, cum in antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possunt, cum conantur.] Fuerunt autem magni illi viri Brauadina, qui eo tempore præfinitiones prædeterminatiuas docuit cum aliquot Dominicanis suis.

9. Et cap. 28. eam præfinitionum harum antecedentem necessitatem libertatem destruere ait. [Iuxta communem consensum Ecclesiasticæ doctrinæ hausum de fontibus saluatoris per processus scripturæ, & antiquorum scripta Doctorum.] Et cap. 8. dixerat [venerabilis Anselmus, & S. Thomas clarissimo ore dicunt non esse ibi (ratione præscientiæ, & prædestinationis) necessitatem aliquam præcedentem, sed consequentem, quæ nihil efficit; ipse (contra quem agit) omnino imponit eis necessitatem ponere præcedentem, quæ rem obliget ad euentum.] Ex eodem etiam Carmelitano sodalitio numerandus est Mag. Ioann. Antonius Bohius Collegij Romani sui ordinis Regens, quem pro nostra hac Molinæ doctrina sententiam dixisse in Romanis de ea consultationibus, & censuris Sedis Apostolicæ iussu habitis Ioannes ipse à S. Thom. inficiari non ausus expressè fatetur. Item Reuerendissimus Mag. Henric. Siluius eius postmodum ordinis generalis, qui ad eam causam censuræ ius à Sede Apostolica habuit, atque in causæ eius consultationibus Molinam secutus, & summa eruditionis ingenij, & doctrinæ laude tutatus est, vt testatur Fr. Antonius Alegre citato paradisi Carmel. ætate 17. cap. 36. anno 1598. Mag. Fr. Gilius Primarius in suo Complutensi Collegio Professor, in eaque Academia Theologus spectatissimus, atque bonæ omnis in sua hac Castellana Prouincia Theologiæ parens lectu-ris omnibus, quæ præsentem materiam concernunt. Mag. Benauides eiusdem Academiæ Doctor, & Primariæ Cathedræ Theologus antecessor. Magister Lizana Primarius etiam eiusdem cœnobij lector, & Generalis in vrbe Procurator: vtrobique sanctitate, & litteratura nobilis, cum in suis lecturis, tum cursim in opere pro immaculata conceptione, & vno verbo insigne illud Carmeli Complutense Collegium, & Toleranum eius ordinis Monasterium totum per annos multos, quoysque paucis abhinc annis Magister Encinas Cathedræ ex minoribus Complutensis spe ex Dominicanis Patribus concepta, nostram hanc, & suam hactenus doctrinam deferens ex oppositionum suggestu Thomisticam legit: æstimansque eam ob rem causa cecidisse omni arte & potentia (fuit enim postea Prouincialis) doctrinam nostram per vim etiam à sua Prouincia eliminare conatus, lectores aliquot metu potius (vt ex præstantioribus quique testati sunt) quam studio ad Thomisticam perttraxit. Speramus autem eos intellectuali hac tyrannide liberos, libertatem & suam & nostram cum suis antiquis Doctoribus Bachone Vvaldense, & insignioribus reliquis defensuros, sicuti defendisse semper præcipuos doctrinæ laude Carmelitani conuentus Valentini Professores testis est noster Borrull. de scient. med. d. 5. sect. vlt. num. 372. fine, & Vallisoletan. Doctor Coronel epist. recitata, q. 3. & Salmantin. itidem.

10. E Mercenariorum cœtu, vtpote Dominicanorum Colonia, paucos, quos sciam, filialis metus post excitam horum cum nostris litem nostris accedere partibus permisit. Et quamvis controuersiæ huius initio veritatis amore filialis hic timor ab eius ordinis Professoribus fuerit superatus, atque nostram hanc Molinæ doctrinam Generalibus Thesibus in suo Generali Capitulo defendam putarint; à suo Prouinciali Francisco Zumel sunt prohibiti teste omni exceptione maiori Vallisoletano tunc Primario Doctore Ioanne Garcia Coronel, alias Thomista, & Dominicanis de reliquo addictissimo, vti ex eius epistola q. 3. cert. 2. n. 8. recitata constat. Et quidem Zumelium, non Theologicis, sed politicis, nescio quibus, rationibus in eam Dominicanorum recentium sententiam tractum esse vel inde constat: quod sæpè scriptis suis, voluntate in vnam, ratione in alteram trahente in vtramque claudicet partem vti doctè ante nos obseruarunt alij, in quibus ita de Zumelio scribit Fasolus 1. p. t. 2. q. 14. art. 13. d. 9. n. 110. [Solemne huic scriptori est nunc nostris, nunc aduersariorum sententiis propemodum, verba ipsa describendo adhærere. Ex quo quanti eius authoritas facienda sit quivis facilè iudicauerit.] Et nos certè huius ordinis professores dolentes sæpè audiuimus, quod Dominicanorum recentium in rebus hisce doctrinam contra proprium animi sensum à suis Prouincialibus, & Generalibus cogantur defendere: quia nimirum illi Episcopatibus inhiantes Dominicano Regis Catholici confessario, cuius ope illos se consecuturos sperant, ea mentium seruitute ingens obsequium præstare putant: quod & nonnullis aliorum ordinum euenire ipsis fatentibus didicimus, sed enim nimius animi candor est credere eo obsequio id opè, & opera Confessarij Dominicani obtenturos, quod & ipse, & sui appetunt fratres.

11. Ex sacra SS. Trinitatis religione neminem pro nobis referre animus erat: cum totam illam totam vbique nationum, & temporum, ex quo res hæc in controuersiam verti cæpit, sententias hac in re nostras, & defendisse & illustrasse notum à Deo sit, vt, ne aduersarij quidem, qui exteros suæ opinionis Patronos omni arte venantur, trutinatas etiam aliquorum (qui satis clarè pro nobis pugnant) sententias recitantes, vt ipsis adfauere videantur, vel vnum ex ea religione Doctorem pro se referre sint ausi. Cæterum insigniores eius familiæ aliquot singulatim referendi sunt, quorum scripta, vel præsum viderunt, vel merentur. Nempè Magister Paez Doctor Conimbricensis, regiusque apud Lusitanos Concionator insignis, & subtilis sacrorum bibliorum interpres Commentarijs in Ezechielem: Mag. Didacus de Auila grauissimus Theologus, & in Beatiensi Academia initio controuersiæ Professor, cuius meminit nuper citatus Primarius Vallisoletanus epistola citata. Mag. Escalante Hispalensis Academiæ Primarius in suo clypeo concionatorum. Magistr. Sepulueda Salmanticensis & Mag. & Professor tract. de anima d. vlt. sect. 4. Mag. Marcus Antonius Alos. Doctor Valentinus t. 1. selectarum disputationum, & lectura de scientia Dei. Ioannes Hurtado Salmantinus Professor, & Mag. post vero Primarius Vallisoletanus lectura de scientia Dei. Mag. Moya Castellæ Prouincialis, & Mag. Mora celebres Complutensis sui Collegij Professores lecturis de scientia, & auxiliis. Mag. Iosephus Romero de Cos in Salmantina nunc Academia Magister, & scripturæ sacræ Professor, & Castellæ Prouincialis.

12. Totus etiam S. Francisci de Paula maximorum, minimorum ordo à principio controuersiæ nostris etiam partibus summo ingenio, & constantia adhæret, quin vel vnus ex eis Theologus Dominicanis hisce consenserit vt superfluum sit aliquos referre, cum vno verbo possimus omnes: Videantur nihilominus Ioannes Durallaus lib. 2. dialectico Theæ cap. 8. t. *aliqua argumenta*, & tit. *Quomodo stent simul*, §. *Amplius probatur*, & tit. *Soluitur quoddam*, §. *Infertur tandem*. Marinus Mersennus in c. 1. Genes. art. 5. obiect. 10. & 17. Claudius Ranolius in lib. 1. Reg. c. 13. vers. 4. t. *quomodo intelligendus sit* §. Ea

§. *Ex his sequitur.* Et §. *His ita explicatis.* Item Reuerendissimus Ioannes Ponze Regius Concionator, & Bæticæ Prouinciæ Prouincialis supremi Senatus S. Inquisitionis censor. Et Illustrissimus Herrera eisdem muneribus functus, qui sacris insulis electus à Rege, ac Domino nostro Philip. 4. humili magnanimitate renunciauit, ac dum hæc scribo magno sui apud curiam regiam, & bonos omnes desiderio obiit, Ioannes Noboa præcipuis sui ordinis muneribus functus. Hi inquam tres lecturis de scientia, auxiliis, prædestinatione. Etsi enim prælo ea scripta non mandauerint, Lecturæ tamen apud Complutum diuturnitate, & doctrinæ laude, cum ibi, quam in curia Regia, & tota denique Hispania fuerunt notissimi. Nonissime ex huius ordinis scriptoribus Ioannes Salemandet. d. Physicæ partitione 4. post Clypeum 4. Etsi cum Durando, & Aureolo, & Capuscino Dola censeat Deum non concurrere immediate cum causis secundis, præsertim liberis 2. resolut. ex hypothesi verò concursus immediati Dei cum ipsis de præsio prædeterminante hæc habet § vlt. totius resolutionis, [diuertendo enim ad prædeterminantes maximum est periculum de medio tollendi ipsam libertatem: saltem tenentur illam definitionem libertatis negare, qua dicitur, libertas, seu libertum arbitrium est facultas, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, vel non agere. Si enim reciperent hanc definitionem, statim hæc consequentia fieret: posita illa prædeterminatione voluntas non potest non agere. Ergo tollitur eius libertas,] quæ in concursu simultaneo cessare ait.

13. Ex clericorum minorum Sodalitio, vnus pro multis sufficit, & superfluit Reuerendissimus Raphael Auersa sect. 3. §. *in hac re*, ex seruitarum familia Celius Valiosius de prædestin. cap. 8. Etsi idem ac seruitarum apud Bononienses ordo seruorum nuncupatus est, Antiquior Doctor Laurentius Opimus Illustri commentario in Magistrum sententiarum lib. 2. d. 25. Ex clericis regularibus alius Zacharias Pasqualigus t. 1. de Deo, d. 40. sect. 1. vbi omnem determinationem diuinæ voluntatis, nostræ voluntatis determinationi antecedentem libertati contrariam fatetur. Et quamvis scientiæ mediæ nomen fugiat re tamen ipsa illam simplicis intelligentiæ nomine admittit.

CERTAMEN IV.

Doctores exteri reliqui & nostri omnes prædeterminatiuas præfinitiones abiicientes recensentur.

1. HAdrian. in 4 sent. tract. de sacram pœnit. (quo loco pro aduersariis citatur quæst. *an homini semper maneat aculeus vere pœnitendi?* Etsi gratiam excitantem, & subinde possibilitatem, seu facultatem pœnitendi videatur negare sub init. tamen solum negat eis gratiam abundatiorem, & concedit quemcumque posse conuerti, habereque paratum Dei auxilium ad conuersionem: quare in eorum etiam potestate esse illam, etsi difficillima eis sit. Et quodlib. 3. quæst. 1. ante med. & med. ait nulli viatori impositam esse necessitatem peccati, sed potius ratione sufficientis auxilij potestatem adesse non peccandi, & quodlib. 7. §. *videamus*, nostræ potestatis, & dominij esse eligere bonum, vel malum. Et vers. fin. *cuilibet sufficienti auxilium offerri quo resurgere possit, & omnia peccata vitare.* Ac sine rem illustri metaphora explicat dicens, *Plurimorum manus à Deo apprehenduntur, qui tamen extra puteum non trahuntur: quia semetipsos iuuare non satagunt.* Ex his autem qui contra Lutheranum, Caluinum, & kemnitium. Prædeterminantes præfiniones afferentes, scripsere Roffensis art. 36. contra Lutherum inter princip. & med. §. *edissere*, & sequenti, ac Pope articuli med. Ruardus Tapper contra Luther art. 7. toto. præsertim inter princip. & med. propos. 4 5. 7. & 10. & initio articuli in definitione liberi arbitrij de quo q. 3. diximus Triedo de redempt. generis human. citatus à Ruardo proximè tract. 4. c. 2. concl. 1. 2. 3. & corollar. siue concl. 5. & tract. 5. cap. 3. concl. 3. & tract. 6. cap. 1. pag. 2. rationibus tertij, & quarti gener. & lib. de concord. gratiæ cum libero arbitrio cap. 2. partic. 2. & cap. 3 longe ab init. §. *Accedamus iam ad examinanda*, & lib. 1. de grat. & lib. arbitr. tract. 4. lib. 2. toto præsertim tract. 1. fin. Stapletonius duaci, & Louaniæ Professor Regius lib. 4. de iustific. cap. 8. Antidoto in epist. ad Roman. cap. 11. ad id, *sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei*, post med. commentarij, & in cap. 9. ad id. *An non habet potestatem figulus.* Sæpe, & maxime vers. 15. §. *Deum altitudine intellectus sui.* Antidoto in Ioann. cap. 1. ad id: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & in cap. 8. ad id: *si filius vos liberauerit.* & in cap. 15. ad id: *sine me nihil potestis facere.* Et antidoto in acta in cap. 1. ad id *Definito consilio, & præscientia Dei.* Et in promptuario Catholico 6. Feria Hebdomadæ 1. quadragesi. Hi omnes adeo exploratò contra præfinitiones prædeterminatiuas, tanquam libertatis nostræ pestem, & pro scientia nostra media scribunt, vt nobis vltro donentur à primis aduersariorum Ledesma Aluarez, Zumel & Cabreta, etsi postremi, vt Hieronymus Viues, & alij ausi fuerint eos pro se recitare. viuunt tamen, viuentque semper egregia tantorum virorum scripta vbi citata loca videri à quovis possunt, & collecta omnia præter vnum sunt apud Ruiz de scientia d. 49. sect. 9.

2. Eadem audacia citatur pro se ab eodem Viues, & aliis Cunerus Episcop. Leouardiensis; qui tamen ita contra horum impostaram pro se, & pro nobis scripsit tract. de lib. arbitr. cap. 9. [Fit quidem, vt positis iisdem fidei, & conuersionis principiis similibus, Spiritus Sancti Illustrationibus, suasionibus, & inspirationibus vnus sua libera voluntate eas reiiciat, & non credat, alius sequatur, & credat. Cæterum, qui conuertitur, non ex sola voluntatis virtute hos instinctus sequitur, sed Deo generaliter, & Patre misericordiarum cooperante, & Spiritus Sancti inspiratione comitante. His tamen non obstantibus potuit is, qui credidit hoc facere, quod fecit is, qui in infidelitate permansit; & is idem id ipsum potuit facere, quod fecit is, qui acquieuit: quoniam positis huiusmodi præuenientibus adiutoriis ipsa diuina, & Spiritus S. cooperatio ex Dei benignitate in ipso hominis arbitrio quoque posita est, vt ex Deo operari possit, & ex se cessare: quo casu verissimum esse cernimus, quod inter nos diuersitas ex libero nascitur arbitrio: quoniam qui resistit ex eisdem gratiis acquiescere potuit; & is, qui locum dedit spiritui sancto similiter resistere potuit.] Ioannem etiam Malderum Professor Reg. Louaniens. Antuerpiensem Episcopum à nobis alienum vendicant, qui eius scripta non viderunt, vel dissimularunt. Siquidem 1. 2. quæst. 111. art. 3. tract. de grat. dub. 10. toto. Sed præcipue n. 3. & 4. post aduersariorum fundamenta sic fatur. [Verum tota hac operosa argmentorum mole, neque satis ostenditur inutilitas, imo neque tollitur necessitas præscientiæ conditionatæ in explicanda gratiæ efficacia. Imo probabilius est recte, & secundum mentem veterum recentiores quosdam, eosque non paucos, neque obscuros, neque in scholæ vnius sententiam iuratos per hanc præscientiam conditionatam explicare complementum quasi vltimum, & omni gratiæ efficaci commune.] Et postea eo scientiam hanc commendat, [quod per illam omnia, quæ scriptura sacra, & veteres Patres (præsertim Augustinus) de gratia efficaci dixerunt, recte explicentur: Et quod alius modus hactenus repertus non sit, quo æque commode, & clare explicari queat concordia gratiæ, & liberi arbitrij.] His adde Ioann. Vvigers Louaniensis etiam Academiæ Doctorem insignem ad eandem quæstionem & articulum 3. qu. 2. à n. 33.

3. Ioann. Cochlæus totis libris duobus de lib. arbitr. contra Melanth. qui antecedentem necessitatem operum nostrorum, & prædeterminationem ex prædestinatione, gubernatione, & operatione Dei adstruebat (2. eiusdem Cochlæi libro tex. 3. & 4.) excludit ex scriptura, & Patribus, atque oppositam indifferentem potestatem, & dominum arbitrij nostri ex iisdem confirmat, præsertim lib. 1. textu 1. ex illo Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus.* Et textu 2. ex illo Dei 3. Reg. 3. ad Salomon. *Postula quodvis, vt dem tibi.* Et lib. 2. impugnatione textus 5. ad fin. Eandem necessitatis operandi exclusionem ab arbi-

trio libero, eiusque indifferentem potestatem & dominium ad sua opera ex scriptura, & Patribus docet contra Lutherum, posito etiam Dei concursu præparato, & speciali eius gratia Ioann. Echius Enchirid. locorum communn. loco 31. speciatim ad 7. & 11. Hæreticorum obiectionem. Id ipsum ostendunt contra eosdem Hieronym. Torrensis pluribus Augustini locis lib.2. confessionis Augustinianæ cap.3. de grat. & lib.arbitr. & Ioannes Nopelius lib.2. confessionis Ambrosianæ cap.2.de lib.arbit.per quinque priores ritulos pluribus Ambrosij testimoniis. idem docet Albertus Pighius lib.3. de lib.arbitr. c.3.4.5. & lib.7. & 8. Franciscus Sonnius in demonstrationibus tract.12. de consiliis init. & per totum, auxilij vsum in arbitrij potestate locans, & cap.26. circa medium. *Quid enim libertas? nonne facultas agendi, quod velis tequeipso vtendi ad tuam vtilitatem quomodo velis? seruitus autem non aliud, quam non posse, quod velis?* Cardinal. Contarenus ad suorum operum fin. epist. de prædestinat. post med. Dei vocationi, & auxilio quosdam propriæ voluntatis potestate respondere, alios resistere docet: cum vtrique sequi possent, & vtrique resistere, exemploque aptissimo illustrat Illustriss. Alphonsus Virvesius Episcop. Canar. disp. philippica 15. ex viginti, quas contra dogmata Lutherana edidit. Iudocus Tileranus Apolog. pro Trident. contra Kemnitium part. 1. circa 6. sessionem, & sex priores eius Canones, præsertim, §. *Hæc, cum ita sint.* Christophor. à capite fontium de lib.arbitr.pag. 1.& pag.60. in 3. ratione, & pag.117. confutatione 4. Michael de Palacio in 2. d.25. disp.1. init. difficultati de necessaria actione causæ secundæ Deo efficaciter mouente ait: eam necessitatem, sicuti, & efficaciam motionis causæ primæ respectu causæ secundæ liberæ non esse antecedentem, sed consequentem huius operationem, & ab huius positione ortam, & d.37.disp.vn.solut.argum.1. ideo plenam habere suarum actionum potestatem arbitrium ait: quia Deus paratissimus est operari, quando ipsum volet.

4. Nicolaus Grandis ad Roman. 9. maxime in ea. *Miserebor, cui misertus sum.* Et in illa, *non volentis neque currentis.* Negat liberas actiones antecedenti prædeterminatione Dei præueniri, imo electionem, & reprobationem præscientiæ illarum inniti. Marcus Antonius Nattæ lib.9.de Deo initio, & pag.5. cum futurorum præscientia & tota serie causarum voluntatis libertatem, & potestatem ad agendum, vel non agendum, vitanda peccata, vel secus, obedire Deo, vel resistere, & vtrovis se flectere optime constare: fusius lib.12. pag.3. & 6. Horantius lib.1. locor. Catholicor. maxime à cap.31. ad 56. omni necessitate antecedentis solutam libertatis indifferentiam docet. Et c.45. circa fin. ait: Deum neminem vi suæ trahere motionis, & gratiæ, sed præsto solum esse ad opitulandum si velimus. Et c.25. nostri esse iuris primam gratiam irritam facere respuendo, vel confirmare sequendo. Fælicitanus Capitonus Catholicar. explicatio. part.1. explicat.62. libertatis indifferentiam, & potestatem ad vtrumvis indeterminatam, suppositis etiam gratia, docet sicuti 2. part. explicat.55. & 73. num.3. ex Augustino, & 3. part. explicat.21. num.10. nullam necessitatem agendi à prædestinatione, aut præscientia nobis afferri probat Illustriss. D. Ferdinand. Mascarenas Algarbior. Episcop. Lusitaniæ Generalis Inquisitor. tract. de auxil. toto: præcipue d.2. part.3. num.23. & part.4. num.27 d.3.part.4.n.6. Illustriss. Franciscus Diota Leuius Episcop. S. Angeli, & Bisacciarum Legatus à latere à Paulo 5. apud Poloniam opuscul. de scient. conditionat. cap.3. probat 3. & 4. Pesantius Eques Rom. iurium, & Theologiæ Doctor 1.p.qu.14.art.13.d.5.concl.4. & 5.qu. 23.art.5.d.7.& 1.2.qu.111.art.5.d 4. notab.2. Gundisalu. Sanchez Lucero de concept. discursu 1.c.5. Thom. Pius 1. par.qu 14.art.13.dub.3.n.5. dub.4 n.5. Eugen. Philadelph. exercit.scol.Tripart.c.1.corollar.36 cap.3.§.8. Ioan.Putheanus Regius Academiæ Tolosanæ Professor ad q.14.1.p. art.13, dub.2. §. *vltima sententia* dub.3. §. *Ad rationes.* Alphonsus Curie controu.7.seu 1. in 4 sapient. & alibi in Salmantina Academia citatus Oduardus Vestonus Duacensis Professor lib.3. de triplici homin. officio cap.29. Claudius Dauiquius de Sanctitudine B.Pauli Apost.lib.2. c.6.Murcia de la Mana 2.physicor.d.4.de causa efficiente q.3.§. *quinto dubitari potest*, Ludouicus Diaz, Franco tr.1. de reb.naturalib. in communi q.8. c.2. n.11. Paulus Leonardus toto opere celebri responsionum ad expostulationes contra scient.med.

5. Pro eadem porro sententia nostra præfinitiones abiiciente prædeterminatiuas numerandi etiam sunt, qui æstimantes S.Augustinum locis iam à nobis explicatis absolute efficaciter, & voluntate & gratia sua nostra bona opera independenter omnino à nostra libertate ineuitabiliter, & irresistibiliter à nobis Deum operari docuisse censent eum, & cum ipso loquentes Patres alios Pelagianæ hæresis, quam impugnabant, totum arbitrio tribuentes, minus erga arbitrium æque docuisse, atque in foueam alteram incidisse euersæ inde libertatis. Ij vero sunt Genebrard. Epist. ad Carolum 9. Galliæ Regem præfixa Origenis operibus à se correptis, §. *Augustinus id in se agnoscit*, Cornel. Mussus Franciscanus Episcop. Bituntinus ex Patribus Tridentinis ad cap.5. ad Roman. in id. *Igitur, sicut per vnum delictum*, §. *Verum tamen*, & §. *Ad Augustinum autem.* Sixtus Senensis Dominicanus præfat. lib.5 Bibliothecæ, §. *Sunt deinde alij.* Accedunt Iulius Sirenius libro de prædestinat. & libris contra Ethnicum factum, Hieronymus Osorius lib.9. de iustificat. Sadoletus in cap.8. ad Roman. quos cum aliis pro nobis refert Ledesma de auxil. sub init. proposit fundamentali pag.7. item Abulensis in cap.11. Ioluc. Bartholomeus Camerarius Dialog Catholico cap.9.§.4. Cosmas Philiarcus lib. de prædestinat. apud Herreram Franciscan. t.1.in 1. sentent.d.24. qu.vn.sententia 2. Ioannes Roa Dauila Illustriss. insuper D. Ioannes Iannis de Echalas Calagurritanus Episcop. d.32. cap.3. numer.27. quibus & alij plures addendi, quos, cum nullius ordinis sint quæstionibus antecedentibus, è quarta scilicet, recensuimus; Regulares enim in suis quoque ordinibus numerauimus.

6. Iam ex nostræ societatis Doctoribus non admodum breuis Cathalogus texendus est. Ludouicus Molina 1. par. quæst.14. concl. Et super eadem quæst.14. concordia art.3.d.50. §. *Triplicem sententiam*, & qu.23.art.4.& 5. d.1.m.9. §. *Et quidem Deus*, & m. vlt. Fonseca 6. metaphysic. t.3.cap.2.qu.4. sect.8. §. *Vnde aperte*, & sect.10. Vasq.t.1.in 1.p.d.67.c.4.n.21. Valentiat. 1. in 1.p.qu.14. d.1.punct.5.§.2. vers. *secundum est*, & versu *nunc his ita explicatis*, Soarez opuscul.lib.2.de scientia conditionata c.7.& 8.& 1.de grat. prolog.2.c.5.& 2. p.altero prologomeno eminentiss. Cardinal. Robert. Bellar.2.de amiss. gratiæ c.17.ad ration.1.& 4.de grat.& lib. arbit. c.12.& 13. Eminentiss. etiam Cardin. Ioan. de Lugo d.20. de incarnat.sect.2.n.33. Becan.1.p. tract.1.cap.10.q.9. concl.1. q.11.n.2.qu.12.concl.1. Ægydius Koninck.2.2. d.2.dub.7. n.107. Ludouicus Turrian.tract.4.q.8. Conimbricenses 2. Physicor.c.5.qu.13. Didacus Ruiz de Montoia t.de scientia Dei fere toto: præcipue à disp.33. & sæpè tomis sequentibus de voluntate, de prouidentia, & de prædestinat. vt vel citare singulatim loca fir valde prolixum. Arrubal. 1.p.d.42.c.3.d.46.c.1. Herize tract.1. de scientia Dei d.7. c.7.Granado 1.p.tract 5.d.4.n.4.d.8.sect.1.n.7.sect.2.n.10. Albertin. quæst.4. Theolog. Corollar 4. dub.1. assert.2. n.15.dub.2.num.4. Meratius t.1 tract.de Deo d.28.sect.4. vers. *Ex his constat*, sect.5.conclus.3. Tanner.1.p.d.2.q.6. dub.8. assert.3. Lessius Apologetico de grat. efficaci, & lib.6.de diuin. perfectionib.cap.2. fasolus t.2.in 1.p.q.14. art.13.dub.7. Alarcon 1. p. tract.2.d.4.c.1. Ioann. de Salas t.1.in 1.2.tract.3.d.1.sect.6.tract.5. d.3.sect.2. Dionys. Petauius t.2. Theologicor.dogmat.lib.4.c.8. Marcus Anton. Colum.1.p.q.14.doctrina 4.

2. Anton. Peræ 1.p.n.88. Iulius Cæsar Recupitus t.2. in 1. p.lib.1. qu.27. & 28. Franciscus Gonzalez de Sancta Cruz, Bartolomeus Amicus, & Baltazar Tellez in physicis de causa efficienti, & concursu primæ cum secundis agentes, Sfortia Palauicinus 1. p.& 1.2. Anton. Ricardus d. de lib.arbitr. & ad obiectiones Vincentia. Petrus Hurtado d.9. de anima, & 55. de incarnat.sect.2. num.54. Gaspar Hurtado tr. de Scientia Dei diffic. 10. Moncæus d.3. ex Theologicis c.9.§. *Iam ostendo*, & c.16.§. *At inprimis*, Rasusia de incarnat.d.30.§ 5. Theophilus Raynaudus Theolog.naturali d.8.q.1. art.2.n.37. & de noua libertate p.2. c.8.n.3. Martinus Greiserus de conscientia c.19. à n.257. Gualterius Chronologiæ sæculo 1.veritate 4.§.24. sæculo 4.veritate 4.§.15. Ferdinand. Salazar de concept. c.9.n.31.

c.24.

c.14 n.60. Burgheſius de continẽtia Chriſtiana c.11. & 12. Ioannes Martinez de Ripalda de ente ſupernaturali d. 105. Franciſcus Amicus de ſcientia Dei d.12. ſect.12. à n.200. Ioann. Præpoſitus diſſertatiunc. de ſcientia med. dub.2. Arriaga diſp.8. de anima ſect.3. ſubſect.2. Et t.1. in 1.p.d 21. de ſcient ſect.2. Zuñiga de Trinit. q.34 d.9. dub. 7.n.2.n.8. Hemelman.t.2.tit.13.d.1.c.4.n.26.& tit.14.d.2. c.3.num.7. Vvadingus de incarnat.d.9. dub.4.n.21. Perlin. Apolog. Scholaſtica pro immaculata Virg. concep. diſp.4. c.11.n.2.& c.4.n.1. Franciſcus de Lugo 1.p.lib.1.d.32. ante c.1.& d.37. de prædeſtinat. c.1.à n.7.

7. Azor. t.1. moral. Theolog. lib.1.c.21.q.8. Martinon de Scientia Dei d.10. ſect.10. Franciſc. Alphonſus 2. phyſicor. Auguſtinus Bernal, de incarnat. d.18. ſect.3. n.53. Ludouicus de Ribas de Scient. Dei d.6. c.5. Martin Perez ab Vrranoa de incarnat. d.13. ſect.2. Aldrete de incarnat. t.1. d.21. ſect.1. Gaſpar de Ribadeneyra de prædeſt. à diſp.3. & de Scientia Dei d.20. & 21. Chriſtophorus de Vega in Theologia Mariana paleſtra 2. cert.3 & 4. Compton Carleton d.46. ſuæ Philoſophiæ ſect.4. Ildephonſus Peunafiel de poſteriori reſolut. d.5. ordine 14. quæſt.1. n.10. & quæſt.vlt d.9. à ſect.3. Franciſcus Annatus celeberrimo, & laudatiſſimo, nec ſatis laudando opere toto defenſionis ſcientiæ mediæ contra Tuiſſium Caluiniſtam, Auonymum de ordine, Fr. Ioann. à S. Thoma, & Authorum curſus Theologici Carmelitani diſcalceati, Bernaldus Quiros variis locis t.1. in 1.p. præcipue tract. de Scientia Dei, & tract. de voluntate, & cap.2. de prouident. & tract. de prædeſtin. Franciſcus Lyneeus t.1. ſuæ Philoſophiæ lib.10. tract.4 cap vlt. Gaſpar Henao de ſcientia media hiſtorice propuguata aliosreferens plures Matthias Borrull. Valentinus defenſione ſcientiæ mediæ contra nouos eius impugnatores ſcilicet contra Hieronym. Viues Valentinum conciuem, qui eam ſcientiam nouiſſime impugnauerat lib.1. de Primatu diuinæ libertatis ad ſciendum, & diſcernendum de contingentibus contra ſcientiam mediam. Qui omnes, atque ex ſcholaſticis noſtris Doctoribus alij, rem metaphyſice, & rigore ſcholaſtico diſcutientes prædeterminatiuas præfinitiones, ſiue obiectiue conditionatas reſpectu conditionatorum contingentium, ſiue omnino abſolutas reſpectu contingentium abſolutorum (vt renum, quas ex inſtituto diſputabant oportunitas fuit) omnino reiecerunt.

8. Id ipſum è noſtris ſcripturæ ſacræ interpretibus præſtitere Alphonſus Salmeron t.4. in Euangelia p.3. tr. 14. §. *Ad ſecundam quæſtionem*, in quo ſpecialiter notandum cum ibi, tum reliquis commentariorum ſuorum libris ſcholaſticas quæſtiones, quas ex littera ſacri texitus excitat ita exacta eruditione, & ſcholaſticis rationibus ab ipſo diſputari, ac definiri, vt nemini, ſiue priſcorum, ſiue recentiorum Theologorum ſit ſecundus. Atque id quidem, & profundo ingenio, & eruditione, atque indefeſſo tanti viri ſtudio effectum eſt, & manuſcriptorum Iacobi Lainez, Doctorum omnium ætatis ſuæ facile Principis ditiſſimis ſuppetiis: quare in Salmeronio Iacobus etiam Lainez, à quo tantus vir diſcedere auſus nunquam fuit, pro quauis eius ſententia citatur. Venerabilis hæreticorum Malleus Petrus Caniſius apendice Catechiſmi de hominis lapſu, & iuſtificatione c.5. Maldonatus in Euangelia in c.6. Ioannis ad id: *Niſi Pater meus traxerit eum*, n.67. & in cap.15. ad id. *Manete in me, & ego in vobis*. Eminentiſſ. Cardinal. Toletus in c.10. Lucæ annot. 28. notab.5. Barradas t.3. cap.11. ad id. *Væ tibi Bethſaida*, & Cornelius à Lapide in cap.38. Ierem. verſ.17. & in epiſt.2. ad Timot. c.2. verſ.19. Lorinus in c.4. ſapient. verſ. 11. & in c.11. verſ.18. Iuſtinian. in c.3. ad Epheſ. verſ.11. Ioan. Mariana, Gaſpar Sanch. Ioannes Rodolphus de Cordoua apud Henao ventil.17. Antonius Fernandez de viſionib. veteris Teſtam. Viſione 6. c.3. comment.1. ſect.1. n.1. Franciſcus de Mendoza t.3. in lib.1. Regum. c.11. n.26. expoſit. litteræ annotat.1. circa litteram n.1.

9. Iacobus Pintus de Chriſto crucifixo lib.2. tit.1. loco 1. n.13. Tirinus in epiſt.2. S. Petri Apoſtolorum Principis c.1. verſ.13. Contzen in epiſt. ad Roman. c.P. verſ.11. q.7. §.6. Gabriel Aluarez t.2. in Iſaiam c.40. verſ.11. n.299. & c.41. n.256. Gordonus in cap.4. Sapient. verſ.11. & in epiſt. 2. ad Timoth. c.3. verſ.19. Vincentius Regius in concordiis Euang. t.1. l.4. c.10. Theorica 1. n.1. Bonarcius in c.16. Eccleſ. verſ.16. Didacus de Baeza tom.3. commentar. moral. in Euang. lib.14 c.16. §.35. Ioannes Philippæus t.1. in Oſeam c.2. verſ.13. c.4. & 11. Viegas, & Cucuara apud Ripaldam de ente ſupernaturali d.113. n.25. Antonius de Eſcobar t.1. problematum moral. lib.1. n.5. Soherlogus t.1. in cant. anteloquio 4. ſect.1. n.7. Martinus Delrius in c.6. Geneſ. verſ.8. num.25. & in c.50. verſ.19. n.11. Ludouicus à Ponte t.1. in cant. exhortat.6. §.1. Maſuzius in vita S. Pauli lib.2. cap.6. Ioannes Vvalterius de triplici Cœna Chriſti Cœna 2. cap.13. Crombecius de ſtudio perfectionis lib.1. cap.4. n.11. Salianus t.2. annalium anno mundi 2543. n.52. Ioann Anton. Velaſquez in epiſt. ad Philippenſ. c.1. verſ.21. annotat.5. morali num.8. Andreas Pintus Ramirez de concept. n.6. quibus adde Stephanum Dekams, nuperrimum contra Ianſeniſtas ſcriptorem.

CERTAMEN V.

Vtriuſque opinionis pondere ab authoritate ad trutinam vocato vadecernatur Thomiſtica aduerſa.

1. EX hactenus tota hac diſputatione à nobis productis conſtat primo: prædeterminantes præfiuitiones omnino antecedenter ad vſum libertatis noſtræ, atque ab eo ſubinde, quoad ſui efficaciam, & intrinſecam cum actu libero præfinito connexionem independenter, à Deo conceptas, vt præfiniti actus, & arbitrij quoad eius effectionem libertatis euerſiuas ab ſcriptura, Patribus & Conciliis, non ſemel, ſed infinities pene, iterata repulſa repudiati; quin pro eis ſit, vel vnum, ſiue ex ſcriptura, ſiue ex Patribus, ſiue ex Conciliis teſtimonium firmum, imo nec doctis in hac controuerſia adhuc apparens: ſoliſque ex Priſcis fatalis neceſſitatis aſſertoribus Philoſophis, & Hæreticis Prædeſtinatoribus, contra quos agentes Patres quæſt.2 à nobis contorta dederunt, atque ex Recentioribus. Vvicleffo, Luthero, & Caluino, & Aſſeclis (contra quos Conſtantienſe, Senonenſe, & Tridentinum anathemata fulminarunt) quoad antecedens præfinitionum harum conuenire; licet quoad vitandam ex illo libertatis noſtræ euerſæ conſecutionem Catholico animo laborent, & inſudent, vt ab eorum ſe doctrina diuerſos oſtendant, Dominicani recentes. An vero eiſdem omino, quibus illi viis, & ſolutionibus libertatem arbitrij, & humanarum actionum cum ſuis præfinitionibus componant, & ipſi, & alij iudices ſuncto. Noſtrum enim tantummodo fuit vtrorumque ſolutiones coniungere, & ſingulatim conferre, ac nihilominus de Catholicorum Patrum fide bene omnino ſentire, altamque eorum hac in re, quam pro ingenij noſtri tenuitate fortaſſe non aſſequimur, mentem ſuſpicere, nobiſque accommodatius explicatam optare, & ſperare à doctiſſimis Patribus explicandam, ni Sedis Apoſtolicæ oppoſiti definitione præueniantur.

2. Quoad ſcholaſticos verò Doctores ex ſcholis Sectis Academiis, & Religionibus atque aliis ſcriptoribus innumerum pene Catalogum poſſumus texere, è Dominicanorum familia, & ſchola eam pro nobis eſſe, de Academiis contra præfinitiones haſce earum iudicia ſtetiſſe: præcipue illarum, quas pro ſe aduerſarij allegare ſolent, vt Louanienſem: quod ipſum de religioſis familiis, oſtendimus quæſtione ſexto, ex S. Thomæ teſtimoniis certamen ſecundo, & ex eius diſcipulis Dominicanis cum antiquis, tum recentioribus certamine tertio, à numero tertio, per totum retulimus, & recitauimus, Albeldam, Caieranum, Ferraram, Dezam, Conradum, Vincentium Beluacenſem, S. Antoninum, Theophilum, Raynerum, Paludanum, Heruæum, Capreolum, Holcoth, Franciſcum Victoriam, Petrum de Soto, Dominicum Sotum, Viguerium, Ioannem Vincentium Vicarium ordinis General. Hieronymum Mazarelli, alias à Bononia ſui ordinis Generales Magiſtros, Franciſcum Romæum, Ioannem de Neapoli ſacri Palatij Magiſtrum, Campanellam, Iulianum Ioubert eius etiam ordinis Vicarium in Gallia Generalem, Antonium Mallet,

Coſmam

Cosmam Marellum fidei quæsitorem, Augustinum Rusium studij Panormitani Regentem, Foresi, & Seraphinum, Riualdum, Magistros Yanguas Mondragon, Tiedram Bartholomæum Ferreiram, Ioannem de las Cuebas, Mancium, Laurentium Gutierrez, Biedma, Gasparem de Corduba, Araujo, Thomam Elisicem, Barthasarem Bucchnerum, Bartholomæum Medinam. Scilicet tres supra quadraginta viros, in sua quemque ætate doctissimos, quibus adde Sixtum Senens. præfat. lib. Biblioth. §. *sunt deinde alij*; qui, si & numero, & doctrinæ meritis cum eiusdem familiæ Doctoribus, qui pro eis præfinitionibus steterunt, conferantur, dubium æquo rerum æstimatori non erit quin Dominicana non schola solum thomistica, sed etiam familia pro nobis stare absolute dicenda meritò sit. Maxime cum eis Dominicanis, qui præfinitiones prædeterminatiuas nostrarum actionum liberarum, siue conditionatarum, siue absolutarum absolute admittunt plures neque indoctiores conditionatas, absolutas ex parte actus, præfinitiones tanquam ridiculas, & ineptas reiiciant, vt vidimus Controuers. de Scientia d. 6. quæst. 1. plaresque alij non ita illas absolute admittant: vt eas ad actiones prauas siue conditionate, siue absolute futuras, tanquam impias, & blasphemas non exhorreant: Vtrumque autem doctrina (quam hodie eius Patroni Dominicanam, & Thomisticam esse volunt, & clamant) mordicus debeat defendere.

3 De Religionibus reliquis Franciscana, Augustiana, Trinitaria, Minima nemo notus scriptor, Doctorve celebris est, quem pro se allegare aduersarij possint. De Carmelitana absque vlla distinctione, aut limitatione pro se vniuersim referre Hieronymus Viues verius non est d. 19. dist. 2. §. 2. num. 12. cum calceatum à discalceato Carmelo diuidere deberet, inueniretque: primum, qui insignibus ex multo tempore Doctoribus floruit, omni tempore totum pro nobis (si vnum Cornejo ex notis literatus excipias) stetisse dedisse calceato Carmelo, cum nuperus sit, paucos pro se scriptores in hac materia insignes proferre poterit: Scilicet duos Theologos discalceatos Carmelitanos, vnum authorem cursus Philosophici Complutensis, alterum cursus Theologici Salmantini. Nemo etiam ex Benedictino, ac Bernardino ordine notus scriptor, aut Doctor aduersariis consentit, vt vidimus suo loco. Seruitas pro nobis esse ostendimus, & ex clericis minoribus eorum Generalem Præpositum Auersam; quin scriptor ex ipsis alius Thomistis recentibus saneat: alioqui Viues totum eorum ordinem pro se ibidem referens, saltem in exemplum aliquem citaret; & tamen citat nullum. Ex ordine S. Hieronymi totum pro se etiam allegat vno Cabrera producto. Demum vt res ad calculos, vt aiunt, redigatur summarim coniungendi sunt sententiæ nostræ Patroni. Domestici fideliter relati centenarium numerum excedunt: ex Thomistica schola, & Dominicana non minus quadraginta quatuor: ex S. Benedicti ordine cum suo Præceptore Anselmo amplius Doctoribus decem: ex S. Bernardi familia duodecim. E Franciscanis Patribus Scholæ Scoticæ triginta: Ex Schola etiam Franciscana Nominalium octo: ex qua Schola omnes etiam aliorum ordinum, numerari debent: Aduersariis fatentibus, ab Schola hac definitionem causæ liberæ, qua ipsi tantopere vexantur, inductam fuisse: Ex Augustiniano cœtu sexdecim: E Carmelitano Doctores calceati Carmelitani 7. ex Trinitario ordine nouem, & ordo vno verbo totus: sicuti, & tota Minimorum familia, ex qua Doctores sex notissimos produximus. E Seruitarum Religione duos ex Clericis Minoribus, & Oratorij duos.

4 Iam ex Academiarum Professoribus, & Magistris numeris nostræ sententiæ adfauentium exacte designari nequit: quia è sola Parisiensi numerandi essent quotquot ab anno 1226. quo damnatio propositionum (in quibus vna est, de qua nunc cum aduersariis contendimus notata q. 3. cert. 1.) addita post 4. librum sententiarum facta ab Schola illa fuit exiterunt. Siquidem exinde nullus Parisiensis Doctor aduersæ doctrinæ non contra dixit: ideoque annum circiter 1400. similem propositionem cum aliis Vvicleffi rursus eadem Academia damnauit, atque iterum illud decretum Concilij Senonensis, quo aduersariis vexantur, eiusdem Academiæ suffragio communi editum est, at rursus similes in hac materia propositiones Michaelis Baij, & tandem Cornelij Iansenij Schola eadem ita enixe infectata proximis annis est, vt earum damnationem à Sede Apostolica obtinuerit. Numera ergo, si potes Doctores, & Professores Parisienses, qui totis 433. annis nostræ sententiæ consensere. Eius verò Academiæ scriptores, præter regulares, numeraumus quinque Illustrissimos Recentiores. Ex Moguntina vniuersitate, qui totius nomine Epistolæ ad Sedem Apostolicam pro nostra sententia Missæ, atque à nobis ex parte recitatæ: q. de Academiis cert. num. 4. subscripserunt. Sunt autem Doctores Stephan. VVeberus, Ioann. Busæus, Christianus Agricola, Franciscus Rapedius, Christophorus VVebus, Albertus de Pateo, Nicolaus Serarius, Ioann. Mulluisinus, Petrus VVindus, Ioann. Domiclarius, & Leonardus Butanus, scilicet vndecim numero, vt videre est apud Paulum Leonar. 1. p. respons. sect. 9. ex Herbipolensis Academiæ Epistolæ præter Buchnerum Dominicanum, & Gaspar. Leubach. Franciscanum, iam numeratos in nostri fauorem, subscripserunt Eucharius Sangais Georgius Schireickhardus, Erasmus Schaibleim, Magnus Schuid, Nicolaus Gobeluis, Henricus Hauerus, Hermanus Sundorpius, Petrus Thyrens, Houesinensis, Ioan. Pernotus, Thomas Masionius, scilicet numero etiam vndecim: mittimus Becanum, qui & subscripsit, quia in nostris numeratus iam fuit. Mittimus & Doctores Louaniensis Academiæ, quia ferè omnes in ea citati aliis classibus numerabantur: exceptis Ioanne Strienio Episcopo Middeburgensi, Læuino Torrentio Episcopo Antuerpiensi, Eademque de causa alios Doctores, qui vel Tridentino, vel sanctæ Inquisitionis decretis interfuere: & forte non omnes in aliis classibus sunt memorati: neque enim in tanta Doctorum summa de paucis eorum, imò nec de pluribus curandum nobis erit nimis. Denique scriptorum, quos in nulla Religionis Academiarum, aut Scholarum classe recensuimus vsque numerum quadragesimum quartum produximus.

5 Qui omnes recenti viginti, eoque amplius Doctores. Numerus quippe externorum Doctorum decem, & octo supra ducentos continet, Domesticorum verò supra centum duos, quibus coniunctis tercentenarius, & vigesimus numerus expletur; non paucis, vt dixi prætermissis. Videat ergo Viues, quam copiosam aciem quinquaginta quinque propriis Doctoribus instructam duodecim quæ alienis, eisque maiori ex parte suppositiuis, & falsò allegatis (nimirum S. Thom. Alberto Magno, S. Antonino, Capreolo Conrado, Caietano, Hervæo, Ferrar. Dominico Soto, Bartholomæo Medina Catherino, Sixto, Senensi, Deza, & Gonzalez, Albelda, S. Vincentio Ferrer.) vt et dictis manifeste constat. Eis vero Scholæ suæ nervis subtatis enervis sane acies manebit: maxime cum Canus etiam 2. de locis cap. 4. ad 7. Sonzinas 6. mer. q. 15. ad 1. Iauellus tom. 3. q. de prædest. cap. 5. §. *Dico*, Nihil de prædeterminatiuo decreto loquantur, sed solum ex prædestinatione, & præscientia ad eius effectum necessariam illationem esse, quod, & nos, & Catholici omnes fatentur: quia verum id omnino est, & si certitudo, & necessitas illationis consequens sit, & tandem effectus positionem supponens. Reliqui ergo ipsi ex Domesticis erunt, qui studio partium scripserunt, nec adeo nobiles Doctores, & quos magnam partem, legere (ne Doctoribus legendis tempus subtrahant) non curamus. Ex eisque notiores vt Ledesma Nauarrete, Nuñez, Cabezudo, Rida, & Verdu ad consistentiam, & quam Deo tribuunt, contingentium conditionatorum cognitionem decreta subiectiue absoluta, & obiectiue conditionata prorsus inepta, & ridicula appellant, & impugnant: quia nec Scholam Thomisticam hodiernam ad purum sectantur: Martino de Prado, cum argumento euertendæ ex his præfinitionibus libertatis à Patre Gaspare de Ribadeneira in publicis Thesibus Complures premeretur, coram Academia tota præfinitiones hasce à libera effectus positione dependentes esse, atque ab ea dependenter concipi, haberique à Deo è Cathedra nuper fassus est: quare, quid, cum se in scriptis signis impugnabat, scripserit curandum iam non est: cum publicè palinodiam recantauerit: expungendi item ex eo numero sunt Driedo, Ricardus, Tapper, Cuñerus, Scapleronius, Lorca, Curiel, Basil. Legionens. vt ex dictis pater. Zumel verò, & Cabrera, decreta conditionata ex parte actus eodem, ac nuper citati Dominicani, stomacho infectantur, risuque excipiunt: & omnino absolutas præfinitiones

præfinitiones circa materiale peccati ex eis plerique auerſantur, vt d.2.referemus, (& iam diximus) in quibus rationes pro vtrorumque actuum, & prauorum, & bonorum præfinitionibus communes debilitant: ſeque proinde, dum eas ad bonos ſolum actus admittunt, omnino inconſequentes, paruique habendos oſtendunt. Cum ergo aduerſarij ad purum numerati, nec numero, nec bonis doctrinæ qualitatibus comparandi, cum externis adhuc, qui noſtris partibus fauent, videantur: atque ex domeſticis Doctoribus aduerſarij contra ſe habeant ſuos Doctores, & plures, & præcipuos, ex noſtris autem pro ſe nullum; nos autem ſupra centum ex his numeraſſe, è ſuis autem primoribus quatuor ſupra quadraginta, ex externis reliquis circiter ducentos, conſtet; fit planè primo noſtram ſententiam è ſola etiam Scholaſticorum authoritate (ſcripturæ & Patrum ſuffragiis nunc Miſſis) aduerſæ ſententiæ longè antecellere: imò intra Scholæ, & familiæ Dominicanæ ſepta præſtare debere non parum. Cum autem ex non admodum recentibus Theologis nemo, vt vidimus ſit, qui aduerſæ ſententiæ ſuffragetur, atque omnes hanc noſtram docuerint: conſtat etiam, quanto iudicio, & eruditione Molina noſter in ſua concordia Antuerpiæ cuſa d.53.& 1. p.q.14. art.13. d.18. m.2. vtrobique §. *Solent authores*, dixerit: *Verumtamen, cum ex vna parte præfinitiones, quales abipſis confinguntur, neque in Scripturis Sacris, aut traditionibus, neque Conciliis, aut Sanctis Patribus fundamentum vllum habeant, quin potius arbitrij libertatem manifeſtè euertant, Scripturis, Eccleſiæque definitionibus repugnent, & à pauciſſimis Scholaſticis ſint aſſertæ, imò ſub eo nomine ante triginta annos ſint inter Catholicos inaudita: ex alia vero parte, ſi de præſcientia, prouidentia prædeſtinatione, & reprobatione ſine eiuſmodi præfinitionibus ſincere loquamur, libertas arbitrij cum illis optimè cohæreat: non eſt profecto, cur viri Catholici ad tale confugiant aſylum.*

QVÆSTIO VII.

An per rationem liceant prædeterminatiuæ præfinitiones?

CVM tanta fuerit Scripturarum Patrum, Scholaſticorum (quantum hactenus vidimus) in principio antecedenter de ſeſe connexo cum actu libero, ad illumque neceſſitante voluntatem, reiiciendo conſenſio, atque conſtantia, fieri profecto nequit, quin eius repulſa rationi ferè de ſe notiſſimæ, aut per ſe notis proximæ innitatur. Illam ergo in primis hac quæſtione expendemus, & præluſis, diſcuſſiſque ſubterfugiorum tenebris natiuæ ſuæ claritati reſtituemus: atque aliis eius conſectariis rationes comites dabimus: Nec non ad hominem aduerſarios, & ab huius doctrinæ abſurdis nouis impetemus.

CERTAMEN I.

Stata, ac per ſe nota cauſæ liberæ definitio, (quæ ſcilicet poſitis omnibus requiſitis ex parte ipſius ad operandum poteſt operari, vel non operari,) ab authoritate, & ratione contra aduerſarios aliquot ſtatuitur.

1. PRæcipuum contra præfinitiones haſce à ratione argumentum efficaciſſimum, & plurium, quos expendemus, aliorum fontalis, origo (cuius robur miſeretatis euaſionibus à controuerſiæ huius inter Dominicanos, & noſtros, atque inter Catholicos, & Lutheranos, Caluinianoſque integrum me iudice perſeuerat) illud eſt, quod ab explorata, rationeque, & experimentis euidentiſſima, atque toties ab Eccleſia definita, arbitrij noſtri libertate deſumitur. Hoc autem argumentum definitioni, & eſſentiæ potentiæ, cauſæque liberæ in titulo certaminis præfixæ, tanquam proximo, certiſſimoque principio innititur: ſcilicet cauſam liberam eſſe, *quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, vel non operari, ſiue operari oppoſitum*: ſi ſcilicet non contradictionis ſolum, ſed contrarietatis etiam libertate cauſa libera ſit. Et ſteterat quidem ea definitio multis retro ſæculis (nimirum à Philoſophandi, ac Theologizandi initiis) inconcuſſa, & indubitata, vtpote lumini rationis diſcurſibus exercendæ coæua; quouſque prædeterminatiuarum præfinitionum ſententia ex ea definitione euertenda lucem nacta eſt. Exinde enim earum ſiue ex Hæreticis, ſiue ex Catholicis, nonnulli aſſertores, proximè contra illas efformandi diſcurſus metu eam in dubium vocare cœperunt; vt deinceps eam ſuis liberius negandi aditum facerent: exitu tamen adeò infelici, vt illi ipſi, qui de ea addubitandi exemplum facere, negareque eam tentarunt, ad tantum rationis lumen non potuerint, cæcutire: eamque tandem, vtpote lumine naturæ notam receperint. Quo illud omnino effectum eſt, vt ſolutionum ſuarum omnium, quibus eis præfinitionibus poſitis potentiam abſolutam arbitrij ad oppoſitum, ſiue contrariè, ſiue contradictoriè actui præfinito, ac ſubinde abſolute liberam defendere conantur, inſufficientiam oſtenderent: quibus, ſi ad id probabiliter tuendum fiderent, ſtatam cauſæ liberæ definitionem (ſcilicet Philoſophicam, & Theologicam dignitatem, & principium) minimè deplorati ingenij, neque exploratæ amentiæ homines, proterere haudquaquam tentarent.

2. Primus ergo de eius definitionis bonitate legitimæ contra ſe illationis præſagus dubitare cœpit Magiſt. Illuſtriſſ. Aluarez 12. de auxil. d. 115. num. 1. & 4. reſponſionum cap. 1. aſſerens neque apud Ariſtotelem, Magiſtrum, vel S. Thom. illam reperiri, ſed ſed apud Nominales quoſdam: quaſi in ea, adhuc Schola nominis nullius. Eum poſtea imitati ſunt, Ledeſma de auxil. artic. 10. concluſ. 7. §. *Primum fundamentum*. Nunnius Cabezudo tom.1. part.3. quæſt. 62. artic.5. q.ſua 2. §. *Addunt præterea*. Nec mirater poſtremum hunc Hiſpanum Doctorem de notiſſimo, & & euidentiſſimo dogmate, & principio dubitaſſe: æſtimabam enim neminem, qui Hiſpano idiomate *Cabezudo* non eſſet, de eo vſquam dubitare potuiſſe. Satis ea prædictorum dubitatione habuit, rancidus, & cariosus ille; & ſi recens ex Grammatico Caluinianæ Theologiæ, vel potius diabologiæ Magiſter Tuiſſius lib. 2. contra ſcientiam mediam cap. 3. pag. 265. relatus à noſtro Annato 1. defenſionis eius ſcientiæ contra ipſum cap. 6. §. 2. num. 109. vt eam definitionem negaret, negatamque antea aſſereret à Brauardina, & à Gibieufo Gallo, qui niſi addatur poſitis omnibus requiſitis, *ex parte cauſæ ſecundæ*: Illam definitionem non eſſe admittendam aiunt. Noſter vero Annatus melioris, longè quam Tuiſſius, & eruditionis, & fidei citato loco, verſ. *Qua in oratione*, nihil tale in Brauardina legi teſtatur, neque in Gibieufo Gallo, qui ſolum addit communi definitioni libertatis particulas *ſeruato ordine finis*: quas & S. Thom. addit. 1. part. quæſt. 62. artic. 8. non quidem definitioni libertatis in communi, ſed libertatis perfectæ ex parte materiæ non vitioſæ, ſed honeſtæ, qua Beati, qui finis ordinem ſeruare tenentur, nec deſerere poſſunt, libere nihilominus aliquo moueri, vel non moueri queunt: quod minus in doctrina à Sancto Thoma eo loci tradita Gibieufus aduertens, ad formale propriè & perfectæ libertatis in communi aduocauit, libertatem creaturæ ad peccandum, & inhoneſtos actus, quæ libertatis in communi membrum alterum eſt, ſua definitione non amplectens

3. Additamentum autem illud communi libertatis definitioni potius eſt Magiſtri Alutarez, & ſuorum, & Tuiſſij ipſius, quam Brauardinæ: qui licet præfinitionum prædeterminatiuarum VValdenſis ætate Domi-

nicanis suis semina iecerit, quæ non ipsis solum, sed & hæreticis fecerint fructum; ast tantæ instatam definitionem irreuerentiæ non fuit, vt illi addere, vel minuere, litemve mouere tentarit. Præstiterunt autem nuperi Thomistæ, vti ex solutionibus eorum datis quæst.3. dandisque quæst. præsenti, atque ex ratione, qua eam definitionem impugnant, satis claret. Ait enim Aluaræ d. illa 115. numer.1. ex ea definitione inferri posse absolute coniungi prærequisita ex parte etiam Dei ad operandum cum operationis negatione: quod inquit absurdissimum est: qua illatione satis docet eam definitionem, si de requisitis etiam ex parte Dei intelligatur, vti absurdi inferendi principium absurdam esse, nec in scholis sustinendam; quare de requisitis ex parte causæ secundæ intellectam recipi posse. Sed certe, ni requisita à causis secundis ad operandum, ex parte etiam Dei (cui essentialiter in operando subordinantur) sint prædeterminatiuæ præfinitiones Thomisticæ absoluta illa potestas coniungendi negationem operationis cum illis absurda non est, sed omnino liberrati causæ liberæ secundæ tuendæ necessaria, vt ostendemus: siquidem nullum efficax de se decretum Dei (quod in ea suppositione ad operandum à causa secunda non requiritur) de operatione poterit absolute cum eius negatione absolutè coniungi frustraque: quod infrustrabilitati decreti contradiceret: Si ergo ex coniuncto tuæ sententiæ de præquisito decreto de se efficaci ex parte Dei à causa secunda, & definitionis communis absurdum illud sequitur, tolle, quod tuum est, nullumque in definitione communi, & stata deducetur absurdum. Et sane nulla erit certissima etiam definitio, principiumve aliud notissimum in scientiis firmum, ac subinde nulla scientia, si cuique liceat ea immutare, quia cum sua priuata opinione non concordant: ac proinde ex coniuncto vtriusque absurdum aliquod inferatur. Denique, cum per hosce præfinitio prædeterminatiua ex parte Dei essentialiter requisita sit, vt complementum absolutæ potentiæ, & adæquatæ causæ ad effectum à causa secunda, & Deo simul edendum: ac subinde positis requisitis solum ex parte causæ secũdæ ad operandum, seclusisque requisitis ab ipsa ex parte Dei ad operationem absolute operari causa secunda nequibit: sicuti nulla causa partialis, seu pars causæ operari absolute potest: quare requisitis solum ex parte causæ secundæ positis ex parte vero Dei requisitis seclusis, mala, & falsa erit definitio: quia negatio operationis non ab eius potentia, sed ex defectu partialis comprincipij requisiti ex parte Dei necessario, & adæquate erit.

4. Quod autem definitionis eius non Almainus, & nominales aliquot fuerint Architecti, constat ex datis Arist. & Patrum testimoniis quæst.1.2. & 3. quibus arbitrij absolutam libertatem per absolutam potestatem operandi: & non operandi, & similium semper explicarunt; cum tamen sine requisitis, & necessariis omnibus ad operandum potestas absoluta ad operandum non sit. Et quidem ea definitio definita iam contra Lutherum, & Caluinum est locis ex Tridentino recitatis, vbi, vt arbitrij, & actionum nostratum libertas, quoad rem ab eis negata, desinitiue statuatur definitur arbitrium, & voluntatem à Deo motam, excitatam, & vocatam (quæ sunt omnia requisita ad operandum etiam ex parte Dei) ita operari vt dissentire, & abiicere vocationem queat: quod ipsum est posse non operari cum omnibus ad operandum requisitis, vniuersim (ac etiam ex parte Dei expresè) vt ea definitio fert, speciatim verò Arist. eam definitionem totidem æquualentibus verbis tradidit 9. metaph. text.10. vt Ariminus loco obseruat citando. Ait enim *Naturalibus potentiis passo approximatis necesse esse eas agere; passum verò pati; illas verò* (rationales, & liberas) *etiam approximatas agere non est necesse.* Et Nemessius c.9. Biblioth. lib. de nat. homin. & animæ facultatibus cap.35. alias 6. Philosophiæ Chrysip. Philopatrum & fatales alios Philosophos asserentes, *eisdem causis positis necesse est omnino eadem fieri, nec fieri posse, vt aliquando sic, aliquando aliter eueniant, quod illa ex æterno tempore præfixe, statutaque sint.* Confutat his verbis: *debet enim esse liberum quod in nostra potestate est aliquando appetere, & aliquando refugere.* Iisdem scilicet causis positis: quibus verbis eadem definitio continetur. Sed ex scholasticis statuta illa sub eis terminis fuit à tota schola Parisiensi, eiusque Episcopo Stephano anno 1226. in damnatione propositionum addita post 4. librum sententiarum, cuius meminimus quæstione 4. certamen 1. numero 1. titul. enim 4. de voluntate 4. propositio damnata ea erat: *voluntate existente in tali dispositione, in qua nata est moueri, & mouente sic disposito, quod natum sit mouere, impossibile est voluntatem non velle:* ergo possibile definitur ab Schola Parisina voluntatem non velle positis omnibus requisitis, tam ex parte eius, quam motoris sui, vt moueatur, ac velit: ergo ad vtrumvis potestas positis omnibus requisitis, quam definitio illa communis asserit statuta à Parisiensi Schola fuit: quare bene ex illius propositionis damnatione communem illam definitionem probat Marsilius in 2. quæst.16. art.4. propositio 7. ibidem damnata erat, *quod appetitus existantibus impedimentis necessario mouetur ab apprehibili: error est de intellectiuo:* Ac proinde cessante impedimento defectus alicuius ad operandum requisiti ex parte causæ; quod maximum est. Et sub tit.6. de necessitate euentus rerum, §.1 hæc damnatur propositio. *Nihil euenit contingenter considerando omnes causas; non casu,* vt alibi corrupte legitur, quod ita interpretatur Capreolus in 1. d.38. quæst.1. artic.1. colum.7. vt vidimus citato certam. 1. ex cuius damnatione colligit ibidem artic.2. inter med. & fin. communem illam causæ liberæ definitionem, *quæ positis omnibus requisitis ad agendum, & actionem præcedentibus potest agere, & potest non agere.* Et d.6. quæst.vnic. artic.3. ad argumenta Scoti ita agens naturale à libero distinguit, ac definit Naturale, *quod positu omnibus requisitis ad agendum, & nullo existente impedimento, quin ipsum possit agere, necessario agit, neque est in eius potestate non agere;* liberum, *quod eodem modo omnibus positis requisitis ita, vt possit agere, non necessario agit, sed in eius potestate est vt agat, & non agat;* in quam recidere S.Thomæ definitionem ait.

5. Deza in 1. d.38. artic.4. colum.3. ad 1. Durandi contra 2. concl. *Ex causa contingente, quia non habet ordinem necessarium ad effectum suum non sequitur effectus infallibiliter, etiamsi nunquam impediatur.* Vide infert in ea etiam omnino non impedita non posse cognosci effectum. Et ad 3. Gregorij contra 4. concl. ait. *Potentiam liberam esse quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere; sed non ex suppositione, quod agat.* Coradus 1.2. qu.75. art.1. ad 1. ait, *causa existente sufficiente,* (quæ talis non est, nisi prærequisita omnia adsint) *adhuc non sequi effectum ex necessitate, quando ipsa causa potest impedire seipsam, ne effectus sequatur: eo quod motus est in eius potestate, & potest agere & non agere.* Et art.3. ad 2. fine, *nulla est causa sufficiens, nisi voluntas, quæ non semper causat: neque necessario mouetur à quocumque ad peccatum. Igitur non oportet, quod semper peccet: quia voluntas quamlibet causam per libertatem suam impedire potest.* Heruæus quodlib.1. qu.1. art.1. ad dub.5. *causa,* inquit, *sufficienti posita non ponitur effectum necessario, contingit dupliciter. Nam in agentibus naturaliter non habet agens in potestate sua repellere impedimenta; sed in agente libero arbitrio occurrentia pertractationi deliberationis, quæ distrahunt, & possunt impedire, possunt repelli à tali agente.* Et *Non tamen necessario impeditur, quia habet in potestate sua repellere.* Ac tandem ex causa libera sufficienti ad causandum non iqui necessario effectum. Caiet.1.p.quæst.41 art.2. hæc adrem nostram S.Thom. verba in corp. *Eorum enim voluntas principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse; eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium naturæ est.* Ait absolute effectus causæ naturalis posse sic, vel aliter esse, si ponantur, vel auferantur impedimenta; sublatis vero impedimentis, vt est sub illa effectus non posse sic, vel alter esse; ast vt est sub causa libera (sublatis etiam impedimentis, ac subinde positis requisitis) effectus voluntarius potest, aut potuit sic, & aliter fieri. Et 1.2. quæst.10. art.1. longe med. *Causa libera vt sic non est talis causa, qualis est natura. Hæc enim est causa quia est: ac per hoc est causa determinata ad vnum: illa vero causat, quia vult: ac per hoc est causa indeterminata libera ad vtrumlibet.* Subinferius, *quid quid causat aliquid, quia*

quia talis res est, naturaliter causat illud : quatenus vero electiua est per modum proprium, id est libere, à proposito ad vtrumlibet, &c. *Causalitatem habet & non naturalem : quicquid enim causat quia vult libere causat.* Si ergo causa adæquata ex coniuncto arbitrij,& omnium præ-requisitorum causat, quia est, naturalis causa est ; sin autem,quia vult,libera est,& non causat,quia in coniuncto est determinatio,sed ad vtrumuis potestas.Ferrara 1.cont. gent.c.67. col.2. §.*Sed tamen*,ait, *Potest aliquando causa esse dispositа ad productionem alicuius effectus*(contingentis de quo ibi) *& tamen ille effectus nunquam eueniet.* Quod autem S.Thom. ratione 3. dixerat, *Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter : ita ex causa contingenti completa, si non impediatur*, intelligendum, ait, de naturalibus,& aliis impedibilibus, ac subinde contingentibus absolute in operando, non de contingentibus propriè,seu liberis,in essendo,col.5 Henricus de Gandauo quodlib.12.q.27.ait : *Licet posset impediri aliqua actio voluntatis, quia potuit aliquid fuisse factum, quo facto non fuisset : illa tamen dicenda est simpliciter esse ex necessitate,& non ex libero arbitrio : postquam stante sua causa proxima nullo modo posset per liberum arbitrium voluntatis impediri.* Causa autem, seu potentia proxima actionis omnia ex parte principij requisita includit, vt patet,& ita dicit Scotus ex Arist.9.Metaph.c.6.

6. Scotus igitur, præter recitata, dum de Scotica, & Franciscana Schola ageremus, loca, in eandem definitionem conspirauit in 4.d.49. q.6.dub.1. vers. fin. versu,*Respondeo potentia operatiua.* De potentia actiua ad opposita, in qua libertatem causæ constituerat, ait remotam requirere omnium requisitorum absolutam possibilitatem ; *Sed vltra istam possibilitatem, potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit, quod conuenientia adsint, & impedimenta cessent, ita, vt nihil extrinsecum desiciat, vt operetur.* Duran.in 1. d.47. q.1. sub fine,*actiones liberi arbitrij non necessario sequuntur, etiam præsente obiecto,& exclusо omni impedimento.* Quare & defectu cuiusuis requisiti Dionysius Cistercienſ. in 2. d.24. q. vnic. art.1. conclus. 5. ait arbitrium dici sic, (id est secundum quid, id est creatum, ac non diuinum, quod solum simpliciter liberum appellat) liberum : *quia positis omnibus extrinsecis ad suum agere requisitis, libere potest agere, vel non agere.* Repetit d.25.q.2.art.2. præambulo 2. & conclus.5. vnde q.3.art.3. conclus.4. ab actu, *Si ita sit necessario productus, vt in potestate producentis non sit positis omnibus præuie necessariis ipsum non producere*, liberta-tem excludit ; consonat d.1.q.2. art.1. init. & proposit.1. & d.25. q.1. art.2. omnem necessitatem antecedentem operandi à causa libera excludit, de Nominalibus præsertim Almaino fatentur aduersarij conceptis verbis eam definitionem tradidisse : quia adeo expresse, & in terminis eam tradunt, vt nulli æquiuocationi pateat locus. Almainus 1. moral. cap. 1. init. Sub nomine voluntarij (perfecti scilicet) seu liberi. Et notabili 2. definitione causæ naturalis liberæ aduersantis. Notabili 3. expressa liberæ definitione causæ, & in dictatis circa sententias Ruperti Holcoth. post 4. lib. sentent. q.3.sub init. ipse Holcoth. in 1.q.3.art.2. & q.3. art.9. ad 2. Okam eius sectæ Princeps in 1.d.1.q.6 vers. fin. d.10. q.2. d.38. q. vnic. post med. §.*Ad formam ergo*, Adamgoddam in 1.d.1.q.6.art.1. concl.2. siue legitime legatur,*omnibus aliis concurrentibus vniformiter* (siue ex Typorum errore *vniuersaliter) sufficientibus* ; & art.2. dub.15.sub init.ex articulis recitatis Parisinæ Academiæ, & fine quæstionis. Maior in d.25. q.1. post init. & §. *Contra hanc definit.* Marsil. in 1.q.40. ad rationem 8. in 2. q.3. art.2. p.2. & 3. *ad 3. Obiectionem*, & quæst.16. art.2. in 2.3. & 4. conclus. Gabriel in 1. d.1. q.6. art.1. notab.2. & art.3. fin. d.28.q. vnic.art.1.notab.6. & 8. dub.post notab.9. & concl.3. in 2.d.25.q vnic. sub init.Gregor.de Arimino in 1.d.10.q.vn.art.2.sub med. concl.1. ex Arist. Augustin. & Damasceno, & col.vlt. §.*Ad dubium quod ipse* : Angelstus 1. moral. c.6. documento 3. Ruardus Tapper art.7. contra Luther. ab init. & propositio.10. pag.309. Guillielm.de Rubion in 2. d.25.q.2.art.1. post med.Stumia 2. de vera religione c.5. fin. Dominicus Soto 1. de nat. & grat.c.16. init. Medina 1.2. q.10. art.4. §.*Hæc constitutio*, eam vniuersorum Theologorum definitionem appellans, sicuti,& Curiel controuers. 2. in cap. 1. Petri ad id *Sanagite*, &c. Et Pennotus 1.Propugnaculi, Bannez 1.p.tom.2.q.83.art.1.dub.2.sub titulo *Decisio authoris*, concl.2. Nazar.1.p. tom.1. quæst.19. art.10. controuers.vn. §.*Explicandum est*, Ioseph. à S.Maria de lib. arbitrio in communi q.4. art.6. §. *Dico septimo*, Zumel opuscul.3. variar.discursu 5. §.*Quarto suppono*, Cabrera 3. tom.2. quæst.18.art.4.d.1.§.8.n.313.§.9. num.3. Ne vero vllus Philosophus, aut Theologus ab ea definitione deficiat, audiendi tandem illi ipsi de eius bonitate dubitatores sunt. Nam Aluarez init. de auxiliis n.7. ita causam liberam definit. *Facultas voluntatis, & rationis ad vtrumlibet agendum,& ad agendum vnum, vel alterum.* Tuisius vero Caluinista explorato alter dubitator citato loco, *Interea semper manet voluntas eatenus indifferens, vt in operatione sua nunquam determinetur, ad modum agentium naturalium : semper enim retinet potentiam, tam ab agendo supersedendi, quam aliud aliquid agendi.*

7. Porro hæc scripturæ,Patrum, Conciliorum, Scholarum,& Scholasticorum omnium, & nostrorum, & exterorũ,quos q.4.5.6.& hac 9. recitauimus,definitio constans adeo esse non posset, nisi per se nota,vel per se,notis proxima eius veritas,seu bonitas,vt diximus, foret. Rationes igitur bonitatis definitionis illius euidentes subiiciendæ hic erunt. Prima : quia in eo stare debet ratio specialis causæ liberæ, vt contra naturalem & necessariam causam diuiditur,in quo nequeat eũ ea conuenire,eique atq; eius differentiali prædicato immediate,& primo aduersetur,& contradicat : atqui in eo solum quod positis omnibus requisitis ad agendum possit nihilominus non agere, cum causa naturali,& necessaria conuenire libera nequit,illiusque prædicato differentiali aduersatur,& contradicit:ergo in hoc solum stare debet ratio specialis causæ liberæ, vt contra naturalem,& necessariam diuiditur.Maior est euidens. Ratio enim conueniendi nequit esse ratio diuidendi, & disconueniendi vnum ab alio : ac proinde nec diuidendi causam liberam à necessaria. Minor æque videtur perspicua etenim specifica differentialis ratio causæ naturalis,& necessariæ,vt contra liberam diuiditur,in eo stat, quod positis omnibus requisitis ad agendum, siue quibus agere non potest, (alias requisita non essent) ita possit agere,vt non agere absolute nequeat, sed determinata ad agendum sit : ast huic prædicato illud solum immediatè, & primo contradicit : ita positis omnibus requisitis ad agendum agere posse,vt nihilominus possit non agere,nec determinata ad agendum causa illa sit, sed indifferens ad agendum, vel non agendum : ergo in eo solum immediate, & primo aduersatur causæ naturali causa libera, atque eius prædicato differentiali contradicit. Secundo probatur eadem minor : quia necessitas entis in essendo nihil aliud est, quam ita illud existere,vt non possit non existere, huic necessitati entis in essendo, seu existendo nihil aliud immediatè, & primo ex parte entis contingentis in essendo aduersatur quam ita existere, seu posse existere, vt non existere absolutè possit:ergo quia necessitas causæ in operando nihil aliud est quàm ita posse operari requisitis positis, vt non operari absolutè nequeat,nihil aliud ex parte causæ contingentis ei immediatè,& primo aduersatur,quam eisdem requisitis positis,vt absolute operari valeat,ita posse operari vt possit absolutè non operari. In qua minoris probatione rationalia pro definitione communi probanda instrui potest.

8. Secunda ergo probatio definitionis esto. Contingentia entis in essendo est posse absolutè rem esse, vel non esse : ergo contingentia entis in operando passiue à causa sua efficienti, siue (quod idem est) contingentia, & libertas causæ eius in eo actiue operando est, ita posse absolutè illud operari (in quo requisita omnia ad agendum clauduntur, vt dixi) vt possit etiam absolutè causa illa illud non operari. Tertia probatio, & secundæ huius confirmatio,& perspicua explicatio sit : quia contingentia,& libertas effectus contingentis, & liberi (de qua agimus) non est contingentia effectus in essendo,solum,seu, vt absolute ab alio quocunque fit,ac fiat, siue relate ad quam piam causam,sed relate ad causam determinatam cui contingentia accidit actiuè,& cui ipsum agere contingens,& liberum est, vt superius diximus. Alioqui, cum effectus omnes creati à Deo causa prima omnium contingenter sint,& fiant, effectus omnes causarum naturalium creatarum, qui & contingenter proinde & in se sunt, & à Deo fiunt, contingentes & liberi erunt, & cum his, de quibus

disputamus, confundentur. Debent igitur esse, & fieri contingenter, & libere respectu causæ secundæ, à qua contingenter & sunt, & fiunt effectus, de quibus disputamus, & quos ab effectibus naturalibus, & necessariis diuidimus. Tum sic effectus naturales, & necessarij, etsi Deo causæ primæ contingenter, quoad esse, & fieri ipsorum iungãtur; tamen, quia causis secundis, quo ad sui ipsorum esse & effectionem positis omnibus requisitis vt fiant, non contingenter iunguntur, sed necessario, ita, vt eis positis nequeant absolute non fieri, & in sui effectione coniungi, contingentes, & liberi absolute earum effectus non sunt: ergo, vt effectus contingentes, & liberi absolute causarum secundarum, ac subinde causæ secundæ eorum causæ absolute liberæ sint, debent in suo esse, & sui ipsorum effectione contingenter, ac libere, positis etiam requisitis omnibus (sine quibus non possunt absolute illos agere) ad agendum, illis adiungi; atqui nequeunt ita illis adiungi positis etiam requisitis omnibus, non agere illos absolute possint: ergo constans est præfata causæ liberæ definitio.

9. Quarta bonitatis definitionis eius probatio ex metaphoricis phrasibus, quibus Patres, & Scholastici causæ libertatem, seu causam liberam, eiusque ad vtrumvis potestatem explicuerunt petenda est. Etenim, vt causam liberam, siue arbitrij, & voluntatis libertatem in actu primo aliorum nobis exemplis, & metaphoris exponerent, atque ad aliorum instar explicarent, aiebant. Liberam nostram voluntatem, & arbitrium in actu primo sui iuris, & potestatis esse in operando, physicumque subinde ius absolutum, & potestatem in suas operationes habere. Percurrite ergo ius, dominium, & potestatem ciuilem politicam, & moralem in res, seu actiones aliquas, & inuenietis nullas ex eis inueniri respectu rerum, seu actionum, in quas non sit plena in eo genere, & absoluta potestas ad eorum vsum; neque vllum absolutum ius, aut potestatem in illo esse posse respectu rei, ad cuius vsum alterum sit in eodem genere obligatio. Vnde argumentum in eis Patrum, & Scholasticorum metaphoricis explicationibus contentum sic edisserо. Dominium & ius ciuile, seu morale in rem aliquam absolutum, est absoluta potestas vtendi re illa in omnes eius vsus, etiam illius destructiuos, pro solo libito habentis dominium absque iniuria alterius: ergo dominium, & ius absolutum physicum causæ, & potentiæ liberæ in suas operationes, & effectus est absoluta physica potestas eius causæ in suas operationes in omnem vsum circa illas, etiam destructiuum illarum per negationis ipsarum positionem, quin physico alterius iuri ex eo præiudicet, alteriue causæ physicæ iniuriam irrogare queat. Cum autem (vt sæpe diximus) ad absolutam physicam potestatem causæ ad vsum positiuum suarum operationum, & effectuum, scilicet eorum productionem requisita omnia ad productionem posita, ac præsupposita ex parte actus primi esse debeant: eis etiam positis operationé posse absolute omittere causam, quæ libera sit, certum esse debet. Stet ergo, nec in dubium deinceps vocetur, bonitas definitionis illius communis, & rationis lumini coëuæ. *Causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum operari, vel non operari absolute potest.* Porro licet operatio sine effectu esse nequeat, quia terminus connexionis essentialis operationis cum ipso est; Actu requisita, de quibus in hac definitione, sunt solum quæ se ex parte causæ in actu primo tenent, non autem actio ipsa, qua actu aget, eiusve terminus, seu effectus, actu in rebus apponetur, cum hæc potentiam ad vtrumvis, de qua hic non constituant, sed pro priori supponant.

Et sane si in materia nostræ libertatis sola præsens controuersia, quæ cum recentibus Thomistis habetur, posset occurrere sonus vocum, sine profundiori examine, & intelligentia illius nobis sufficeret: ad alias tamen, quæ cum aliis postmodum erunt, esseve poterunt atliore eius indagine opus erit: vt enim verba sonant non videtur exacta omnino definitio. Ponamus namque requisitis omnibus ex parte voluntatis, & arbitrij in actu primo positis ad volendum, & quibus solis velle, aut non velle posset, aut nolle, adiungi à Deo ex parte etiam actus primi physicam aliquam qualitatem (non quidem necessariam, vt Thomisticam) ad volitionem vltra exigentiam, & indigentiam, cum volitionis, vt fiat, tum voluntatis, vt velit, prædeterminantem tamen, & necessitantem in actu primo voluntatem ad volendum; tunc quidem, etsi requisitis omnibus positis posset voluntas absolute velle, ac non velle; ast ex adiunctione illius qualitatis non requisitæ prædeterminantis omnino antecedenter ad vsum libertatis voluntatem ad volendum, absolute non poterit nõ velle, ac proinde nec erit causa liberæ volitionis: ergo ad causæ liberæ rationem saris non est posse non operari? attentis præcise requisitis omnibus; sed oportet vlterius, vt positis quibuscumque ex parte actus primi concurrentibus ita absolute operari possit, vt possit absolute non operari. Secundo pone dari à Deo antecedenter & independenter ab vlu libertatis gratiam incompossibilem cum peccato: tunc quidem pro eo instanti, etsi ita necessaria ex parte actus primi adsint voluntati sic iustificati; tamen voluntas non poterit absolute, vel in peccato persistere, vel denuo peccatum admittere: ac proinde etsi per requisita omnia possit peccare, & libera alias esset: libera tamen ad peccandum non est: quia independenter à suæ libertatis vsu, ac proinde antecedenter extremum alterum libertatis exercendæ, & alteri repugnans positum à Deo fuit. Quare nequit ad alterum pro eodem instanti apponendum potestas voluntati adesse, quin ad vtrumque coniungendum potestas adsit: quæ prorsus chimærica esset potestas.

Eapropter æstimare aliquis posset rectius causam liberam definiendam, si loco dictionis illius *positis omnibus requisitis*, hæc alia *iisdem causis positis*, vt aiebant Nemesius, & alij *vel vniformiter perseuerantibus ponatur*, vel cum Scoto & aliis exclusio omnium impedimentorum per dictionem *& sublatis impedimentis* definitioni adderetur. Et ego quidem in ea fueram sententia. Etsi enim positis omnibus requisitis ad operandum non possit non esse ad operandum absoluta potestas, quantumvis addatur vltra requisita principia vlterius aliud prædeterminans ad operationem: imo tunc indefectibilis ab operatione, & efficacior potestas absoluta ad operandum sit; tamen, cum eo prædeterminante principio vlterius adiuncto operationis negatio, & suspensio esse absolute à voluntate nequeat, quin chimærice cum operatione ipsa simul existat: eo principio etiam posito non est in voluntate ad suspensionem, & negationem operationis absoluta potestas: ac subinde neque libera ad operationem ipsam potentia, quæ ad operandum, vel non operandum absolutam includit potestatem: non quidem defectu absolutæ ad operandum potestatis, quæ eo etiam casu fortior, efficacior, & expeditior est, vt supra dicebamus; sed defectu absolutæ ad non operandum potestatis, ad causæ libertatem requisitæ: ea quippe ad non operandum potestas determinatione antecedenti ad operandũ ineuitabiliter aboletur, vt absolute possit non omittere operationem: ac proinde ex parte actus primi excluſa ea prædeterminatio supponi debet. Similiter etiam donatio, seu infusio à Deo independenter, & antecedenter ad vsum libertatis cuiusvis extremi ex oppositis, ad quæ debet esse potestas causæ liberæ proprie ex parte actus primi supponenda est excluſa: quare, vt de reliquis libertatis impedimentis singulatim recensendis, nunc fileam, vniuersim omnium impedimentorum remotio videtur definitioni addenda.

12. Cæterum cum difficultates istæ à Deo abstructæ non sint, vt mediocriter etiam instructis, nedum Philosophis, & Theologis sapientissimis, qui ea definitione vsi sunt latuisse illas iudicare possimus, ea definitione, vt iacet eis omnibus difficultatibus præcaueri, si altius penetretur, certum nobis omnino est. Etenim requisita ad operandum non ea solum sunt, quæ actiuam adæquatam virtutem agentium constituunt, significant, & in se coercent. Sed & conditiones reliquæ ex parte actus primi se tenentes: vt agentis corporei, est, vt minimum, ad passum applicatio, & similes aliæ: in quibus omnium impedimentorum remotio, sine qua potentia absoluta, & expedita non est eis verbis positis requisitis omnibus ad operandum, ita continetur, vt eam adiungere supervacaneum fuerit & inutile, id quod sapienter docuit Aristot. 9. met. cap. 5. text. 10. vbi postquam absolutam potentiam agentis definiuit his verbis. *Quod potest aliquod, potest & aliquando, & aliquo modo, & quæcumque alia necesse est adesse* (scilicet

(scilicet requisita omnia) *in definitione.* Quibus addendam non esse remotionem impedimentorum, quia hæc illis particulis: *Quæ unque alia necesse est*, adesse sub textus finem statuit his verbis. *Nullo namque exteriorum prohibente adiungere, nihil adhuc oportet*, vt Docte S. Thom. ibi lect. 4. & reliqui interpretes. Hæc de requisitis, & prohibentibus actionem; ast quæ eius omissionem impediunt, seclusa satis sunt illa definitionis parte, *potest non operari*: Siquidem potestas absoluta, siue operandi, siue non operandi non est, quæ ex parte actus primi impedita absolutè est: quare immutata prorsus causæ liberæ definitio debet in Scholis persistere.

13. Adhuc censent aliqui addendum definitioni positis omnibus requisitis ad operandum, *quorum existentia in potestate voluntatis non sit.* Siquidem in satis communi opinione negante possibilitatem electionis mediorum, quin finis intentio præcedat, qui non eligit media, quia finem non intendit, cum libere posset, libere etiam dicitur non eligere: quia in eius potestate fuit, vel intentionem finis, vel eius omissionem apponere. Cæterum in ea communi opinione, omissione electionis medij intentione omissa, ac non apposita, sola libertas mediata potest exerceri, quatenus circa intentionis appositionem, vel omissionem exerceri potest: quare verum omnino, ac sine vllo additamento est potentiam liberam esse, *qua positis omnibus requisitis*, ad operandum potest operari, vel non operari proximè, & immediatè, si libera immediatè sit, mediatè, si solum mediate sit libera.

CERTAMEN II.

Edata causæ liberæ definitione, & voluntatis libertate variè argumentum contra prædeterminatiuas præfinitiones instruitur.

1. Causæ liberæ communi definitione asserta, præfinitiones prædeterminatiuas, (quas Thomisticas appellant,) Lutheranas, item, & Caluinianas definiram, atque euidentem voluntatis, & arbitrij creati libertatem euertere variis, multisque arguendi modis, quicumque eas negant scholastici, efficaciter ostendunt; Et eos quidem in præsentiarum persequi longissimum esset, neque admodum vtile: quare eos solum attingam, quæ planius, plenusque difficultatem proponant. Eam siquidem hac, vel illa forma in argumenta disponere proprij cuiusque genij, & ingenij labor, & industria est. Arguo primo, causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ex parte causæ ad operandum operari absolutè potest, vel non operari: atqui prædeterminatiua præfinitione requisita essentialiter ex parte causæ ad operandum posita independenter ab vsu libero voluntatis, & arbitrij, (vt aduersarij illam ponunt,) non ita hoc potest absolutè operari, vt non operari absolutè possit: ergo neque est causa, seu potentia libera. Minor probatur: quia posita eiusmodi præfinitione necesse est absolutè ex parte causæ esse operationem præfinitam: ergo impossibile est non esse illam, seu esse negationem operationis: necessitas enim cuiusuis, vt sit, negationem possibilitatis, vt non sit, sine impossibilitatem essendi eius negationem, ineludit, vt ex modalium propositionum æquipollentiis summulistis patet: atqui impossibilitas alicuius extremi, seu effectus ex causa requisitis positis, est impotentia causæ ad illum effectum absoluta eis positis: ergo posita ex parte causæ independenter ab vsu libero voluntatis eiusmodi præfinitione, essentialiter, requisita ad absolutam potentiam operandi, absoluta potentia non operandi in voluntate non est. Hanc eandem rationem efformant alij in hunc modum.

2. In omni bona legitimi syllogismi illatione, qui nequit tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis, nequit tollere, seu falsificare consequens: ast in hac legitimi syllogismi consequentia bona iuxta præfinitores hosce: *Omnis, cuius consensus præfinitus prædeterminatiue à Deo est, consentiet: sed consensus Petri ita præfinitus à Deo est: ergo Petrus consentiet.* Petrus absolutè non potest tollere, seu falsificare aliquam ex præmissis: ergo neque absolutè potest consequens tollere, seu falsificare, Minorem probo: quia maior; *Omnis cuius consensus præfinitus ita à Deo est, consentiet*, est in materia necessaria, in horum sententia: ac proinde ad eam falsificandam, aut tollendam nulla datur in subiecto potestas: sicuti neque ad has falsificandas, *Omnis homo est risibilis*; vel *omne album est disgregatiuum visus*, quia in materia necessaria sunt, nec potentia vlla potest subiectum à prædicato separari. Similiter minor *Petri consensus ita est præfinitus* potentiæ, seu potestati Petri minimè subest, vt tollatur, vel falsificatur: siquidem omninò independenter à Petri voluntate, potestate, & libertate consensus Petri in horum sententia præfinitur. Efficiam ita efformati argumenti negare non possumus, quin & primo à nobis, & omnibus efformati efficaciam negemus. Illud tamen in Recentioribus nostris nonnullis non probamus: quod hanc arguendi formam, vt proprium adinuentum, quæ communibus solutionibus, & euasionibus non pateat, velint venditare. Cum tamen tringinta, & amplius retro annis ea forma Ruiz noster de scientia fuerit vsus: & eius syllogismi maior ea potestate ad omissionem, quam in eo, cuius consensus ita præfinitus à Deo est vtrumque adstruere, seu fingere aduersarij volunt, falsificari posse, eadem, vel falsitate, vel facilitate respondere queant: quod ipsum in aliis arguendi formis omnibus, (de quibus sibi Recentiores, tanquam de adinuentis propriis blandiuntur, cum tamen nullam antea Ruiz noster omiserit) cernere licet, quam etiam ob rem eis describendis, & multiplicandis inutiliter hic abstinebimus; simplici, & clara difficultatum contra præfatas præfinitiones propositione contenti. Ea siquidem sunt, quæ exquisitis artis suppetiis, vt aduersarios vexent, minimè indigeant.

3. Argumentor secundo. Posita præfinitione illa requisita ex parte causæ ad consensum independenter ab exercitio libero voluntatis implicat coniungi, seu poni negationem consensus, seu dissensum oppositum: ergo præfinitione requisita ex parte principij posita non est potestas in voluntate ad ponendam consensus negationem, aut dissensum. Antecedens est aduersariorum doctrina, quod si negent, nobis consentiunt. Consequentia est legitima: quia potentia ad actum impossibilem est Chimærica, & impossibilis: atqui cum per hosce positio negationis consensus, vel positio dissensus, posita præfinitione consensus sit actus impossibilis: potentia ad negationem consensus, seu ad dissensum posita præfinitione est potentia ad actum impossibilem, & Chimærica: confirmatur: quia potentia ad dissensum, seu negationem consensus absoluta, & adæquatè talis claudit essentialiter principia omnia essentialiter ex parte causæ requisita ad consensum, &c. E quibus in horum sententia præfinitio consensus, vnum, & præcipuum est; imò, quod cætera principia determinet, secumque irresistibiliter ad operationem perducat, & trahat: ac subinde vniuersim præfinitionem ad quemuis effectum spectare etiam ad absolutum posse, seu potentiam absolutam ipsius aduersarij (vti in suo hoc principio debent) plane fatentur: Atqui cum præfinitione consensus, pugnat dissensus, siue negationis consensus præfinitio: ergo, quod cum præfinitione, seu posita præfinitione consensus sit potentia, seu posse absolutum ad dissensum, seu negationem consensus. Tertio causa libera est quæ positis requisitis omnibus ad operandum absolutè est indifferens ad operandum, vel non operandū: atqui posita præfinitione consensus præfata ad operandum consensum requisita per vos, voluntas non est indifferens ad operandum, vel non operandum consensum, sed determinata, & prædeterminata: ergo voluntas posita præfata præfinitione, requisita per vos, ad operandum non est causa libera, ac subinde, nec consensus, qui è causæ libertate solummodo liber est, liber erit. Minor est certa siquidem determinatio voluntatis ad operandum posita præfinitione non determinationi & indifferentiæ ipsius ad operandum omninò contradicit. Quarto necessitas quæ causa est operandi facitque rem esse, siue, vt res sit, ac fiat, nec solum est

necessitas operationis ex suppositione, quod esset, seu, quia est operatio, opponitur, & pugnat cum causæ, & effectus ab illa oriundi libertate, vt Patres, scholastici omnes, & Anselmus aiebant cum d.5. de scient. q. vlt. tum hic. q. 3. estque lumine naturali rationis euidens. Siquidem tunc causa ex necessitate illa effectum operatur: quod naturalis causæ, vt contra liberam diuiditur, proprium, & essentiale est. Sed posita præfata præfinitione consensus necessitas consensus voluntatis est necessitas, quæ causa est voluntati censentiendi, facitque consensum esse, & fieri à voluntate: ergo pugnat, & contradicit eum voluntatis libertate. Hæc omnia argumenta & de se se aperta sunt, & solutionum impugnationis viuidiora persistent.

4. Quinto argumentor ratione, quæ omnes omnino aduersariorum euasiones, & solutiones præoccupat, ex stato apud aduersarios (& si aliis omnibus falsissimo) principio ad efficaces de se se nostrarum actionum suadendas, nempe *à principio, seu causa indifferenti non potest esse actio determinata, seu effectus determinatus prodire*, quo posito eos percontorran posita præfinitione maneat absolute potentia omittendi, ac proinde indifferens absolute potestas ad actum, & omissionem actus, nec ne? Si non manet: ergo nulla ratione, & solutione saluatur absoluta potestas voluntatis ad omittendum, neque absolute proinde potestas indifferens ad vtrumvis, nec, quæ in ea stat, voluntatis, vt huc vsque contendebamus, & ostendimus: quare manere asseris, ne des manus aperte; sed tamen aliunde ex hoc responso, & tuo illo principio eas reuinciam hoc syllogismo *in Ferio. A principio absolute indifferenti nequit esse actio determinata, ac determinatus effectus. Sed per te voluntas, secundum quamcumque rationem, est absolutum principium indifferens operationis, & effectus, atque omissionis eorum posita etiam præfinitione: ergo à voluntate, posita etiam præfinitione tua nequit esse actio, aut effectus determinatus*: quod ipsum de progressu alterius determinate extremi oppositi, ad quod etiam voluntas est principium, & potentia absolute indifferens, nempe omissionis aut actus contrarij simili syllogismo infertur: quare, dum aliis, atque aliis solutionibus potentiam absolutam ad omissionem actus præfiniti, & ad contrarium actum defendere aduersarij contendunt, é suo illo principio ad nullum extremum ex oppositis potentiam absolutam voluntatis ab illis relinqui conuincuntur. Adiungi posset contra omnes vniuersim aduersariorum solutiones. Sexto aliud argumentum efformatur ex altero aduersariorum principio ad suadendas suas humanarum actionum præfinitiones: scilicet eas poni oportere ad diuinæ de contingentibus scientiæ Physicam, & Metaphysicam infallibilitatem, quæ sine causæ, quæ medium eius scientiæ est, determinatione ad effectum, & ineuitabili à voluntate connexione cum illo, nullatenus esse potest: & quamquam hoc multo ex capite controu. 2. d. 5. impugnarim: ex eo, nunc permisso, argumentor sic contra præsentem, & reliquas omnes eorum solutiones: quia medium Physicè, & Metaphysicè absolutè infallibile illationis effectus ex causa omnem contingentiam separationis causæ ab effectu, seu indifferentiam ad ipsum, vel eius oppositum absolute excludit: ergo vel præfinitio excludit absolute omnem contingentiam separationis voluntatis ab actu præfinito, & potestatem eius ad ipsum omittendum, ac subinde indifferentem eius ad vtrumvis potestatem, ac libertatem, vt contendimus contra aduersarios; vel, si eam absolutè non excludit nequit esse præfinitio actus simul cum voluntate medium, cui diuinæ contingentium futurorum scientiæ infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica innitatur. Patet extremum hoc: quia infallibilitas absoluta Physica, & Metaphysica diuinæ scientiæ in causa, quæ medium est cognoscendi effectum omnem omninò contingentiam aliter essendi, seu non essendi ab illa causa effectum ab ea causa absolute exclusam supponit, & importat: ergo, si posita præfinitione non excluditur absolutè omnis contingentia omittendi effectum, sed manet in voluntate absoluta potestas illum omittendi, & indifferens ad vtrumuis potentia, atque libertas, voluntas etiam cum præfinitione non est causa, cui ranquam medio diuinæ scientiæ de actu contingenti præfiuito infallibilitas possit inniti.

CERTAMEN III.

Solutio de potentia in sensu diuiso confutatur.

1. AD solutiones aduersariorum veniamus, quæ eadem cum fatalium Philosophorum, ac Hæreticorum prædestinatorum, nouorumque præfinitorum nostrarum actionum à Deo è doctrinæ, & verborum conuenientia esse videntur, vt constat ex q. 3. & 4. & quarum à ratione impugnationes in hunc locum remisimus. Prodeat solutio illa, primum de impotentia voluntatis nostræ ad negationem consensus præfiniti posita præfinitione *in sensu composito*, potentia autem eiusdem ad eius negationem *in sensu diuiso*, quam potentiam in sensu diuiso satis ad voluntatis libertatem, & potestatem ad extremum oppositum consensui præfinito, & infallibiliter apponendo tuendam, ac subinde ad absolutam voluntatis nostræ indifferentiam, & indeterminationem ad vtrumvis, seruandam, excludendamque solummodo oppositam consensus præfiniti, in sensu etiam diuiso necessitatem, & determinationem ex nostra etiam doctrina conantur ostendere, in qua distinctionis eiusdem, & vsus nobis, & necessitas est, vt illæsam libertatem in nostris etiam principiis ostendamus. Etenim quantumuis indifferentia de se se principia voluntatis libertatem, & potestatem absolutam constituentia sint, posito à voluntate consensu, illam in sensu composito eius negationem, vel dissensum oppositum ponere non posse certissimum est: cum consensus negatio consensui contradicat, ac proinde ac ipsam in sensu composito consensus apponendam, siue (quod idem est) coniungendam cum consensu nulla, etiam in Deo, nedum in nobis, potentia esse potest: cum ad apponendam contradictionem æquè Chimærica, & impossibilis omnino potentia sit, atque impossibilis est ipsa contradictio. Ad apponendum vero cum consensu contrarie oppositum dissensum non nisi in eo, cui coniungendi contraria facultas est (in Deo nimirum) potentia esse potest; quare in nobis potestas ponendi dissensum in sensu composito consensus, nulla est omnino potestas; & tamen, quia nobis ad eum in sensu diuiso oppositi consensus ponendum facultas, & potestas adest; adest etiam nobis ponendi consensum, eiusve negationem, & vel dissensum, absoluta libertas.

2. Sed certe, & si communis, & nobis, & aduersariis terminorum eius distinctionis vsus, adeo tamen diuersus est eius apud vtrosque sensus, vt citius oriens cum occidente in eundem locum possit conuenire; nec immerito proinde de Cabezudo, & hac distinctione ad has difficultates emolliendas vtentibus dixerit Illustriss. Mascareñas d. 2. de auxil. p. 3. n. 11. *Rem non capiunt, vel certe capitores sunt, qui apertam veritatem volunt occultare, ne à sua discedant sententia.* Cum enim consensus voluntatis nullatenus ex parte se actus primi, & causæ ad se ipsum teneat, sed potius sit voluntatis effectus: licet posito semel à voluntate neque ipse possit non esse, ac proinde eius negatio, aut dissensus oppositus in sensu composito illius esse nequeant: cum tamen, in nostra sententia, à voluntate ex parte actus primi, tam de se, quam ex requisitis omnibus ad operandum indifferente, ac proinde non determinata, aut necessitata, vel de se se, vel ex requisitis ex parte actus primi ad operandum consensus procedat, indifferentiam, & libertatem voluntatis, vt causa in actu primo est, quam pro naturæ, & causalitatis priori supponit, & à qua procedit, nequit destruere; nullus enim effectus suæ causæ, pro tempore, quo agit Physicè (nec solùm moraliter, vt dominium donationem) destructiuus esse potest: ac proinde voluntatis in actu primo libertas consensu effecto manet, & in sensu composito illius, & si eius negatio eo ex parte actus secundi posito sit absolutè impossibilis, quia libertas voluntatis in actu prima ad vtrumque simul ponendum nusquam erat, sed ad ponendum vnum, vel alterum. Id quod ex parte actus primi, ad quem actus secundus consentiendi trahi non potest, etiam cum consensus de facto ponitur, perseuerat: & si posito consensu incommuto actus

actus primi voluntatis, & actus secundi consensus, non fit ad eius negationem, & dissensum apponendum potestas. At impossibilitas negationis consensus in sensu compositio præfinitionis aduersariorum ex parte causæ ad consensum antecedentis, imò & essentialiter requisitæ ex parte actus primi ante omne voluntatis exercitium se tenet, quam prædeterminat, & necessitat ad consensum infallibiliter futurum: quare in actu primo absoluta potentia ad negationem consensus, & dissensum, præfinitione ponè posita, nusquam manet: vt ad rationem potentiæ, & causæ liberæ requiri demonstrauimus: siquidem in eis circunstantiis, & suppositionibus ad agendum requisitis, in quibus effectus impossibilis est potentia ad ipsum esse non potest. Stet ergo vsum distinctionis huius de sensu compositio, & diuiso saluandæ voluntatis libertati in nostris principiis vtilem, inutilem prorsus aduersariis esse: Est siquidem argumentum, Impotentia voluntatis ad omissionem consensus positi post exercitium liberæ potentiæ, & indifferentis ad ipsum ponendum, vel non ponendum, non impedit absolutam eius in actu primo potentiam ad ponendum vtrumvis: ergo præfinitio consensus ex parte actus primi requisita, & posita omninò independenter ad exercitium liberum voluntatis prædeterminans, ac necessitans ad infallibiliter, & irresistibiliter apponendum consensum, atque ad apponendam eius negationem, & dissensum impossibilitans (vt sic loquar) potentiam absolutam omittendi consensum, & apponendi dissensum eum consensu incompossibilem non impedier.

3. Ex his autem constat quo iure Magist. Ioannes Vincentius, Vicarius Generalis Dominicanorum, & Salmantinus Professor eximius ob suorum abusum distinctionis huius *in sensu composito, & diuiso* dixerit: *eam distinctionem in hac parte leuissimam esse, & , qua tota euanescat in verbis*, vt quæst. 3. cert. 2. num. 8. referebamus & Caietan. 1. part. quæst. 22. art. 4. §. *Ad hanc dubitationem intellectum non quietare.* Et Henricus Villegas Primarius Complutensis Thomistas multa ea distinctione ex Logica profudisse, *quæ mallem*, inquit, *iuxta Theologiam declarari, vt obscuritatem nullam peperisset.* Ioannes Roadauila, de prouident. & prædest. quæst. 3. sect. 2. num. 77. *Refugium esse fugientium à vi difficultatu.* Sed quoniam verba hæc in duplicem, verbis tenus, sensum, æquè difficultatibus propositis euacuandis inutilem, singulatim à nobis confutandum, explicare contendunt. Moneo interim eadem distinctione & sensu (si duplex esset) vtroque æque commode fatales Ethnicos prædestinatores Lutheranos, & Caluinistas vti posse, vt præter eorum testimonia data quæst. 3. ex vtriusque sensus explicatione ab aduersariis data, moxque subiicienda clarebit. Primus (qui me iudice vnicus eius distinctionis sensus esse potest apud aduersarios) est in sensu composito præfinitionis consensus requisitæ ad operandum, siue quandiu ea posita est, non posse voluntatem dissentire, siue non consentire; sed solum in sensu diuiso voluntatis à præfinitione ipsam non consentire, aut dissentire posse, eamque potentiam in sensu diuiso à præfinitione ad saluandam libertatem voluntatis, & arbitrij satis esse: ita Bannez 1. part. quæst. 23. art. 3. dub. vltim. aute §. *Ad motiua*, & art. 5. dub. 1. *ad 7. Inuelli* Cabecudo tom. 1. in 3. part. quæst. 52. art. 5. quæst. 3ua 2. conclus. 6. §. *Ad 12.* & quæst. 62. art. 5. quæst. 3ua 2. conclus. 3. §. *Ad quintum.* Ledesma de auxil. art. 10. §. *Tertia solutio.* Aluarez 9. de auxil. d. 94 num. 2. & lib. 2. responsion. cap. 1. num. 30. Sed certè si, vt voluntas nostra absolute possit omittere consensum, vel dissensum ponere, diuisa à præfinitione consensus, requisita essentialiter ad ipsum apponendum, esse debeat: ergo ea posita præfinitione impossibile est ponere dissensum, vel consensum præfinitum omittere: ergo neque posito eo requisito ad operandum consensum eum operari, vel non operari absolutè potest, vt in primo syllogismo assumebamus: ac proinde neque causa, seu potentia libera est. Secundo eodem sensu diuiso aquæ feruentis à calore potest frigefacere lignum viride, siue eius materia prima ignire: ignis materia frigefacere, & sic de reliquis naturalibus agentibus: quare, cum in hoc sensu diuiso in eis saluetur posse non operari quæ operantur, agentia naturalia omnia libera agentia erunt. Tertio & Christi humanitas contra Thomistas hoscè erit absolute peccabilis, & libera ad peccandum: quia in sensu diuiso ab vnione hypostatica poterit peccare. Ratio autem, cur hæc admittenda non sint, est quarta huius sensus distinctionis impugnatio; quia potentia causæ in sensu diuiso à forma, seu aliquo, quod supponitur esse in illa vel, cum illa, est potentia solum conditionata causæ illius, scilicet, si diuidatur à forma, seu illo, quod supponitur esse, non autem potentia absoluta illius causæ: ac proinde non est potentia quæ est, sed quæ esset, si præfinitio auferretur.

4. Cum autem præfinitione semel posita eam pro duratione, in qua posita est, non solum humanitus, sed & diuinitus auferri repugnet: ac insuper eam poni à libertate voluntatis nullatenus per aduersarios pendeat; fit planè sensum illum diuisum nullatenus voluntatis potestati subiacere: quare neque illi adesse, mediatam adhuc, ad omissionem consensus præfiniti, vel ad oppositum dissensum potestatem: vnde nullo etiam sensu Concilij Tridentini, Senonensis, & Pontificum Vrbani VIII. Innocentij X. & Alexandri VII. definitiones verificari, ea solutione sensus diuisi, & compositi ita explicata vllatenus posse, neque nostris argumentis satisfieri, scilicet posito auxilio efficaci, quo quis de facto conuertitur, Deumque vocantem sequitur: ac proinde Dei de eius conuersione, & consensu voluntari, & electioni resistere, dissentire, Deumque vocantem, & eligentem abiicere absolute posse. Id circo hanc eius solutionis sensus compositi, & diuisi explicationem esse Caluinianam, & Hæreticorum, nec posse cum eis definitionibus Tridentini consistere ait Magist. Petrus de Herrera Dominican. Primarius Theologiæ apud Salmanticenses Professor Episcopus demum Tudensis Manuscripto de auxil. dictato Salmanticæ anno 1650. eam verò eius distinctiones explicationem à nostris impositam suis Dominicanis conqueritur, eius verba recitat Paulus Leonardus 2. part. responsi. sect. 2. num. 9. & quoad primum de insufficientia eius ita explicatæ distinctionis, ad saluandas Tridentini definitiones consentit Cabrera tom. 2. in part. quæst. 18. art. 4. d. 8. num. 313. Inde tamen in Dominicanos prædeterminatiuos præfinitores, (quibus quo ad præfinitiones, & præterminationes consentit) inuehitur. *Audiendos non esse, qui admittentes physicas prædeterminationes affirmant voluntatem ex vi concursus, seu auxilij efficacis ita præmoueri, vt illos supposito non possit non elicere actum*: Iuxta quem sensum rectè errorem in fide à nostris appellari, ait ob aduersas omninò Concilij Tridentini definitiones memoratas. Fatetur ergo prædeterminantes aliquot ita potentiam ad omissionem consensus, seu dissensus in sensu solum diuiso voluntatis à præfinitione admisisse: quare nulla in eo nostrorum impostura est, vt aiebat Herrera: forte, quia citatos Dominicanos locis datis num. 6. vel non attente legit, vel attentius dissimulauit: Sicuti & Ledesma de auxil. art. 12. §. *In hac difficultate.* Nauarrete verò tom. 2. Controuers. 21. §. 18. tit. *Libertatis voluntatis*, maiore ingenuitate ita explicatam à quibusdam suis eam distinctionem fatetur: imò & §. 3. eo sensu illam admittit dicens, *suppositâ præmotione Dei necesse est, quod* voluntas: *operetur actum, ad quem præmouet, & non potest contingere, quod voluntas non operetur.* Et Franciscus Dauila de auxil. cap. 19. *Ex ipsamet motionis diuinæ natura fit, vt voluntas non velle*: quod ipsum est impotentia omittendi volitionem in sensu composito præfinitionis ad illam. Et quod magis mireris Cabrera ipse, qui errorie ita explicatam solutionem insimulat tom. 3. in 3. p. q. 62. n. 9. fine eo solum sensu diuiso potentiam ad omittendum consensum admittit, & in sensu composito præfinitionis (seu quod idem est) auxilij de se efficacis potentiam omittendi omnino voluntati negat his verbis: *Posito auxilio præuio in sensu composito necessario operatur voluntas: & non potest non operari.*

5. Sed quoniam eius distinctionis sensum, seu explicationem primam adeo iam Thomistæ præfati, & Recentiores reliqui reiectant, vt à suis dictam negent, & nolint: sensum eiusdem distinctionis alterum, siue explicationem secundam proferamus, & in aperto examine mus: eam his explicat Herrera vbi proxime: *Admittimus hanc distinctionem, & necessitatem in sensu cõposito in hoc sensu: quod posito in voluntate auxilio efficaciter prædeterminante possimus illi resistere, & dissentire, vt dixit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 4. Et eo posito possimus nõ operari: non tamen simul*

simul sint in voluntate auxilium collatum, verbi gratia, pro actu charitatis, & omissio talis actus, vel odium Dei; Ita etiam Aluarez 9. de auxil. d. 92. concluſ. 2. num. 6. d. 94. num. 2. §. *Igitur quando*, & 2. reſponſion. cap. 1. num. 26. (*vbi id à nullo Catholico negari poſſe ait, & alio ſenſu falſo, Thomiſtis imponi*, & cap. 4. num. 9. ſuorum, ſcilicet, qui id negant, imò, & ſui immemor. Siquidem citata d. 94. num. 2. & 2. reſponſion. cap. 1. citato num. 30. primam eius diſtinctionis explicationem amplectitur, vt num. 3. dicebamus: Et quidem in hoc ſecundo ſenſu eius diſtinctionis quieſcunt Cabrera tom. 2. in 3. part. quæſt. 18. art. 4. d. 2. §. 10. num. 364. Zumel tom. 1. variar. d. 5. in Appendice §. ad 3. Ioſephus à ſancta Maria, tract. Thomiſt. de libero arbitr. in communi q. 4. art. 6. §. *Dico* 7. & §. *Supponendum* 7. Nazar. tom. 1. in 1. part. quæſt. 22. art. 4. Controuerſ. 2. Ad argumenta ſeptimæ concluſionis, §. *Secundo reſpondeo*. Gregor. Martin. tom. 1. in 1. 2. quæſt. 10. art. 4. dub. 1. concluſ. 2. ad 1. Argum. Theologus Diſcalceatus Carmelitus, & Ioann. à S. Thom. Martinez de Prado, & vno verbo iam è ſuis reliqui, quibus ad reſpondendum in forma familiares termini ad hunc ſenſum ſolutioni applicandum ſunt: *voluntatem poſita perfinitione conſenſus illum nihilominus omittere poſſe ſi multate potentia; non tamen potentia ſi multatis omiſſionis, ſeu diſſenſus cum præfinitione*. Idque exemplis nonnullis inferius adducendis, & refutandis explicant amplius, & confirmant: & poſſent quidem verbis Ariſtotelis, & Scoti, apud Guillielmum Eſtium in 1. d. 38. §. 8. init. vbi & ipſe ex Scoto, tract. de rer. princ. quæſt. 4. artic. 2. ſect. 5. num. 38. ait: *Et iſtum modum* (ſenſus diuiſi & compoſiti,) *Tradit. Ariſt. Elenchor. cap. 3.* vbi dicit: *Quod iſta propoſitio, ſedentem ambulare eſt poſſibile, eſt multiplex: quia poteſt eſſe diuiſa: vt, ſi poſſibile determinet* ly *ambulare, ſecundum ſe, & abſolutè, vt ſeparatum ab actu ſedendi: & ſic in ſenſu diuiſo eſt vera ſub hoc ſenſu; qui vere ſedet habet potentiam, vt aliquando ambulet: vel poteſt eſſe compoſita, vt* ly *poſſibile determinet actum ambulandi, vt coniunctum actui ſedendi: & ſic eſt falſa: quia ſenſus eſt: aliquis habet potentiam, vt ſedendo, vel, dum ſedit, ambulet.* Quibus aſſerit potentiam ambulandi in eo, qui ſedet, conſiderato actu ambulandi ſecundum ſe, & non, vt coniuncto cum actu ſedendi: ac proinde, & in voluntate, cuius conſenſus verè præfinitus eſt, veram potentiam ad conſenſus omiſſionem, poſita præfinitione per ipſos admitti; & ſi ad omiſſionem, vel diſſenſum apponendum præfinitio debeat abeſſe, vt aduerſarij fatentur: vbi de ſeſſione Ariſtotelcs, & Scotus aiebant, vt poneretur ambulatio: quia æque incomungibiles ſunt omiſſio conſenſus cum huius præfinitione, atque cum ſeſſione deambulatio.

6. Contra tamen eſt: quia ſeſſio eſt actus ſecundus potentiæ abſolutæ deambulatiuæ ab ea ex libero imperio voluntatis libere poſita: ac proindeque, & potuit abſolutè pro eo & pro inſtantibus reliquis à poſitione ambulationis cum ſeſſione pugnantis impedire, quia potentiam ambulandi non complet pro priori cauſalitatis, ſicuti nec ſeſſio potentiam abſolutam ſedendi: quare, & hac poſita manet potentia abſoluta deambulandi; atqui abſque præfinitione potentia ex parte actus primi completa, & abſoluta potentia omittendi conſenſum, vel ponendi diſſenſum non eſt: quæ iuxta hos Decreto oppoſito debet compleri, ad quorum neutrum pro eo ſigno à Deo obtinendum, & habendum vlla eſt in voluntate poteſtas. Vnde rurſus arguitur: quia pro eo ſigno, quo adeſt extremum incompoſſibile cum alio nequit eſſe per Ariſtotelem, & Scotum potentia, ſeu poteſtas adhoc aliud in ſenſu compoſito cum illo, ſolumque in ſenſu diuiſo ab illo abſoluta ad oppoſitum poteſtas eſſe poteſt, vt aperte vterque docet, & de ſe patet, ac ſtatim demonſtrabitur: atqui per vos præfinitio conſenſus, & ſe ex parte actus primi, & cauſæ conſenſus tenet, & eſt extremum incompoſſibile cum eius omiſſione, & diſſenſu: ergo pro ſigno actus primi, ſeu cauſæ (quod eſt ſignum vnicum potentiæ, ſeu, pro quo verificanda potentia neceſſatio eſt) in ſenſu compoſito præfinitionis conſenſus potentia ad eius omiſſionem, vel diſſenſum nullatenus eſſe in voluntate poteſt: quare iuxta Ariſtotelis, & Scoti doctrinam ſolum poteſt: ni aduerſarij admittant cum Suariſtis noſtris (quod mordicus negant) eſſe eius præfinitionis poſitionem, vel impeditionem in libera poteſtate voluntatis: de quo controuerſ. 4. Ex quo patet quo iure citatus Eſtius. Et Mag. Lorca 1. 2. tom. 1. d. 21. concluſ. 2. §. *Secundo quaeritur dixerit. Senſus compoſitus idem eſt, ac poſito, & applicato auxilio; Diuiſus autem eſt conſiderando voluntatem abſolutè, & ſine auxilio.* Non autem ſine actu, vt explicatione hac ſecunda eius diſtinctionis contenditur. Sin autem præfinitionis Thomiſticæ natura, & cauſalitate conſenſum antecedentis poſitio à noſtræ voluntatis exercitio libero penderet, vt ſcientia conditionata, ex qua auxilium, cui conſentiemus, de facto tribuitur, & quæ ſubinde conſenſum antecedit, (& vt Suariſtæ volunt præfinitio per ſcientiam mediam regulata,) ſecundus hic ſenſus diſtinctionis locum, & veritatem haberet. Siquidem, vt dixi, in voluntate pro naturæ prioritate ad negationem præfinitionis antecedens de facto poteſtas abſoluta fuiſſet, & antecedens eius poſitionem: quæ eius poſitione pro naturæ poſteriori deſtrui non poteſt: quare, & etiam poſita poteſtas omittendi conſenſum præfinitum in ſenſu diuiſo à præfinitione perſiſteret: quia eam diuidendi à voluntate, ac ſubinde apponendi conſenſus omiſſionem ipſi repugnantem, eſſet in voluntate abſoluta poteſtas, quæ ſola eſt vera potentia non operandi in ſenſu diuiſo.

7. Sic ergo contra Thomiſtas concludo. Potentia non operandi diuiſo poſito ex parte antecedentis, & cauſæ aliquo impoſſibili cum negatione operationis, eſt potentia diuidendi illud antecedens incompoſſibile cum negatione operationis: ſed nulla eſt pro vllo ſigno poteſtas diuidendi præfinitionem antecedentem operationis in voluntate: ergo pro nullo ſigno eſt in voluntate potentia ad negationem operationis præfinitæ in ſenſu diuiſo, præfinitione Thomiſtica poſita. Conſequentia eſt legitima in *celarent*, vel ſi particulariter aſſumas Minorem, *in ferio*. Minor eſt aduerſariorum doctrina dicentium præfinitiones noſtrarum actionum nullatenus à noſtræ libertatis vſu dependere. Maior conceditur etiam à Cabrera, Auila, & aliis: quare, cum conſequentiam negant alio, quam ratione agendum eſt. Aluaræ tamen opuſcul. de origine Pelagianæ cap. 32. num. 7. & Ioann. à S. Thom. 1. part. d. 20. art. 6. negant maiorem: quia alias vera eſſet Petri de Riuo propoſitio, *quod ex inimpedibili per neceſſariam conſequentiam ſequitur, hoc eſt inimpedibile, & neceſſarium*, damnata à Sixto IV. annum circiter 1475. verum & ea propoſitio certiſſima eſt, & alia longè ab ea, quæ damnata in Riuo fuit, vt oſtendimus quæſt. 4. in Louanienſi Academia. Quare, & maior illa ſyllogiſmi noſtri certiſſima, & ab Ariſtotele nuper tradita, cum potentiam in ſenſu diuiſo ad actum oppoſitum, & incompoſſibilem ei, qui poſitus eſt, in eo ſolum actu admiſit, qui libere, ac dependenter à libertate noſtra poſitus eſt, vt ſeſſio. Secundo demonſtratur ab abſurdo, quia alias aqua calida, cum calor etiam adeſt, haberet poteſtatem in ſenſu diuiſo non calefaciendi, & frigefaciendi: quare, & libere iuxta aduerſarios calefaceret, & ſic de reliquis naturalibus agentibus, ad poteſtatem in ſenſu diuiſo ad incompoſſibile cum eo, quod adeſt, poteſtas libera hoc impediendi; ac proinde eius in ſui poſitione ab vſu noſtræ libertatis dependentia requiratur, & ad ipſum diuidendum facultas in nobis, atque vt huius, & ſimilium argumentorum robur non detur, habendum præ oculis eſt: aliud longe eſſe non poſſe non operari, ac poſſe non operari: & ſi enim ex alterutro negatio operationis procedat, ex primo tamen procedit ex impotentia non operandi; quæ cauſis naturalibus adeſt ex ſecundo autem ex potentia non operandi, quæ ſimul cum potentia operandi in cauſis liberis eſſe debet, & impotentiæ non operandi contradicit: quare neque eſſe in illis vllatenus poteſt, niſi pro naturæ priori eius impotentiæ poſitionem auferre, & impedire, ne eſſet abſolutè cauſa, & potentia libera potuerit, vt diximus: ac proinde potentiam pro aliquo naturæ priori eam impotentiam non operandi à ſe abiiciendi habuerit: aſt voluntas pro nullo ſigno priori naturæ habuit potentiam abſolutam impediendi neceſſitatem operandi, & impotentiam non operandi, quam ſe cum præfinitio requiſita deuoluit. Siquidem nec impedire potuit, nec præfinitio poneretur, cum eius poſitio à poteſtate voluntatis independens opera aduerſa-

tion

tios sit: ergo nulla, posita præfinitione, adhuc in sensu diuiso potentia non consentiendi; sed sola impotentia non consentiendi in voluntate est: quare nec libera ad consentiendum potestas est.

8. Vrgeo in communi etiam aduersatiorum sententia de incompossibilitate gratiæ cum peccato; si Deus alicui reuelet esse in gratia in hoc instanti nullam habet potentiam ad dissentiendum reuelationi actu existenti: ergo præfinitione posita nulla est potentia ad omissionem consensus præfiniti. Probatur maior: quia dissensus reuelationi de existentia gratiæ pro hoc instanti peccatū est, quod incompossibile est cum gratia pro eodem instanti, quam essentialiter supponit reuelatio pro hoc instanti: quare nequit esse potentia ad dissentiendum reuelationi pro eo instanti, nisi sit potentia ad coniungendum peccatum cum gratia, quæ est potentia pure chimærica, & impossibilis, consequentia est manifesta, quia ideò nulla est potentia ad eiusmodi dissensum reuelationi præfatæ: quia dissensus dicit coniunctionem cum gratia, repugnantem, & ex alia parte reuelatio independenter ab vsu libertatis iuxta illius circa consensum, & dissensum posita est. Quare in potestate voluntatis, eiuiq; potentiæ ad cōsentiendum, aut dissentiendum reuelationi nullatenus fuit reuelationem tollere, aut impedire, ne fuerit: sed per vos nulla est potestas ad coniungendam omissionem consensus, siue cum hoc, siue cum eius præfinitione, quia coniungi cum alterutro omissionem consensus repugnat: tollereque præfinitionē, aut impedire in potestate voluntatis consensuræ, siue potentia voluntatis ad consensum, non est: ergo nec in sensu compositio, nec diuiso potentia vlla ad omissionem consensus præfiniti cum præfinitione incompossibilem est. Quare nulla potentia, adhuc in sensu diuiso, adest voluntati ad omissionem consensus, dum huius adest præfinitio. Nec satis est gratiam reuelatam infusam esse dependenter à negatione peccati, & libertate ad peccandum alio peccato, quod reuelationem non supponat: tum, quia id de positione præfinitionis communiter non asserunt Thomistæ: quare iuxta communem eorum sententiam argumentum de infusione gratiæ reuelatæ independenter ab vsu nostræ libertatis ad vllum peccatum procedet: in quo nullus est elusioni æquiuocationis omnino locus. Tum denique, quia etsi ea potentia ad aliud peccatum à dissensu reuelationis gratiæ ad hanc essentialiter suppositæ infusionem antecedens admittatur in voluntate, similiterque potentia libera ad alia opera, dependenter à quibus à Deo habeatur præfinitio consensus, vt tandem Thomistæ nonnulli, non tam à semipelagianismo, quem nobis volūt affigere, quam à suis principijs alieni, comminiscuntur) tamen potentiam proximam ad omissionem consensus posita eius præfinitione non saluant, vt in sequentibus plane videbimus. Ac denum independentem ab omni vsu libertatis nostræ circa actum peccaminosum gratiam infundi nobis à Deo posse, ac reuerari citra dubium est: quo in casu nulla esset, nec mediata, ad dissentiendum reuelationi potestas, voluntatis, nec in assentiendo libertas.

9. Adde: visio beata non relinquit per hoscce libertatem, dum adest, in sensu adhuc diuiso, ad non amandum Deum, vel peccandum, quia cum ea componi nequit caritas amoris Dei super omnia, aut peccatum, neque eius positio pendet à libertate Beati: at omissio consensus præfiniti componi cum eius præfinitione nequit huiusque positio à libertate voluntatis nullatenus pendet: ergo nulla est, adhuc in sensu diuiso ad omissionem consensus potentia, posita præfinitione. Nec satis est visionem non esse separabilem ex se, & natura sua à Beato, sicut separabilis est, & defectibilis præfinitio, ac prædeterminatio quæuis. In primis visio Dei natura, & essentia sua æterna non est, sed separabilis, & defectibilis pro duratione sequenti, etsi ratione status beati è voluntate libera Dei eximatur, sicut pro reliquis omnibus instantibus extendi potest præfinitio. Secundò è positione visionis in hoc instanti independenter à nostra libertate, eiusque incompossibilitate cum omissione amoris Dei super omnia, infertur impotentia diuidendi visionem Dei, & apponendi illam ab ea negationem amoris ipsi incōpossibilem pro eo instanti: ad hoc autem, vt pro eo instanti sit ea impotentia in sensu diuiso, vel non sit, nihil refert, vt natura sua, vel aliter duratura sit visio duratione sequenti: quid enim de hoc ut habetur in eo instanti, in quo ponitur amor Dei super omnia, & pro quo futura est potentia ad eius omissionem, vt liber sit, in potentia omittendi diuidendo, siue auferendo visionem: & similiter de potentia, vel impotentia diuidendi præfinitionem consensus, & apponendi eius omissionem, vt necessarius consensus sit, vel potentia omittēdi illum, vt sit liber, qui pro ea duratione, qua in eo eliciendo voluntas exercetur esse debet. Quod enim pro sequenti diuidi natura sua, vel ex accidenti possit, vel non possit, vel alterutro modo diuidatur, vel non diuidatur potentiæ, aut impotentiæ voluntatis ad diuidendum, necessitatem, aut libertatem voluntatis priori durationi exercendam constituere, iuuareve non potest, vt de se patet; etsi posset iuuare altera ad potentiam, altera ad impotentiam in sensu diuiso pro duratione sequenti, quo permansuræ natura sua, vel aliunde, aut non permansuræ sunt. Tertio nec pro sequenti duratione (nedum pro ea, qua, visione, aut præfinitione posita, voluntatis libertas, aut necessitas in cōsensu præfinito, vel amore exercetur natura sua vel aliunde alterutram diuidi, & separari, vel auferri oporteret) ad potentiam, siue impotentiam eas diuidendi, aut auferendi potest conferre; dummodo præfinitionis, aut visionis positio, vel ablatio pro sequenti duratione à potestate voluntatis non pendeat, vti non pendere præfinitionis positionē aduersarij aiunt. Primo quia, si in eius potestate, & libertate non est visionem, aut præfinitionem, ponere, nihil profectò potestatis eius, & libertatis refert, quod de se, & natura sua, vel aliunde, omnino tamen independenter à potestate voluntatis separabilis, vel inseparabilis sit, separetur separeturque, vel non separetur, qu in ideo, quod de se, naturaque sua inseparabile, & indiuisibile est, pro quauis duratione semel positum aufert potentiam diuidendi illum, seu in sensu diuiso; quia, cum de se, & natura sua inseparabile sit potestati voluntatis nō subiacet, quod diuidatur, ac separetur. Quartò, quod absolute inseparabile est sensum diuisum, ac subinde potentiam voluntatis ad illud facit impossibilem. Quintò, quia, etsi ignorantia inuincibilis, seu inaduertentia rationis separabilis ex se sit, tamen quia illā separare, & auferre non est in potestate voluntatis sensus diuisus illius potestati voluntatis non subditur: ergo nihil ad id confert, quod separabile de se sit, vel non sit id quod diuidendum est, vt oppositum apponatur. Sed solum quod illud diuidere, & auferre potestati voluntatis subiaceat. Quare nihil discrimen hoc inter visionem, & præfinitionem suam tentatū ab Aluare 2. respons. c. 4. n. 20. ipsi, & suis præstat. Cum igitur, & his exemplis, & rationibus euidēs sit posita præfinitione consensus non habere potestatem absolutā ad ponendam omissionem eius, vel dissensum, coniunctim cum præfinitione, vt aduersarij fatentur, nec disiunctim à præfinitione, cum hanc nequeat, nequiueritque pro vllo priori naturæ disiungere, & tollere, seu impedire, sed eam disiungere non suæ, sed solius sit diuinæ potestatis: sit plane, nullam esse in sensu adhuc diuiso secundo potestatem ad omissionem consensus, cuius præfinitio adest; siquidem nulla esse ad omissionem apponendam, nisi vel conjunctim, vel diuisim à præfinitione posita excogitari potestas queat. Vnde ea solum potentia ad omittendum voluntati restat, qua possit omittere, si aliunde, quam à sua potestate, & facultate præfinitio absit, quæ solum est conditionata, ac non absoluta potentia, & quam prima eius distinctionis explicatio iam Thomisticis inuisa, concedit.

10. A ratione rursus demonstratur, quia potentia ad quemuis actum, vel eius omissionem, aut cōtrarium debet esse pro signo, & priori causæ ad actum, & eius oppositum, siue contrarie, siue contradictorie: siquidem potentia causatiua, cuiusvis generis sit, suum actum debet natura, & causalitate præcedere: atqui posita præfinitione (quæ per vos ex parte actus primi, & causæ necessario, & essentialiter ad consensum, atque ab illius libera positione omnino independenter requiritur) nequit esse pro eo signo priori naturæ, & causalitatis potentia absoluta ad oppositum actus siue contrarie, siue contradictorie: ergo posita præfinitione, siue in sensu cōposito illius nequit esse absoluta potentia ad oppositum siue contratie, siue contradictorie actui præfinito, sed solum conditionata, si absit, vel abesset præfinitio (quod nostræ potestatis per vos non est) quæ est potentia omittendi, vel ponendi actum contrarium præfinito in sensu diuiso præfinitione primo sensu iam aduersariis inuiso. Minor probatur: quia posita præfinitione ponitur ex parte causæ, seu actus primi ad

consensum omnino independenter à libero exercitio voluntatis aliquid, & essentialiter requisitum ad illum, & ei essentia sua connexum, & determinatum ad conjunctionem, & coexistentiam cum illo, ac subinde essentia sua repugnans cum illius opposito, siue contrarie, siue contradictorie: sed cum hoc pugnat pro eo signo priori naturæ, & causalitatis potentia absoluta, siue absolute talis ad oppositum contrarie, vel contradictorie actui præfinito (siquidem cum determinatione, & necessitate actus, & repugnantia oppositi pro aliquo signo pugnat contradictorie non repugnantia oppositi pro eodem signo, quam necessario potentia absoluta ad oppositum pro eo signo essentialiter claudit, vel concernit) ergo posita præfinitione consensus nequit esse in sensu composito illius potentia absoluta, siue absolute talis pro signo priori naturę, & causalitatis ad oppositum actui præfinito. Sola ergo potentia conditionata, si absit præfinitio, in sensu scilicet diuiso, iuxta explicationem primam iam ab aduersariis fastiditam, ac saluandæ libertati voluntatis, & causæ liberæ inutilem, in voluntate ad oppositum actus præfiniti posita eius præfinitione esse potest. Quod argumentum constans apud S. Thom. semper fuit in 3. ethicor. c. 3. lect. 7. litt. I. q. 24. De verit. art. 1. *Sed contra.* Et ad 4 q. 6. de malo art. vn. à med. 1. 2 q. 1. art. 3. 4. 5. & 6. dicentem: consilium, & electionem non esse *de re nobis impossibili, aut quæ ex necessitate fit; quia*, inquit, *quod possibile est non esse, non necesse est esse. Est autem possibile non eligere, vel eligere: quia potest homo velle, & non velle agere & non agere*: quæ & sæpius docet, vt vidimus q. 5. cert. 2. à num. 2. arguens ex necessitate causæ ad operandum vnum impotentiam eius ad oppositum, & negationem proinde contingentiæ, & libertatis ipsius, vt fiat, vel non fiat, quare cum necessitate causæ ad operandum vnum, quam præfinitio aduersariorum affert pugnare potentiam ad illius oppositum in sensu composito illius.

11. Denique hic locum non habet euasio illa, quæ pro physica determinatione tentari ab aliquibus aduersariis solet: nimirum eam non complere principium activum consensus, vt partialem virtutem illius, sed esse conditionem ad agendum, quæ ex parte actus primi non se teneat. Etenim præfinitio non potest non ex parte actus primi se tenere, cum prædeterminationem (ad quodcumque ea signum expectet, etiam comitans, & non antecedens) actū natura, & causalitate antecedat. Secundo conditio ad agendum, ex verbis ipsis, ad actionem ex parte actus primi, & causæ se tenet: quare cum hoc de conditione ad agendum negatur contradictoria dicuntur, & ex terminis ipsis pugnantia. Tertiò, vox prædeterminationis, aut præfinitionis eandem dicit antecedentiam naturæ ad consensum. Quartò, cum iuxta Aristotelem recitatum cert. 2. n. 12. tam præfinitio, quam prædeterminatio consensus essentialiter eius omissionem, ac dissensus positionem impediat, potentia ad oppositum consensus positis requisitis ad operandum in horum sententia absolute non erit (si præfinitio requisitum quid iuxta aduersariorum doctrinam sit) sed solum conditionate, si illæ absint, siue in sensu diuiso iuxta primam eius distinctionis explicationem: quia eiusmodi præfinitio consensus insuperabile impedimentum omissionis, & dissensus voluntati nostræ est: quare, & eius remotio absoluta ad absolutam potentiam omittendi, & dissentiendi requiretur: quæ cum positione præfinitionis siue in sensu composito illius contradictorie pugnat: quia & erit, & non erit præfinitio, & quidem potentiam ad omissionem actus præfiniti, siue eius contrarium stare non posse, nisi & omissio, & actus contrarius coniungi possint, quare & secundam hanc distinctionis eius explicationem de potentia ad actum oppositum, & omissionem præfiniti inanem prorsus esse fatetur ingenue Aluarez possint dum ab absurdo communem potentiæ, & causæ liberæ definitionem memoratam, & statutam reiiciendam tentauit. Etenim 12. de auxil. d. 115. n. 1. ex ea definitione absurdum infert à nobis relatum cert. 1. n. 3. his verbis: *quoniam inde sequeretur, vt compositio fieret inter antecedente prærequisita ad operandum talem actum, & carentiam talis actus, seu actum ipsum contrarium: & consequenter, quod omnia prærequisita etiam ex parte Dei, ad operandum talem actum particularem, & carentia eiusdem actus, seu actus contrarius possint esse, aut aliquando sint simul &c.* Ast, si possibilis sit potentia ad omissionem actus, seu actum contrarium præfinito posita præfinitione, siue in sensu composito præfinitionis requisitæ ad operandum consensum, & in coniungibilis cum eius omissione id nullatenus infertur, vt patet: ergo infertur ex Aluarez, quia censet repugnare potentiam ad omissionem actus præfiniti in sensu composito præfinitionis requisitæ ad actum, & in coniungibilis cum omissione actus, vt hactenus contra ipsum, & Affectas contendebamus.

CERTAMEN IV.

Viterior potentiæ assignatæ ad omissionem posita præfinitione impugnatio.

1. SEd hoc ipsum apertius ostendamus confutatione potentiæ ad omissionem actus præfiniti, quam in sensu etiam composito præfinitionis permanere in voluntate nostra explicatius aduersarij designant. Aiunt enim, vt vidimus q. 3. cert. 2. n. 11. in sensu etiam composito præfinitionis consensus ad ipsum prædeterminantis, & necessariæ, esse potentiam ad eius omissionem, & dissensum: quia præfinitio non destruit voluntatem, quæ de se potentia ad omissionem, & dissensum est: nequitque proinde secundum se absolute perseuerare (vt posita etiam præfinitione perseuerat) quin potentia ad vtrumvis absolute permaneat: maxime ii indifferenti cogitatione ad vtrumvis præueniatur. Etenim possibilitas effectus passiua absolute, siue absoluta, cui possibilitas actiua, siue potentia absolutæ causæ respondet effectibus, & potentiis secundum se præcisæ sumptis competit: quare, etsi ex aliqua suppositione eorum naturis superaddita esse, fierive repugnent, nec effectus impossibilis absolute, neq; infacibilis absolute est, neque possibilitas actiua, seu potentia causæ impossibilis, aut actiue impossibilis absolute redditur. Ex qua doctrina aiunt necessitatem consensus, & impotentiam ad eius omissionem, & dissensum præfinitione consensus, & impotentiam ad eius omissionem, & dissensum præfinitione consensus voluntati inductam, non esse necessitatem vnius, & impotentiam aliorum absoluram, & simplicem libertati causæ, & potentiæ ad oppositū absolutæ aduersam, sed necessitatem solummodo ex suppositione, & secundi quid, quæ iuxta DD. omnes cum absoluta causæ libertate, & potentia ad oppositum amicè componitur. Hæc omnia sunt, quæ ab aduersariis ex prima illa doctrina consequenter dicuntur, atque in eam tandem recidunt: quam præter rationem datam exemplis illustrant. Nam subiectum album, etiam cum albedinem habet, siue in sensu composito albedinis potentiam passiuam, siue capacitatem ad habendam nigredinem retinet, neque nigredinis receptione amittit. Sedens item, vel competitus, quin absolute potentiam habeat ambulandi, seu progressiuam facultatem dubium non est: neque enim illa, vel competibus, vel sessione priuatur. Denique quamuis oculi nostri tenebris circumfusis teneantur, ne actu videant: attu eis potentiam visiuam absolute ad videndum esse nemo inficiabitur, ita ergo (inquiunt, ex Aluarez iam aduersarij omnes) etsi præfinitione consensus, ne illum omittat in sensu composito illius voluntas teneatur, quæ consentiendi, & non consentiendi, seu dissentiendi facultas, & potentia est; ast illum omittere, ac dissentire in sensu etiam composito absolute potest, vt allata exempla, & ratio facta suadent.

2. Sed enim exempla hæc ipsa iam pridem à Pelagio adducta, vt potentiam bene volendi sub nostram potestatem non cadere, & tamen actum bonæ voluntatis absque gratiæ diuinæ lumine in nostra omnino potestate esse defenderet. Quemadmodum, etsi potentiam visiuam habere nostræ potestatis nō sit, sed Dei, vel se solo, vel cum causis secundis illam nobis donantis; ast ea nobis semel indita, etsi nullum nobis lumen affulgeat, sed in tenebris prorsus simus videre actu nostræ facultatis, & potestatis est: cum adhuc sub tenebris potentia visiua nostra perseueret. At ita refellit Augustinus lib. de natura & gratia cap. 47. *Quomodo in nostra potestate est videre, si velimus: cum etiam salua integritate corporis, cuiuscumque nostrorum, nec volentes videre possimus: sine potestate*

noctem luminibus, quæ forinsecus adhibetur, ademptis sine nos quispiam in tenebroso loco aliquo includat? Eademque ratione potentiam absolutam progrediendi, & ambulandi in sensu composito compeditionis reiectat, & in sensu composito sessionis reiici potest; ni ex libera voluntate sedentis, atque arbitrij eius exercitio posita sit. Si enim ex hoc apponatur potentiam ex parte actus primi ad sedendum, ac non sedendum, & deambulandum expeditam supponet, quam proinde impedire; abolereve non poterit, vt sæpè docuimus. Sin autem sessio non ex libito sedentis, sed eius liberum voluntatis exercitium præuertens sedenti contingat, nulla eius ad standum, seu ambulandum erit potestas. Siquidem pro nullo priori, vt aliunde ponatur, aut non ponatur sessio sedenti potestas est, aut fuit: eaque semel posita, siue in sensu composito sessionis, potestas alia ad progrediendum esse nequit ab ea quæ ad coniungendam cum sessione progressionem potestas sit: ad has autem nulla vera sedentis potestas, sed solum chymærica esse potest, vt Aristot. & Scotus suprà, aliique omnes Philosophi, ac Theologi fatentur. Tertio euasio ista potentiæ, & causæ liberæ definitione, qua pro Maiori nostri omnes Syllogismi vtuntur, præclusa est. Ait enim: potentiam, seu causam liberum esse, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, vel non operari: ergo, vt potentia ad vtrumvis absolutè talis, & libera sit, non nuda potentiæ, & causæ entitas secundum se præcisè, sed in consortio, & coniuncto requisitorum omnium ad operandum spectanda, accipiendaque est. Quarto: quia cessatio, seu ablatio impedimentorum operandi, vel non operandi ad causam, & potentiam operandi, vel non operandi absolutè talem à Deo intrinsece, & essentialiter spectat, vt non solum ad potentiam absolutè talem attendi debeat, sed in ipsa potentia absolutè tali intelligatur inclusa: vt proinde in definitione causæ, & potentiæ absolutæ talis ad effectum aliquem eiusve negationem exprimenda, addendaque non esse dicatur ab Aristotele recitato cert. 1. num. 12. Ablatio autem impedimentorum intrinseca potentiæ, & entitati causæ, siue liberæ, siue naturalis non est: ergo ad potentiam causæ ad operandum, vel non operandum absolute talem, satis non est potentia causæ secundum suam entitatem consideratæ, sed cum coniuncto reliquorum requisitorum etiam extrinsecorum ad operandum, vel non operandum, siue ea positiua, siue negatiua sint, vt impedimentorum negatio.

3. Quinto aduersarij iudicium indifferens ad absolutam potentiam operandi, vel non operandi requirunt, etsi extra potentiam intrinsecam, & entitatem voluntatis sint. Item præfinitionem consensus prædeterminatiuam non solum entitate, sed & supposito diuersam. Septimo: & negationem præfinitionis Lutheranæ, & Caluinianæ de substantia actus præfiniti, ac non de modo etiam libertatis, vt suas ab hæreticis præfinitionibus, libertatem potentiæ voluntatis, & arbitrij nostri euertentibus, diserimenti, suaque cum libertate arbitrij creati perstare, vtcumque, suadeant, de quo inferius: & tamen hæc omnia extra entitatem voluntatis, eiusque potentiam sunt, quæ eis etiam positis perseuerat. Octauo idem argumentum sit ex principio cogente voluntatem, & necessitante coactiue ad actum, quam etiam tribuunt hæreticis præfinitionibus, & libertatem euersuras fatentur; secus suas, quæ coactiuæ non sunt: & tamen illæ nec de entitate voluntatis sunt, nec illam destruunt, cum adsunt. Ratio autem est, ad potentiam absolutam operandi, aut non operandi potentia sola, & nuda voluntatis præcisè sumptæ attendi non debeat, sed cum aliis: scilicet iudicio indifferenti, & præfinitione prædeterminatiua consensus, ac negatione præfinitionis coactiuæ ad ipsum, ea apud aduersarios est: quod, tam positiua hæc duo, quam negatiua reliqua, seu præfinitionum cogentium, ac non circa modum etiam libertatis versantium, & proinde potentiam impedientium, eum adsunt, requisitaque, siue ad potentiam non operandi ex parte causæ sunt: quare & ex parte potentiæ & causæ liberæ attendendæ spectandæque etiam sunt, vt libera illa ad operandum, vel non operandum sit, necne, vere iudicetur: ergo ex sola potentia voluntatis præcise, ac secundum se consideratæ non potest, etiam in aduersariorum doctrina, eius libertas ad vtrumuis pensari; sed ex ipsa, vt coniuncta cum aliis omnibus requisitis, siue positiuis, siue negatiuis, scilicet remotione impedimentorum cum altero ex extremis, quæ causæ libertas, seu potentia eius indifferens recipit, incompossibiliū, libera censetur; ex defectu autem alicuius ex requisitis siue positiuis, siue negatiuis ad alterum ex eis extremis apponendum, nec libera, & indifferens potentia absoluta ad vtrumvis persistit, nec potentia absoluta ad extremum illud, quod cum cōiuncto, quod de facto potentiæ adest, repugnare inueniatur, esse potest. Quare, cum de facto adest præfinitio consensus, quæ essentiale requisitum ex parte causæ, & potentiæ voluntatis ad actum eliciendum est, eiusque omissioni repugnat, quantumuis potentia volitiua secundū suam perstet entitatem, ac essentia sua consensui præfinito non connectatur, tamen absolutam potestatem ad non consentiendum nusquam habet, sed conditionatam, vt summum; si nimirum abesset præfinitio, quæ ex parte causæ, & actus primi ponitur ab aduersariis omnino independenter ab vsu libero voluntatis, ac de sese connexa prorsus cum consensu præfinito, ab eoque physicè, & metaphysicè inseparabilis, quare & eius omissioni, atque oppositio dissensui repugnans.

4. Nono impugnatur solutio hæc à priori, ac simul præcipuo eius, & exemplorum fundamento manifestè occurritur. Etsi enim, præfinitione posita, non auferatur omissionis absoluta, & latissimè sumpta possibilitas intrinseca, scilicet, intrinseca prædicatorum eius non repugnantia (atq; idem dicendū est de oppositæ operationis intrinseca possibilitate) ast possibilitas adhuc illa, vel cōsensus, vel omissionis eius principia, & requisita omnia, à quibus essentialiter pendere debet quandocumque extiturus est consensus, siue omissio possibilia esse debent: cum autem præfinitionis positio, vel ablatio (à quarū altera per aduersarios essentialiter pendet cōsensus, ab altera vero eius omissio, quæ præfinitioni per ipsos contradicit) non afferat alterutri impossibilitatem absolutam intrinsecam, fit plane, vt neque absolutam impossibilitatem intrinsecam consensui afferat præfinitionis negatio dum adest, neque omissioni consensus, cum abest præfinitio. Cæterum sicuti ad statum possibilitatis intrinsecæ consensus, & operationis possibilia esse requisita omnia necesse est, nec sufficit volūtatem solam requisitis reliquis repugnantibus esse possibilem: ita ad statum existentiæ ablatæ consensus, & operationis omnium requisitorum absoluta existentia requiritur, nec sufficit solius voluntatis existentia absoluta, vt consensus, & operatio absoluta existat: alioqui cum ab actu ad potentiam, atque ab actuali existentia rei ad eius possibilitatem valeat consequentia, si à sola voluntate actu existente existere absolute consensus, & operatio valeant, reliquis requisitis non existentibus, his etiam repugnantibus, possibiles consensus, & operatio voluntatis manebunt. Si ergo horum omnium possibilitas necessaria est, vt consensus, & operatio voluntatis sint absolute possibiles intrinsece, & in se: eorum omnium existentia requiretur absoluta, vt idem consensus, & operatio absolute in se existant; alioqui requisita ad id minime erunt ea, quibus deficientibus illa absolute existere non repugnat. Cum autem eodem modo de possibilitate dissensus eiusque existentia philosophandum sit, ac suo etiam modo de possibilitate, & existentia omissionis consensus: constat ea, quibus de facto positis, vel omissio consensus, vel dissensus esse absolute, & actu à voluntate nequit, etsi voluntas de facto, & absolute sit, ac secundum suam entitatem permaneat, non esse vel dissensum, vel omissionem consensus absolute possibilem: quare neque absolutam ad alterutrum potestatem perstare. Secundo plura quæ secundum se considerata possibilia sunt ratione adiuncti alterius fiunt, vel constituuntur impossibilia, quia alterum alteri repugnat. Hircus, & cervus possibilis quidem vnusquisque in se, & intrinsece est: at vero alter in alterius consortio, vti eos in hirco cervo comminiscimur, intrinsece impossibilis est.

5. Item ens quodvis, eiusque carentia seorsim non repugnat, repugnat autem coniunctim: ac per aduersarios non repugnant in se præfinitio ex prædicatis suis, neque ex suis omissio actus præfiniti; & tamen altera in consortio alterius est impossibilis, & chimæra: ergo quod de sese, & intrinsecis prædicatis non repugnat, repugnare tamen in consortio alterius, quod extrinsecum ipsi est, optime potest, fierique ex illius suppositione absolute impossibile, ac proinde & potentia absoluta

ad ipsum in ea etiam suppositione chimærica, & repugnans. Cum enim potentia vera, & realis ad impossibile esse nequeat, potentia ad impossibile in alterius suppositione, in eadem suppositione est impossibilis, vt patet. Quare nihil refert, quod effectus, seu operationis, aut negationis eius intrinseca, & absoluta possibilitas non auferatur alterius repugnantis positione, vt ex huius positione potentia ad illud asseratur: cum huius positio alterum contradictionis cum illo extremum asferat, quod cum alio contradictionem constituat: quæ apertissima chimæra est, & exploratissimum impossibile. Quo circa ni ea suppositio vitari, ac impediri absolute à causa, & potentia pro priori signo naturæ reipsa potuerit, nulla omnino neque mediata ad extremum oppositum, & suppositioni repugnans potestas esse nullatenus absolute potest; & si causæ, & potentiæ entitas, ea etiam suppositione, seu alterius extremi positione facta, perseueret. Decimo impugnatur solutio quia, si satis sit ad absolutam potentiam omissionis præfiniti consensus posita præfinitione, quod ea etiam posita entitas potentiæ, & voluntatis absolute perseueret, atque item omissionis secundum se, & intrinseca prædicata spectatæ possibilitas eius positione non aboleatur, sed solum ex suppositione, & in consortio præfinitionis: ergo & sublata præfinitione consensus positaque eius negatione præfinitionis, & aliorum omnium ex parte causæ requisitorum per vos ad consensum, potentia absoluta ad ipsum perstat. Patet consequentia, siquidem negatione præfinitionis, & aliorum posita, existente tamen voluntate, & eius potentia absolute perseuerat, & absoluta consensus quoad intrinseca possibilitas; quia vero eam consequentiam deglutire, vt auxilium sufficiens non negent aduersarij coguntur: aduertant in eas se angustias deduci, vt ad impossibile admittendum cogantur. Id enim, sine quo absoluta potentia ad aliquid agendum est, seu sine quo aliquid fieri absolute potest requisitum ad illud agendum non est: siquidem id solum ad aliquid agendum requisitum est, sine quo absoluta potentia ad illud agendum non est, seu sine quo illud aliquid absolute fieri non potest? ast sine præfinitione absoluta potentia voluntatis ad consensum est, atque hic fieri proinde absolute potest: ergo præfinitio requisita ad consensum non est, quod vestræ sententiæ & stato apud vos principio contradicit.

6. Vndecimo: Si ad absolutam potentiam ad effectum solum requiritur, quod satis est, vt absoluta eius secundum se spectati possibilitas persistat, nec requisitorum, & insuperabiliter impedientium eius absolutam existentiam positio, vel ablatio attendenda est: neque voluntatis absoluta adhuc existentia attendenda erit, sed satis erit voluntas possibilis: eius enim possibilitas satis est, vt tam effectus, quam operatio in se & secundum sua prædicata intrinseca sint absolute possibiles: ac subinde vt absolute à voluntate sint producibiles. Quod si dicas hic non agi de potentia absolute solum possibili, sed absolute actuali, &, à qua actu, & exercite, tam effectus, quam operatio quævis, earumve omissio suo modo progressura est. Contra erit: quia non minus requiritur præfinitio ad consensum, eiusque negatio ad ipsius ommissionem, vt actu, & exercite alterutra suo modo progessura sit, quam voluntas: alterutra enim sine altero suo requisito absolute existente de facto, & exercite non minus, quam sine absoluta actuali existentia voluntatis poni nequit: ergo, vt ad potentiam absolute talem consentiendi, vel ommittendi consensum de facto, & exercite requiritur actualis absoluta voluntas, ita in vestra sententia ad absolutam actualem potentiam consensus actualis præfinitio requiritur; ad eius vero omissionem præfinitionis negatio, nec ad alterutrius potentiam absolutam actualis nudæ voluntatis existentia sat erit. Duodecimo in entitate voluntatis nude considerata, cum præfinitio adest, absolute non est potentia remota, neque proxima ad omissionem: ergo nulla est absoluta potentia ad omissionem consensus præfinitione posita, considerata etiam nude voluntate, quæ in sensu composito illius perseuerat, ac proinde nulla est ad eliciendum consensum libertas. Antecedens (quod solum probatione eget) ostenditur: & primo de potentia remota. Erenim potentia remota voluntatis nude consideratæ ad consensum, vel eius omissionem ea est, vt scilicet de se se, ac suapte natura, & entitate determinata, & connexa absolute non sit cum consensu, nec cum eius negatione per omnes, sed, vt posita præfinitione requisita ad proxime operandum, iuxta aduersarios, non possit non operari, & omittere effectum præfinitum; sublata vero præfinitione requisita non possit operari, ac proinde purificata conditione præfinitionis sola remanet absoluta potentia ad effectum præfinitum. Ad eius verò ommissionem, cuius conditio (nempe negatio præfinitionis) purificata non est, solum remanet conditionata potestas eius entitati intrinseca, & ne illa quidem potestas libera, & indifferens remote est: siquidem agentia naturalia indifferentem de se se habent conditionatam potestatem, vt scilicet, si adsint requisita proxime operari possint, nec possint absolute non operari; si vero requisita desint operari non possint: ac proinde requisitis positis sola manet, conditionalis potestas non operandi; sublatis vero impotentia operandi, quæ datur in calido, aut frigido non approximatis v. g. ferro candenti, & aqua calida absoluta, quæ vt dixi longe à potestate non operandi abest.

7. Decimotertiò vbi proxima potestas indifferens repugnat voluntati; remotam, & entitatiuam ipsi repugnare posita præfinitione certum est, neque aliunde naturalibus agentibus remota, & entitatiua indifferens potestas melius probatur repugnare, quam è repugnantia proxime, repugnare autem voluntati potentiam proximam omittendi actum huius præfinitione posita, & ipsum operandi præfinitione sublata in hunc modum probatur. Quia posita præfinitione consensus (sine qua, in horum sententia, potentia proxima ad illum agendum non est) determinatior, connexiorque consensui est voluntas, atque eius omissioni repugnantior, quam agens quodlibet naturale cum requisitis omnibus ad agendum determinatum, connexumque suo effectui sit, eiusque negationi repugnans: siquidem hæc diuinitus coniungi cum agente naturali proxime constituto, & expedito ad agendum valet; omissio vero actus præfiniti, nec diuinitus cum requisita præfinitione ad potentiam proximam, & expeditam voluntatis ad actum præfinitum coniungi potest: atqui agenti naturali ita constituto, & existenti nulla est potentia proxima ad omittendum suum effectum: ergo nec voluntati existenti, & constitutæ cum præfinitione sui actus vlla ipsum omittendi potentia proxima adest. Etquidem, etsi potentia remota intrinseca voluntatis satis indifferens ad remoram libertatem causæ repugnante proxima indifferentia causæ proxime liberæ per staret: ad effectus vel omissionis eius libertatem absolutam, ac subinde ad absolute talem libertatem voluntatis, & causæ satis non esset. Etsi enim potentia proxima naturalis, & immediata ignis à substantia ignis prorsus indistincta effet, ac proinde potentia ignis remota repugnaret, necessario operaretur, quia potentia illa immediata, à qua immediate eius effectus progressurus est determinata ad effectum, ipsique connexa est, atque eius negationi repugnans: ergo etsi in entitate voluntatis perfistentis cum præfinitione persistat potentia remota indifferens sufficienter in ratione potentiæ, & causæ remotæ liberæ; si tamen posita præfinitione, quæ potentiam proximam, & immediatam agendi in opinione aduersariorum constituit, & complet) potentia proxima, & immediata voluntatis determinata est ad consensum, nec potens illum omittere, sed prorsus eius omissioni repugnans potentia absolute indifferens, & potens absolute omittere, minime esset: ac proinde nec libertas sufficiens eius in ratione causæ, & potentiæ ad consensum, nec in consensu elicito in ratione effectus permaneret. Probatur consequentia quia potentia, cuius defectus ad necessitatem absolutam causæ naturalis in causando non obest, & cuius positio non proficit, nec causæ liberæ obest, si desit, proderit, si adsit, confirmatur. Nam si per impossibile data potentia remota necessaria & naturali in ferro candenti ad calefaciendum, nihilominus potentia proxima eius esset indifferens, & libera ipsum causa indifferens, & libera igniendi absolute foret: ergo, etsi potentia remota intrinseca voluntatis posita præfinitione consensus indifferens, sit ad ipsum, eiusque omissionem, si tamen proxima eius potentia per eam præfinitionem constitutra determinata adipsum, ipsique connexa sit, & commissioni, iuxta aduersarios, repugnans, nec potentia absolute talis ad omissionem

libera

libera ac proinde indifferens ad eam, & consensum, neque consensus libere ab ea egredi absolute censendus erit. Si autem antecedens in causa naturali repugnet in voluntate, & causa libera noc repugnat, vt iam ostendam, quare tenet consequentia.

8. Idipsum probatur tertio: quia potentia ad consensum est potentia proxima ad illum: ergo potentia ad consensum liberum absolute talis, est potentia proxima etiam ad eius omissionem: ergo quandiu proxima potentia absolute ad omissionem non detur (vti posita præfinitione, in aduersariorum sententia non datur) etsi maneat remota potentia ad illam voluntati intrinseca, non datur potentia ad consensum liberum absolute talis. Secunda hæc consequentia de se patet, atque huius argumenti antecedens est etiam certum primo ex Aristotele 9. met. c. 5. tex. 10. à nobis recitato cert. 1. n. 12. aiente *ad posse absolute tale causa cuiusvis requisita omnia, & impedimentorum remotionem necessario adesse*, & potentiæ absolute talis nomine ita intelligi quin exprimi in eius definitione sit opus: tum etiam ratione, siquidem neque agens vllum in potentia absolute tali ad agendum absolute est, ni requisita omnia, quibus proxima agendi potentia constituitur, & completur absolute adsint: quin, ni id necessarium esset, neque causæ vllius existentia absoluta ad absolutam potentiam necessaria foret, sed solum eius, sicuti & aliorum causarum partialium, & requisitorum ad causandum, possibilitas sufficeret, vt nuper dicebamus. Tum denique quia neque aduersarij, quos impugnamus, de antecedentis veritate dubitant. Sola ergo consequentia prima probanda contra ipsos erit. Primò, quia si potentia absolute talis ad aliquid vnum (scilicet actum) non est, nisi potentia proxima ad illud, potentia absolute talis ad ipsum, eiusque oppositum, siue indifferens, siue indifferenter ad vtrumvis (qualis ad actum, seu consensum liberum requiritur) non erit nisi potentia proxima ad vtrumvis (scilicet actum, vel eius omissionem) fuerit: in qua potentia proxima ad omissionem essentialiter inluditur. Secundò, quia ad idem signũ, & prius naturæ spectare debet potentia omittendi, in quo est potentia operandi, vt pro illo potentia operandi sit indifferens, & libera ad vtrumvis, vt ad libertatem operationis, & actus oportet: sed potentia ad operationem, & actum absolute talis debet esse potentia proxima, seu in actu, & pro actu primo proximo ad illum, nec sufficit remota: ergo potentia absolute talis ad consensum liberum debet esse potentia etiam proxima ad omissionem actus, nec remota, & mediatior potentia omittendi, quæ non ad illud signum, & prioritatem naturæ, sed ad prius, & remotius signum naturæ spectet, satis erit. Id quod exemplo actus intentionis in communi opinionis ad actum electionis requisiti illustratur. Posita enim intentione efficaci finis, ad quem vnicum solum medium est, ad eius electionem non est proxima potentia libera in eodem instanti: quia, etsi ad omissionem intentionis ad eam electionem requisitæ, & antecedentis proxima potestas pro signo naturæ anteriori fuerit: ast posteriori causæ proximæ electionis vnici medij (quod signum proximum intentio efficax finis constituit) potentia etiam proxima ad eam electionem non est: ac proinde nec electio proxime, & immediate libera procedit, sed mediate solum; sicuti & actus imperatus, etiam voluntatis præcedente imperio efficaci ipsius. Cum autem præfinitionis positio pro nullo naturæ priori à nostro arbitrio pependerit, in horum sententia, fit sublata per ipsam potentia proxima omittendi, ne mediate quidem liberam operationem voluntatis posita præfinitione prodire.

9. Vrgetur: omissio actus dicit essentialiter carentiam actus coniunctam cum potentia proxima non operandi, sicut positio actus dicit coniunctionem actus cum potentia proxima ipsius: ergo, & dicit omissio actus coniunctionem cum potentia proxima ad actum: ergo potentia ad omissionem actus dicit potentiam coniungendi carentiam actus cum potentia proxima ad ipsum: hæc autem non est per aduersarios voluntati secundum se sumptæ adhuc remote, imo neque absolute vllatenus possibilis quia esset in horum opinione potentia ad coniungendam omissionem actus cum eius præfinitione, qua completur potentia proxima ad ipsum: scilicet potentia ad iungenda duo contradictoria, ad quod nec proxima, nec remota, siue intrinseca, & entitatiua voluntati, siue extrinseca, dari adhuc diuinitus, ne dum humanitus potest. Prima consequentia (ex qua reliquæ in offenso currunt) probatur. Quia, si carentia actus nequit à voluntate coniungi cum ipsamet præuenta omnibus requisitis ad operandum, & proinde constituta in potentia proxima ad operandum omnino independenter à libertate voluntatis, & suæ operationis, verum absolute erit: impossibile omnino est carentiam actus esse in voluntate ita constituta cum omnibus requisitis, & in potentia proxima ad operandum actum: sed ad omnino absolute impossibile, nec omnino datur, dari ue potentia potest, siue proxima, siue remota: ergo si carentia operationis, nequit coniungi cum voluntate ita constituta cum omnibus requisitis, & potentia proxima ad operandum, nulla est in voluntate potentia ad omissionem: quare vt sit possibilis omissio actus absolute, & subinde potentia ad omissionem actus debet esse potentia ad coniungendam carentiam actus, & operationis cum voluntate ita constituta cum requisitis omnibus, vt illa consequentia prima inferebat. Probatur eadem consequentia secundo, quia potentia omissionis causæ liberæ non est impotentia sola operandi, quam sequitur non operatio: quia hæc datur in igne, & quouis agente naturali ad non operandum effectum oppositum, & ad non operandum suum effectum deficiente applicatione ad passum, decreto diuino concurrendi, aliuve ad agendum requisitis: quare ignis, etsi non frigefaciat, nec calefaciat; cum applicatio, aliudve ad operandum requisitum, deficit, frigefactionem, aut calefactionem non dicitur ommittere ex potentia ommittendi: atqui voluntati absque requisitis, & potentia proxima operandi sola est impotentia operandi quam sequitur carentia operationis: ergo potentia omittendi, siue omissio ex illa, non est. Potentia ponendi carentiam operationis absque requisitis, & potentia proxima operandi, sed coniunctam cum illa, vt inferebamus. Stet ergo ad ommissionis possibilitatem, ac subinde potentiam omittendi, voluntatis secundum se spectatæ, & absque requisitis, & potentia proxima operandi non saluari: siquidem omissio debet esse carentia actus coniuncta cum requisitis omnibus, seu potentia proxima ad actum, & subinde, potentia ommittendi debet esse potentia ad ponendam carentiam actus in voluntate cum requisitis, & potentia proxima ad actum; atque à Deo cum præfinitione, cum qua in aduersariorum sententia repugnat, nulla est, esseve potest in entitate voluntatis, remota adhuc, potentia, vt dixi, deseque patet.

10. Rursus decimo quarto impugnatur solutio: quia manente potentia intrinseca, & entitatiua voluntatis secundum se, & præcisiue sumptæ & intrinseca etiam possibilitate, seu non repugnantia prædicatorum operationis, & actus secundum se etiam sumpti (in quibus potentia hæc indifferens remota ad omissionem etiam stare) potest nihilominus necessitari aliunde voluntas necessitate opposita libertati, eamque tam à voluntate quam ab operatione, & actu absolute abolente, & afferente absolutam impotentiam ad omissionem operationis, & actus necessitatem, ad quem aliunde ita voluntas necessitatur: ergo, etsi illa omnia opposita præfinitione persistant, satis non erunt, vt saluetur causæ libertas, & absoluta. Proinde potestas voluntatis ad omissionem; nisi aliunde ex præfinitionis eius natura speciali ostendatur cum omissione actus præfiniti, ac subinde cum potentia absoluta ad omissionem, non pugnare. Antecedens est certum, etiam in aduersariorum sententia. Asserunt enim motione intentionali per obiecti propositionem intellectualem ita præmoueri, ac prædeterminari intentionaliter, necessitarique voluntatem ad obiecti amorem posse, vt nulla in voluntate ad illius omissionem potestas absolute sit, atque à Deo, neque in eius amore libertas; vti in Beatis è visione intuitiua Dei asserunt euenire. Secundo admittunt Deum de potentia absoluta ita physice posse prædeterminare voluntatem ad assensum, vt in actu primo, seu potestare voluntatis non sit eius omissio: quare neque in actu secundo assentiendi libertas, vti de fato ethnico de præfinitione coactiua voluntatis, de Nouatorum præfinitionibus, & de illis omnibus, quibus substantia operationis voluntatis solum, non autem modus libertatis præfiniretur

constanter affirmant & sane ita physicè prædeterminari, necessitarique volntatem à Deo ad suos actus posse, vt ipsi absoluta eos omittendi impotentia inducatur, ac subinde eius, & operationis libertati præiudicetur communior Philosophorum, & Theologorum opinio fert, atque à paritate similis præmotionis, & prædeterminationis intentionalis ad amorem beatum per visionem beatificam in communibus eorundem principiis (etsi nobis non satis firmis) de physica nec solum intentionali voluntatis mobilitate euidenter ostenditur.

11 Eo vero principio negato, efficacius adhuc, prædeterminationis, ac prædeterminatiuæ proinde præfinitionis de se efficacis impossibilitas demonstrabitur vt cert.6. videbimus. Iam verò nihil speciale in præfinitione aduersariorum esse, ex quo mitius se gerat cum potestate omittendi actum præfinitum, & voluntatis libertate, quam in casu antecedentis possibili sic ostendo. Nullo alio modo necessitari ita posset voluntas ad actum, & impotentia absolute talis illum omittendi induci, atque indifferentia ad vtrumvis, seu libertas eius ad agendum aboleri, quam determinando illam in actu primo proximo independenter omnino ab eius libertate ad agendum; quin, si hoc à quouis modo possibili ita necessitandi voluntatem ad agendum, & inducendi impotentiam non agendi, ac libertatem eius euertendi, siue præmotione, & prædeterminatione physica, siue intentionali auferatur, impotentiam non agendi, atque euersionem libertatis per illas non induci planum erit. Sed præfinitione actus de se efficaci determinatur absolute, & independenter omnino ab vsu libertatis eius voluntas per aduersarios ad agendum: ergo inducitur per illam impotentia absoluta non agendi, euertiturque per illam voluntatis libertas: quin sufficiat ad potentiam omittendi, & voluntatis libertatem, & indifferentem ad vtrumvis absolutam potestatem remota voluntatis secundum intrinsecam eius entitatem præcise sumpta potestas, effectusque secundum intrinseca spectati non repugnantia, seu possibilitas. Arguo decimoquinto, & confirmo, seu explico à contrario vim præcedentis argumenti. Perstante potentia remota voluntatis ad omittendum, siue entitate voluntatis præcise, & secundum se, & non repugnantia, seu possibilitate effectus secundum se spectati, manet absolute potentia omittendi actum, ac subinde indifferentia ad vtrumvis, & absoluta voluntas: Sed nullus est modus possibilis necessitandi, & prædeterminandi, aut præfiniendi siue physice, siue intentionaliter actum voluntatis præcise & secundum se sumptæ, nec possibilitatis, seu non repugnantiæ actus secundum intrinseca prædicata ipsius, seu quo posito hæc non perstent: ergo nullus est modus possibilis Deo ita necessitandi, siue physice, siue intentionaliter voluntatem, eiusque libertatem euertendi. Contra id, quod aduersarij ipsi supponunt: vtroque scilicet modo ita necessitari ad actum aliquem voluntatem posse, eiusque libertatem euerti intentionaliter; physice verò vnione hypostatica, visione beata ad amorem, & præfinitionibus coactiuis, & fatalium ethnicorum atque hæreticorum præfinitionibus.

CERTAMEN V.

Solutio ex indifferenti iudicio præcluditur.

1 Sed illo additamento indifferentis iudicij, quo voluntas ad vtrumvis extremum inuitatur boni, & mali propositione in obiecto perstente, ac simul possibilitate, & non repugnantia operationis, & effectus nihilo difficultatem emolliunt quantumvis ei solutioni insistant ex Antesignano suo Bannez 1. p. q.14. art.10. Nunnius Cabeeudo t.1. in 3.p.q.62.art.5.q.sua 5. Ledesma de aux. art.10. §. *Hæc autem distinctio.* Aluarez de auxil. d.18. num.23.d.22.num.43.d.115.num.7. d.116. num.3. Franciscus Dauila de auxil. cap.3. pag.31. alios è suis referens Ioan.à S.Thom. Theologus discalceatus Carmelitus. Ioan. Martinez de Prado, & reliqui ex eis omnes, docentes iudicium indifferens à Deo efficacem & necessariam libertatis radicem esse, vt implicet voluntatem per illud in obiectum aliquod moueri, ac non libere moueri. Sed in primis, vt supra quæst.3.cert.1. num.13. & hic non semel monebam fatalium præfinitionum ethnici authores, & Lutherani, ac Caluinistæ cum suis præfinitionibus iudicium rationis indifferens, per quod voluntas ad obiectum vel prosequendum, vel fugiendum moueretur, adesse experiebantur, nec negare vnquam tentarunt; & tamen à sapientioribus Philosophis, à Patribus, & Concilijs, tanquam libertatis, per eiusmodi præfinitiones ad agendum necessitantes, & impotentiam oppositi extremi inducentes, euersores repellebantur. Quod etiam his verbis obseruauit Hugo Cauellus Franciscan. & Iberniæ Primas supplemento ad quæstiones Scoti de anima, t.2. editionis Lugdunensis d.3.sect.14. num.6. [Patres dum fati ineuitabilis necessitatis Patronos refutarent, nunquam eos reprehendebant, quod docerent Deum hominibus iudicij tollere indifferentiam: quoniam sane, neque ipsi, nec hæretici, quibus eorum placuit insania, tale quidpiam adstruebant. Et tamen eos accusabant merito, tanquam libertatis euersores: quia affirmabant, Deum sua voluntate, & præscientia ita præmouere voluntatem, vt illam necessariò faciat operari: ex suppositione nimirum præcedenti, quam impedire in eius potestate non erat. Jtet sane, cum Patrum nemo ignoraret posita Dei præscientia, & prædestinatione iudicium nihilominus indifferens mouendæ voluntati adesse, si huius assistentia non posset non voluntatis, & operis secundum intrinseca prædicata possibilis absoluta perfistere necessario libertas, adeo difficilem concordiam libertatis nostræ cum præscientia, prædestinatione, & gratia Dei minime prædicarent, vt prædicant Patres omnes: & in primis Augustinus frequentissime lib.2.contra litteras Petilij c.84.contra Iulianum c.4. de grat.Christi, c.24. & 47. lib.2. de peccator. meritis, c.18. de prædestinat.Sanctor.c 8.& 10.& epist.46. & 47.quod si ideo scientia media de falsitate suspecta aduersarij est, quod facile per illam prædestinationis, & præsciétiæ cum nostrorum operum libertate certitudo componatur, vt videre est apud Aluarez 9. de auxil. d.118. num.6.& 7. & Zumelem t.2.variar.dub.5.post 6 appendicis conclusionem; nec credi absque Patrum, & præcipue Augustini (qui adeo toties huic concordiæ inuendæ insudauit) iniuria eam viam adeo facilem illos latuisse, atque repellendis hæreticis traditam aperte non esse, vt contra nos inclamat Ioann.à S.Thom. t.1. in 1.p. d.20. art.6. §. *Si verò dicatur Augustinum.* Quanto maiori Patrum, & Augustini præsertim, dedecore diceretur pervium, (bardis etiam hominibus, qui ea solum percipere, assequique possunt, quæ experiuntur) concordiæ huius iudicij indifferentis medium eosdem latuisse, vel repellendis hæreticis traditum non esse; imo vero, quasi de industria dissimulatum, & scientiæ quidem abstrusioris mediæ, etsi aliis nominibus ad eam concordiam vsum Patribus, & præcipue Augustino frequentem ostendimus controuers. 2. de scient. d.5. quare aduersariorum contra scientiam mediam inclamationes euanescunt; similes vero nostræ contra hanc iudicij indifferentis Patribus notissimi solutionem, qua tamen nullam vsi Patres sunt validè eius solutionis falsitatem ostendunt.

2 Vlterius cum addito etiam voluntati indifferenti illo iudicio bonitatem, & malitiam obiecti proponente, completa, & proxima, siue proxime operatiua potentia suorum actuum ipsi absque præfinitione per aduersarios non adsit (alioqui præfinitio, neque vt partiale comprincipium, neque vt applicatio vltima voluntatis ad operandum, vt hi aiunt, requiretur) omnia argumenta hactenus facta contra voluntatis secundum se, & præcise sumptæ potentiam incompletam, remotam, seu non vltimo applicatam, contra eam iudicio etiam indifferenti instructam integrum, totumque suum retinent robur: vti ea singulatim percurrenti planum adeo erit, vt nostra applicatione, siue explicatione minime indigeat. Tertio, si voluntas in incognitum ferri absolute posset (vt nonnulli Theologi contemplationi diuinæ, quam rationi philosophicæ, attentiores docuere) absque omni prorsus boni, & mali iudicio, & propositione, quare, &

& absque iudicio indifferenti daretur voluntatis in actu primo indifferens potestas, & tam eius in actu primo, quam in actu secundo operationis libertas: ergo tota ratio, ob quam iudicium indifferens requiritur ad voluntatis, & operationis eius libertatem, est: quia, vti absque iudicio ferri in cognitum voluntas proxime nequit, ac proinde, ni illud necessario prærequisitum intentionale principium, seu applicatiuum voluntatis ad obiectum indifferens esset, neque ad obiecti prosecutionem determinans, vel ab eo determinate retrahens, non relinqueret potentiam absolute indifferentem ad vtrumvis. Atqui absque Dei causæ primæ voluntate & decreto nequit etiam voluntas nostra operari proxime: Ergo, & si iudicium indifferens adsit, si tamen Dei voluntas, & decretum non sit indifferens ad prosecutionem, vel non prosecutionem, & fugam obiecti propositi, sed determinatum & determinans voluntatem ante vsum libertatis ad prosecutionem obiecti determinate, non relinquet ad non prosequendum, siue ad fugiendum obiectum potestatem: quare neque absolutam ad eius prosecutionem libertatem. Confirmatur, & explicatur huius argumenti robur, quia potentia proxima operandi in voluntate duo comprincipia extrinseca (in communi, & vera opinione de impotentia voluntatis prosequendi incognitum) essentialiter, & ex æquo requirit, & claudit: & voluntatem, seu decretum Dei, sine quo poni in rebus creatum aliquod repugnat, & obiecti propositionem: cur ergo determinatio, ac non indifferentia intentionalis propositionis obiecti voluntatis, & operationis indifferentiæ, & libertati officiet, non autem determinatio ex voluntate, & decreto Dei præfinitiuo operationis, & actus voluntatis creatæ? Huius iam diu speraui, vel potius desperaui, disparitatem: ergo. Etenim, cum potentia proxima, seu proxime operatiua voluntatis in coniuncto voluntatis propositionis, & diuinæ voluntatis, seu decreti consistat, neque aliquo ex his deficiente potentia proxima, & proxime operatiua voluntatis stare queat, ex quocumque horum determinatum sit coniunctum, seu potentia proxima ad extremum vnum, v. g. ad operationem, potentia proxima voluntatis indifferens non erit ad vtrumvis; sed ad alterum determinata, ad eius vero oppositum impos: quare non libera, sed necessaria potentia.

3 Vrgetur amplius quia eo solum titulo, quod potentiam proximam operandi cum voluntate iudicium constituit, debet esse indifferens, vt potentia proxima voluntatis, seu coniunctum illud indifferens, & liberum in operando absolute sit: ergo & duo etiam alia, quæ coniunctim illud, seu potentiam proximam operandi æque constituunt, eorumque quodvis indifferens esse debet, neque ad vnum determinans, & determinatum vt coniunctum, & potentia proxima indifferens absolute, & libera sit. Vrgetur tertio, quia si intrinseca, & entitatiua potentia voluntatis determinata ad vnum esset, quamtumvis iudicium indifferens adesset coniunctum illud, seu potentia proxima indifferens absolute non esset, ac libera, sed determinata absolute ad vnum, ac necessaria: idque eo solum titulo, quod voluntas coniunctum illud, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit: atqui Dei voluntas, & decretum coniunctum idem, quod potentia proxima operandi est, essentialiter constituit æque, atque voluntas creata: ergo, si ad vnum extremum determinans sit, ac determinatum, & si iudicium indifferens adsit, coniunctum illud, siue potentia proxima operandi absolute indifferens ad vtrumvis, & libera non erit, sed determinata, atque necessaria. Denique vrgetur & confirmantur simul instantiæ omnes productæ hactenus, quia in opinione omnibus fere, etiam Thomistis, communi, & vulgatissima de necessitate intentionis finis ad electionem medij ad ipsum obtinendum, posita intentione efficaci finis, quæ potentiæ proximæ cum aliis suprædictis ad medium eligendum constitutionem essentialiter ingreditur, si medium vnicum sit, potentia proxima ad eius electionem indifferens; & libera absolute non est, sed determinata ad vnum, & necessaria in operando: idque ideo, quia principium determinatum, & determinans ad electionem est, & coniunctum, seu potentiam proximam ad eiusmodi electionem essentialiter constituit: ergo, cum Dei voluntas, & decretum essentialiter coniunctum, seu potentiam proximam operandi essentialiter ingrediatur, determinatumque per vos, & determinans sit ad operationem & actum determinatum, eius indifferentiam, & libertatem euertet.

4 Quarto impugnatur solutio. Vnio hypostatica non abstulit humanitati Christi iudicium indifferens, quo mors ex præcepto diuino amplectenda, atque ob disconuenientiam physicam naturæ fugienda eius voluntati proponebatur, vt Christus Dominus his verbis expressit. *Pater si possibile est transeat à me calix iste, verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, vel *non sicut ego volo, sed sicut tu*. Et tamen abstulit humanitati potentiam peccandi, seu omittendi acceptationem mortis oblatæ præceptam, & faciendi siue omittiue, siue positiue contra quodvis præceptum naturale: siquidem eam constituit per aduersarios antecedenter impeccabilem: ergo, & si præfinito compatiatur iudicium indifferens circa obiectum propositum, cum tamen non minus determinet antecedenter, & in actu primo voluntatem ad actum præfinitum, quam vnio hypostatica humanitatem ad actum præceptum, ac non peccandum, tollet absolute potentiam ad omittendum actum præfinitum, ac subinde ad eum eliciendum libertatem. Negabis in humanitate iudicium indifferens esse posse circa obiectum præceptum, siue positiuum, siue priuatiuum, quia cognouit humanitas connexionem actus, seu omissionis præceptæ cum bono in communi, ad cuius prosecutionem determinata, & necessitata de se se voluntas creata est iuxta S. Thom. ac proinde cognito præcepto actus, vel omissionis cessat indifferentia iudicij: maxime, cum vi vnionis hypostaticæ humanitati afferatur visio beata pugnans cum iudicio conuenientiæ prosequendi prohibitum, & omittendi actum præceptum. Sed in primis solutio pugnat cum textu Euangelij recitato. Qui tradit conuenientiam physicam, & naturalem mortis præceptæ fuisse Christi humanitati repræsentatas: quod ipsum est iudicium indifferens. Secundo voluntatem necessitatam esse ad bonum in communi prosequendum, quoad speciem intelligitur à S. Thom. & reliquis, non quoad exercitium: quare, & si connexio actus prohibiti, vel præcepti necessario vi vnionis humanitati innotesceret, adhuc iudicio alterius partis esset locus, imo & libertati contradictionis in exercitio eliciendi, vel non eliciendi actum prohibitum, vel præceptum. Quarto, ni aliunde vnio antecedenter etiam cum peccato pugnaret, nil libertati obesset, nec iudicij indifferentiæ. Quinto, cum bonum physicum species boni sit, tam habet connexionem identitatis cum bono in communi, quam species altera boni moralis: quare, cui conuenientia, & bonitas physica non moriendi repræsentata est, ac simul moralis, vt repræsentata fuit humanitati Christi, non repræsentatur alterius determinate cum bono in communi connexio: ac proinde suppositis determinatione voluntatis quoad speciem ad bonum præ malo amplectendum, datur nihilominus libertas eius, quoad speciem, & quoad exercitium ad bonum physicum præ morali prosequendum; & è contra ad fugiendum malum physicum præ morali, dareturque in Christi humanitate, ni ad malum morale fugiendum vnione hypostatica antecedenter impeccabilis euaderet.

5 Sexto, dato toto, quod in solutione hac supponi ab aduersarijs potest de necessitate voluntatis, etiam quoad exercitium, ad prosequendum bonum in communi, & cognitione præcepti actus, vel omissionis, solum infertur indifferens iudicium non posse, secundum eam partem, qua retrahit à præcepto exequendo, mouere voluntatem humanam Christi. Et si ea pars iudicij persistat: quia ea necessitate voluntatis ad prosequendum bonum in commune non potest non prosequi præceptum actum, vel omissionem, quam connexam cum bono in communi humanitas Christi vnita hypostatice cognouit: non autem probat iudicium de disconuenientia physica, & naturali mortis non manere, vt patet: sed posita præfinitione tua, & si maneat iudicium indifferens, & retrahens ab actu præfinito, & ad

illum

illum inducens, tamen ea parte, qua ab actu præfinito retrahit, non mouet, poteſtve mouere voluntatem, ſed ſolum ea parte, qua in ipſum inducit: ergo ſicut iudicium indifferens ſatis non eſt, vt humanitas Chriſti ex vnione hypoſtatica antecedenter impeccabilis potentiam habeat abſolutam ad omittendum actum præceptum impeccabilitati repuganter, ac proinde ad illum eliciendum libertatem, ita, nec voluntas poſita præfinitione antecedente actus, potentiam habebit abſolutam ad ipſum omitrendum antecedenti præfinitioni illius repugnanter. Et quidem ſolutio hæc ſecundum hanc conſideratione in eam recidit, quam aduerſarij adhibere ſolent de iudicio indifferenti ſpeculatiue ſolum reſpectu humanitatis Chriſti; reſpectu autem voluntatis noſtræ ad actum præfinitum, non ſpeculatiue ſolum, ſed practice indifferenti, de qua infra. Et ex qua aduerſarios iterum refellemus, eorumque rationem præcipuam pro ſolutione iudicij indifferentis eneruabimus. Illud tandem de viſione beata humanitatis Chriſti titulo vnionis hypoſtaticæ ad Dei amorem neceſſitantis, atque iudicium de conuenientia mortis præceptæ quod conuenientiæ illius vitandæ iudicium minime patiatur, quare neque indifferens circa eam acceptandam, & recuſandam iudicium ſit, extra rem præſentem in primis eſt. Etenim argumentum eſt ex impotentia antecedenti omittendi, ſeu non acceptandi mortem præceptam ſeu impeccabilitate, quam humanitati formaliter affert, nec ſolum exigit, vt beata viſio: ac proinde, & ſi viſio Dei cum iudicio conuenientiæ fugiendi, ac non acceptandi mortem, aut peccatum admittendi pugnaret; id tamen aliud impeccabilitatis genus, & aliunde ortum formaliter eſſet, non ex vnione hypoſtatica præciſe, vt hi aſſerunt: quæ quidem, & ſi Deus exigentiæ vnionis non annueret, viſionemque (vt abſolute potuit) negaret humanitati (ſicut plura, quæ tam vnio, quam viſio beata exigebant, humanitati eidem pro ſtatu viæ negauit) nihilominus eius impeccabilitas antecedens permaneret, tuncque impotentia non acceptandi mortem, ac negatio libertatis ad peccandum, vel non peccandum cum iudicio indifferenti conſiſteret: quare, & impotentia omittendi actum præfinitum, & negatio libertatis ad illum omittendum, vel non omittendum cum iudicio indifferenti perſtabit.

6 Et tandem cum viſione etiam beata humanitatis iudicium, non ſolum de conuenientia morali acceptandi mortem præceptam, ſed de eius etiam diſconuenientia phyſica, & phyſica etiam conuenientia vitandi mortem præceptam, ſpeculatiue, ac proinde iudicium indifferens ſtare ſpeculatiue poſſe certiſſimum eſt: cum, nec obiectorum, nec vtriuſque iudicij veritates, vel inter ſe ſe, vel cum viſione beata decertent, quod autem iudicium hoc indifferens, qua parte retrahit ab operè præcepto, mouere ſtante viſione beata nequeat, ſolum probat non eſſe iudicium ex ea parte practicum quod iam impugnanda ſolutio alia eſt. Mitto alteram ſolutionem, qua iudicium indifferens ad tranſgreſſionem præcepti humanitati Chriſti, aiunt aduerſarij impoſſibile: quia cum ex vnione ſit impeccabilitas, ac proinde impotentia antecedens tranſgreſſionis, & iudicium indifferens ſit libertas, ſeu poteſtas ad vtrumvis duo contradictoria coniungerentur, ſi hoc humanitati vnitæ hypoſtatice adeſſet. Solutio enim hæc eſt petitio principij, & concluſione ipſa reſpondet ſatis impugnata huc vſque: nimirum in iudicio indifferenti ita voluntatis conſtitutam eſſe, vel neceſſario conſequentem libertatem, vt quæcumque requiſita ex parte cauſæ determinantia ineuitabiliter ad effectum vel adſint, vel deſint, voluntati (etiam decretum diuinum concurrēdi cum ipſa) ſtare neceſſario debeat eius ad vtrumvis potentia abſoluta, & libertas, quod in impotentia peccandi, & neceſſitate humanitatis Chriſti ad non peccandum deficere, ratione impeccabilitatis ab vnione hypoſtatica formaliter inductæ, ſatis oſtendimus. Secundo non minus antecedenter pugnat præfinitio cum omiſſione, ſeu negatione actus præfiniti, quam vnio hypoſtatica humanitatis, & antecedens impeccabilitas per ipſam inducta in humanitatem cum peccato, & tranſgreſſione præcepti. Sed per vos non obſtante ea pugna componi poteſt, de factoque componitur præfinitio cum iudicio indifferenti, & poteſtate ad omiſſionem actus, & libertate: ergo, pugna impeccabilitatis humanitatis non obſtante, poteſt componi cum iudicio indifferenti poteſtas abſoluta tranſgreſſionis præcepti, & peccati; ac proinde neque cum abſoluta eius libertate ad peccandum, vel non peccandum pugnabit: quare neque humanitas Chriſti erit abſolute antecedenter impeccabilis, vt aſſeritis: ergo alterum à vobis deferendum neceſſario eſt: ſcilicet, vel ſolutio hæc ex indifferentia iudicij petita, vel abſoluta humanitatis Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ impeccabilitas antecedens.

7 Reſpondent denique aduerſarij iudicium indifferens ſpeculatiue humanitati Chriſti adeſſe poſſe, & de facto adfuiſſe, ſecus autem indifferens practice, quod ſolum libertatem conſtituit: quia & tranſgreſſio præceptæ mortis impoſſibilis eſt humanitati ratione vnionis hypoſtaticæ antecedenter impeccabili: quare & iudicium ſit vnitæ humanitati conuenientiam phyſicam recuſandi, aut non acceptandi mortem præceptam, & hoc præceptum, (& idem eſt de quouis alio) tranſgrediendi eſſe de re humanitati ſic vnitæ impoſſibili, quare practicum eſſe non poſſe: ſicuti iudicia alia de re nobis impoſſibili, à nobiſque non factibili practica nobis eſſe nequeunt: maxime, cum nobis aliquid agendi, aut omittendi, ſicuti tranſgrediendi præceptum, & non acceptandi mortem impoſſibilitas ob antecedentem impeccabilitatem, innotuit. Etenim ad impoſſibile nulla etiá vis, aut poteſtas motiua intentionalis in iudicio vllo eſſe poteſt, quantumvis id iudicans ignoret, ac poſſe ſe ad illum per errorem cenſeat; nedum, cum ſe ad illud non poſſe clare, & euidenter cognoſcit. Contra tamen eſt. Idcirco iudiciū indifferens humanitatis vnitæ hypoſtatice, & antecedēter impeccabilis, qua parte illam à præcepto exequendo retrahit, & ad eius tranſgreſſionem inducit, practicum non eſt, ac ſubinde nec practice indifferens abſolute, vti ad libertatem conſtituendam eſſe debet: quia humanitati hypoſtatice vnitæ, vt vnitæ, & impeccabili, tranſgreſſio præcepti eſt antecedēter impoſſibilis: atqui voluntati, vt ſubeſt præfinitioni actus ſeu coniunctim ſumptæ cū illa (ſicut ſumitur ad eius impeccabilitatem, & impoſſibilitatem trāſgreſſionis præcepti antecedentem humanitas coniunctim cum hypoſtatica vnione) eius omiſſio, aut actus contrarius eſt antecedenter impoſſibilis: ergo, nec iudicium indifferens proponit practice voluntati, qua parte ab actu præfinito retrahit, & ad actum contrarium inducit, ſed ſolum ſpeculatiue: quare nec practice indifferens abſolute eſt: ac proinde, nec libertatem cōſtituere, iuxta ſolutionis huius doctrinam ſufficiens. Quod additur de iudicio euidenti humanitatis vnitæ impoſſibilitatis præcepti ab ipſa tranſgrediendi, ſolum probat non poſſe in illa eſſe errore poſſibilitatis tranſgreſſionis vnione poſita, neque inanes trāſgrediendi conatus; non autem rationem impractici ex ea parte per illud iudicium euidens indifferenti iudicio augeri, quod ex vnione ſuppoſita, ex qua tranſgreſſio iudicatur humanitati impoſſibilis, omnino ex parte illa impracticum erat. Secundo quidquid de hoc ſit, etiam euidens Chriſti humanitati fuit cum præfinitione cuiuis operis (quam adeſſe ſibi, iuxta aduerſariorum ſententiam non ignorabat ad omnia, quæ operabatur) eſſe eius omiſſionem impoſſibilem: & tamen fuit in eis eliciendis liber nemine, etiam ex aduerſariis, negante, potenſque non elicere: ergo & in obſeruatione præcepti ita liber fuit, vt tranſgredi illud, ac peccare abſolute poſſet. Quare & contra ipſos fuit abſolute peccabilis, neque ex vnione abſolute impeccabilis: vt ex hac eorum contendebamus ſolutione.

8 Hinc arguo contra eandem ſolutionem de iudicio indifferenti, ac ſimul eius præcipuum argumentū euerto: quia poſita præfinitione iudicium indifferens, qua parte proponit motiua illum omirtendi, & omiſſionem, ſeu cōtrarium actum, non eſt practicum, ſeu motiuum intentionaliter abſolute, etiam in actu primo ad omiſſionem, vel actum contrarium: ergo non conſtituit potentiam liberam intentionaliter. Antecedens probatur: quia repræſentatio ad actualem revera impoſſibilem motionem impoſſibilis effectus non eſt motiua vere, & abſolute intentionaliter: ſed motio, ſiue poſitiua actus contrarij, ſiue negatiua actus præfiniti, ſtante præfinitione illius eſt voluntati abſolute impoſſibilis: ergo repræſentatio iudicij indifferentis, qua parte ab actu præfinito retrahit, ad omiſſionem, vel ad actum contrarium inducit, non eſt abſolute motiua in actu primo intentionaliter. Conſequētia

prima

prima probatur, quia potentia libera in actu primo intentionali constitui solum potest per iudicium indifferens motiue, seu potens in actu primo repræsentatione conuenientiæ vtriusque partis contrarietatis, seu contradictionis intentionaliter mouere ad obiecti prosecutionem, vel fugam, siue positiuam, siue negatiuam: atqui iudicium illud indifferens, qua parte retrahit ab actu præfinito, præfinitione posita, non est potens mouere ad omissionem actus, neque ad actum contrarium, ac proinde non est indifferens motiue: ergo nec constituit, nec constituere potest, præfinitione posita, potentiam liberam intentionaliter. Atque hinc euertitur funditus aduersariorum fundamentum. Etsi enim posita præfinitione maneat iudicium indifferens, ac sine iudicio indifferenti nequeat esse libertas voluntatis, ac proinde hoc intret necessario libertatis arbitrij in actu primo constitutionem. Ast neque adæquatum libertatis constitutiuum est; alioqui appetitum brutorum, cui vtrumque sæpe sensibiliter proponitur, liberum contra aduersarios constitueret: nec, inadæquate adhuc ex parte indifferentiæ intentionalis ad absolutam voluntatis libertatem requisitæ illam constituit, nisi practice indifferens (vt aduersarij aiebant) sit, seu vtrinque, vel potius ad actum, vel eius oppositum mouere intentionaliter, & solicitare voluntatem ex parte actus primi possit. Quod autem posita præfinitione mouere illam ad oppositum actui præfinito nequeat, vt ostendimus, respectu huius partis pure speculatiuum manet, quare absolute indifferens practice non est, neque aptum libertatem constituere: sicuti neque in humanitate Christi ad peccandum, vel obseruandum præceptum, neque in compedito, & catenato ad ambulandum, vel non ambulandum, & mille aliis, in quibus iudicium indifferens speculatiuum cum impotentia, seu potentia remota absolute impedita ad vnum ex oppositis extremis reperitur. Vnde etiam constat falso ab aduersarijs dici: voluntatem posita præfinitione actus ex iudicio indifferenti illum elicere: Ad id enim opus erat, quod ab actu præfinito in actu primo retraheret, solicitaretve ad oppositum, atque voluntas eiusmodi solicitationi renueret, & solicitationi ad actum concederet: quod vim motiuam iudicij ad vtramque partem requirit, quæ ipsi ad retrahendum ab actu præfinito deficit: quare ex ea parte pura speculatio est, & testis, non suasor; solaque iudicij illius parte, qua ad actum solicitat, voluntas mouetur, ac si, quod ad eius motionem attinet, pars altera retrahens ab actu non adesset.

9 Sexto eandem solutionem impugno, quia non minus indifferens actiue physice de se se voluntas est, quam sit intentionaliter indifferens iudicium illud: & tamen indifferentia actiua physica voluntatis de se se, & intrinsece indifferentis per extrinsecam determinationem ipsi ex parte actus primi adiunctã ita antecedẽter determinatur, seu prædeterminatur, vt absolute indifferens, & libera in actu primo non maneat ad vtrumvis, sed impos absolute ad oppositum: ergo, etsi iudicium indifferens de se se vim motiuam intentionalem habeat, tamen extrinseca prædeterminatione præfinitionis ad vnum determinatur vt non maneat indifferens sed ad vnum determinata in actu primo, & impos absolute ad oppositum. Nec valet: determinationem, qua absoluta indifferentia vnius generis absolute auferatur, aut impediatur in eodem genere, vel physico, vel intentionali esse debere; præfinitionem autem esse in genere actiuæ determinationis physicæ, quæ proinde potentiæ voluntatis indifferenti physicè actiuæ officiat: secus indifferentię potentiæ solum intentionaliter motiuæ, quæ alterius generis est. Nam per determinationem iudicij solum intentionaliter motiui, v. g. visionis beatæ, impediri, auferrive potentiam absolutam, physice alias indifferentem ad amandum, vel non amandum, aut odio habendum Deum, & aduersarij asserunt, & hac ipsa solutione, quam confutamus generaliter supponunt. Et ratio à priori est, quia cum indifferentia absoluta voluntatis in actu primo ad vtrumvis ex indifferentia vtriusque generis, & actiuitatis physicæ, & intentionalis essentialiter constituatur sublata indifferentia alterutrius generis per determinationem in illo, implicat absolutam indifferentiam, seu potentiam ad vtrumvis persistere. Septimo impugnatur solutio eadem de indifferenti iudicio, quia etiam posito, & addito voluntati, si tamen ex parte Dei causæ primæ non adsit decretum concurrendi cum volunrate creata (siue illud præfinitio sit, vt hi asserunt, siue indifferens concurrendi decretum quod quidem primo, & principalius ad voluntatis operationem requiritur) absit, absoluta potentia ad operandum aberit: quare neque indifferens ad operandum, vel non operandum, & libera esse potentia ad vtrumvis poterit, sed operandi impotentia. Octauo tristitia damnatorum de pœnis concepta libera erit: cum malum vlterius sibi esse de pœnis tristari, ac non tristari bonum sibi esse iudicent, quantumvis cogniti pœnarum ad tristitiam solicitet: quare & in damnatis est iudicium indifferens ex vna parte ad tristitiam inducens, & ex alia à tristitia retrahens, in quibus tamen de pœnis tristari liberum non est. Nono tota hæc solutio de potentia voluntatis secundum se, & præcise sumpta, aut etiam indicio indifferenti instructa (imo & omnes aduersariorum solutiones) aperte confutantur ex stata ipsis doctrina de absoluta impotentia Angeli ad peccandum in primo instanti suæ creationis: in quo, & voluntas secundum se, & possibilitas præcisiue sumpti peccati, & iudicium indifferens ad vtramque partem aderat, adesseve poterat; & tamen ad peccandum absoluta potentia non erat, imo vero absoluta per eos peccandi impotentia Angelo pro eo instanti aderat: quia Deus creationis iure illius instantis primi operationes creato Angelo indere tenetur, eumque proinde ad illas eliciendas prædeterminare: ad quod ipsum causæ primæ titulo respectu operationum rationalis creaturæ pro quavis duratione operaturæ per ipsos præfinitores, & prædeterminatores tenetur.

10 Ex dictis cert. 4. & 5. verbales aliæ, rerum vacuæ, solutiones aduersariorum disparent. Quarum meminimus cert. 4. n. 1. nempe necessitatem consensus nostri à Deo præfiniti ex Dei præfinitione ortam, & impotentiam ad eius contradictorium, & contrarium extremum eadem præfinitione simul inductam esse necessitatem vnius, & impotentiam alterius, non simpliciter, neque absolutam, quæ libertati causæ, & voluntatis solummodo officiunt, sed secundum quid, & ex suppositione, quæ cum voluntatis libertate cohærent, vt Patres, & Theologi omnes fatentur. Etenim ea necessitas, & impotentia voluntati secundum se absolute, & simpliciter sumptæ non competunt, sed cum addito, & ex suppositione præfinitionis. Cæterum, qui Patrum nostris, & Theologorum, ac Philosophorum omnium verbis conueniunt hisce, eorum omnium sensum, sententiamque debent retinere. Constat autem ex eorum verbis datis supra q. 3. & sequentibus necessitatem simpliciter, & absolute talem libertati voluntatis aduersam, eandem cum necessitate antecedente, & ex parte causæ, & potentiæ ad operandum, & quæ causa est, vt res sit, facit, cogitque, aut prohibet rem esse, quæ omnia in necessitatem ad vnum, & impotentiam ad extremum oppositum ex præfinitione alterius extremi ortam, manifeste cadunt. Constat item necessitatem ex suppositione, & secundum quid vnius extremi, & impotentiam, seu impossibilitatem alterius, quæ libertatem voluntatis compatitur, eandem cum consequenti necessitate esse, & quæ nec facit, nec cogit, aut prohibet rem fieri, ac esse, vel non esse à causa; sed qua res necesse est quandiu est, siue ex suppositione quod sit. Et hanc quidem necessitatem vnius extremi, & impotentiam alterius oppositi solam diuina vnius extremi præfinitione non induci, sed aliam explicatam, & libertati contrariam manifestum est. Secundo constat ex aduersariorum principiis. Etenim, si quidquid voluntati absolute, & simpliciter sumptæ additur necessitatem, & impotentiam simpliciter, & absolute talem ad eius operationem, & negationem operationis non inducit; neque ad potentiam absolute talem ad vtrumvis iudicium indifferens requiretur: nam potentia, aut impotentia ad vtrumvis simpliciter, & absolute talis in voluntate simpliciter, & absolute tali; absque attentione adiuncti alterius constituenda per hos erit. Cum eorum solum positio, aut defectus attendi debeat, quæ absolute talem potentiam ad vtrumvis constituunt.

11 Secundo. Cum vnio hypostatica, & beata visio suppositiones extraessentiales voluntati sint, nõ absoluras, & simpliciter dictas necessitates libertati humanitatis Christi ad peccandũ, & beati ad non amandum Deum contrarias inducent; sed solũ necessitates ex suppositione, & secuti-

dum quid libertati non aduersas: & humanitas Christi ad peccandum potens, & libera absolute,& simpliciter erit, & ad non amandum Deum Beatus,quod abnuunt aduersarij omnes. Tertio,reiectæ eæ solutiones sunt ex causæ liberæ definitione:quæ non secundum se sola,sed aliis omnibus requisitis ad operandum positis, ac proinde ex suppositione aliorum extra essentiam,& entitatem causæ,seu potentiæ quæ libera est,& absolutè dicitur ad operandum posse absolute debet operari & non operari:quare necessitas operandi, & non operandi impotentia,quæ è cuiusvis ad operandum requisiti (quale est diuina præfinitio) suppositione prouenit,non secundum quid,& ex suppositione libertati voluntatis absolutæ & simpliciter tali amica sensu Patrum,& Theologorum est,sed ex suppositione antecedente natura,& causalitate operationem tenente se ex parte potentiæ, atque illam simpliciter, & absolute naturalem, & necessariam in operando constituit, ac subinde absolute, & simpliciter, & eius, & operationis abolet libertatem: quarto, nulla alia ratione iudicij indifferentia, etsi extrinsecum entitati voluntatis illud sit, supponi ad absolutam,& simpliciter talem potentiam liberam voluntatis debet,nisi,quia,etsi eius suppositio,extrinseci voluntati suppositio sit,tamè est suppositio alicuius requisiti ad operandum quod quidem,si determinatum,& ad operandum, determinans, & necessitans voluntatem foret, non quidem secundum quid,& ex suppositione, (vt opponuntur necessitati simpliciter,& absolute tali) sed simpliciter absolute necessitaret ad operandum: alt præfinitio per vos alterum, prius & principalius requisitum voluntati ad operandum est: & ad id antecedenter determinans,necessitansque voluntatem: ergo eius suppositio, etsi extrinseci voluntati suppositio sit, simpliciter, & absolute illam necessitat ad operandum,impotemque non operandi constituet. Quinto denique solutio hæc re ipsa eadem est cum solutione de potentia ad vtrumvis,& exclusione necessitatis, ac impotentiæ ad alterutrum extremum voluntaris præcise sumptæ impugnata ad satietatem cert. 4. quare datis ibi impugnationibus omnibus est obnoxia.

12. Porro necessitatem simpliciter, & absolute talem absolute arbitrij libertatis euersiuam eandem esse, atque antecedentem natura rei, & operationis positionem sæpe ex Theologis, & Patribus ostendimus; necessitatem verò ex suppositione, & secundum quid cum absoluta voluntatis libertate conuenibilem, eandem itidem cum necessitate consequenti,& quæ rei positionem natura non præcedit,ergo ea solum est,qua id,quod est,quamdiu est,siue ex suppositione quod sit,necesse est esse,ac proinde in potentiam indifferentem, quam ad sui effectionem,& existentiam supponit,quamque in existendo pro naturæ posteriori sequitur, & nequit necessitatem retrotrahere, & regrediendo in sui potentiam refundere. Inde verò manifestum est aduersarios atque vocibus necessitatis antecedentis, & consequentis abuti: cum necessitatem suæ præfinitionis,quæ per ipsos ex parte causæ se tenet,necessitatem antecedentem esse negant,& consequentē solum appellant. Sed Aluaræ d.22.& 25.de auxil. ait: necessitatem consequentem solum, ac non antecedentem esse, quamvis necessitatem quæ subsequitur voluntatem, seu decretum causæ primæ. Sed certe necessitas consensus decreto ipso præfinitiuo inducta non subsequitur decretum.sed est ipsi decreto identificata: ergo non est consequens necessitas, sed antecedens: quare, licet ea consequentis necessitatis acceptione admissa physicæ prædeterminationis, seu auxilij de sese efficacibus, atque decreti diuini effectibus necessitas emolliretur,secus necessitas decreti diuini præfinitiui. Secundo visio beata,& vnio hypostatica earumque necessitates ad amorem Dei, vel ad non peccandum absolutæ & antecedentes, nec consequentes necessitates sunt, per aduersarios, libertati antecedenti humanitatis vnitæ ad peccandum, aut Beati ad non amandum Deum repugnantes, & tamen subsequuntur Dei voluntatem, seu decretum, à quo actiue proueniunt. Tertio, si subsecutio diuinæ voluntatis in actu primo consideratæ intelligatur, aut decreti etiam necessitas saluetur, nullo decreto, aut effectu creato possibili, aut excogitabili, siue ab ethnicis fatalibus, siue à vetustis, aut nouis hæreticis prædestinatoribus, ac præfinitoribus humanarum actionum, absque modo etiam libertatis, poterit voluntatis,& operationum humanarum libertas impediri, contra omnes,etiam aduersarios,qui variis modis impediri, euertive à Deo posse defendunt:quia quodcumque decretum excogitabile diuinam, à qua concipitur voluntatem subsequitur, quivisque creatus effectus,& Dei voluntatem,& decretum subsequitur.

13. Quarto solutio hæc eam re ipsa doctrinam continet,qua statam definitionem causæ liberæ mouere Aluaræ in casum tentauit certam. 1. vt addereturillī, *positis omnibus requisitis ex parte causæ secundæ. non autem ex parte causæ primæ*: eam autem doctrinam ad tædium vsque reiecimus ibi,ac rursus reiiciemus certam,seq. Quinto demum: quod diuinam voluntatem eius decretum, & effectus illo productus subsequantur, dummodo ex requisitis, & antecedentibus ex parte causæ, & potentiæ ad operandum sint, non tollit, quod determinent, & necessitent in actu primo potentiam ad operandum, impotemque ex parte actus primi ad non operandum reddant, atque ac subinde, quod sit necessitas vere antecedens causalitate, facientque ex necessitate rem esse, & impediens incuitabiliter rem non esse: &, quod inde infertur,quod positis omnibus requisitis ad operandum ita operari determinate possit, vt non possit non operari voluntas: quod ipsum est eorum necessitatem vere antecedentem esse libertati potentiæ voluntatis contrariam, atque huic simili requisito ex parte causæ determinante ad operandum, etsi Dei voluntatem, aut decretum subsecuto causæ libere definitionem minime conuenire. Huc etiam verbalis alia solutio spectat: scilicet præfinitione necessitatem inductam ad vnum extremum esse necessitatem consequentiæ saluantis libertatem, non consequentis illam lædentis, vt Theologi nonnulli antiquiores docent cum S.Thom. quos tamen, si intelligere aduersarij, vel eorum sensum non dissimulare (sicut in datis proxime) voluissent, tempori, & scriptis nostris parcerent merito, & suis. Necessitatem consequentiæ eam, quæ satis ad syllogismos efformandos est S.Th. & veteres iutellexerunt, quæ plerumque (scilicet in omnibus syllogismis quatuor figurarum organi Aristotelis)in connexione identitatis terminorum, seu extremorum cum medio (quam logicam proinde connexionem vocamus) fundatur: ac proinde eiusdem ad seipsum esse optime potest: debet enim in iis idem realiter esse consequens, & antecedens; necessitas autem consequentis physici ex antecedenti physico, quæ in necessaria connexione physica causæ cum effectu suo physico fundatur: & quæ in præfinitione diuina, & voluntate nostra,stante præfinitione,omnino fatentibus aduersariis, intercedit: ac proinde libertatem euertere à. S. Th. & veteribus aliis dicitur: quia est necessitas, & determinatio physice, nec solum logice antecedens ex parte causæ, & potentiæ ad effectum præfinitum se tenens,neque eius positionem supponens:quare & huius,& voluntatis libertatem euertens.

CERTAMEN VI.

Euasiones aduersariorum aliæ præoccupatæ.

1. REspondent vlterioribus verbis aduersarij necessitatem alterius extremi, & impotentiam antecedenter etiam causalitate, & natura extremi oppositi voluntati nostræ inductam, dummodo ex parte Dei causæ primæ se teneat (vt se tenet; ac prouenit præfinitionis antecedens ad vnum necessitas, & impotentia voluntatis nostræ ad alterum oppositum) eius libertati non officere; secus si ex causa prouenia at secunda, luitus toties easdem repeto impugnationes; & tamen repetere cogor, cum aduersarij eiusdem solutionis alijs, atque aliis verbis repetitæ tædio nos æstiment vinceredos: ne ex improbo repetitionis labore commodum immerito re portent: eadem sane hæc solutio est, atque proxima necessitatis consequentis pro subsequente Dei vel decretum, vel voluntatem, & cum doctrina de additamento illo tentato in casum ab Aluaræ, & nonnullis ex suis definitioni communi, & firmæ causæ liberæ iam

iam impugnatis. Nunc autem addo si nomine necessitatis antecedentis se tenentis, ac prouenientis, ex parte causæ primæ, & compossibilis cum nostra libertate sola necessitas ab extrinseco Dei prouenientis nostris actionibus, (v.g. ex præfinitione, aut efficaci de se decreto illarum) intelligatur, physicæ præmotionis necessitas, cum non ex Dei intrinseco solummodo proueniat, sed ex creato extrinseco, & nobis intrinsecus affixo, voluntatis, & actionis nostræ libertas ea solutione defendi non poterit. Secundo, negatio decreti, seu præfinitionis consensus, & necessitas non operandi, seu operandi impotentia, quam ea decreti negatio, seu decretum de operationis negatione voluntati inducit, potentiam absolutam operandi, seu indifferentem ad operandum, vel non operandum non lædet: ex quo euincitur decretum, seu præfinitionem diuinam requisitam ad operandum non esse, contra aduersarios: siquidem id, sine quo aliud fieri absolute potest requisitum non est, vt fiat illud aliud. Tertio: cum ad etiam decretum Deo intrinsecum requisitum per vos ex parte causæ sit, vt voluntas operetur, & primum, principaliusque requisitum necessitatem operandi, & impotentiam non operandi inducens voluntati, adhuc definitio causæ liberæ ad operandum, vel non operandum effectum præfinitum in illam non cadit. Quarto, cur necessitas antecedens natura, & causalitate operationem voluntatis multo minor, & à Deo saltem physice superabilis eius in operando libertatem euertet; non autem necessitas antecedens etiam, & creatis necessitatibus antecedentibus prior, & physice & metaphysice prorsus insuperabilis, quam voluntati affert diuina operationis præfinitio, eius in operando liberratem non aboleat? Quinto, sic intellecta solutio sensu ipso sibi abrogat fidem. Etenim necessitas, quam sibi imponit voluntas antecedenter per imperium sui actus, aut intentionem efficacem finis ad vnici medij electionem, minus officit voluntatis libertati, quam necessitas orta ex intrinseca Deo præfinitione diuina cuiusvis actus. Siquidem illa proximam, vt summam ad suum actum imperatum, aut electionem euertit libertatem, non remotam; Præfinitio verò diuina, ne remotam quidem ad operandum absolutam libertatem relinquit.

2. Sin autem necessitatis antecedentis voluntatis operationem ex parte causæ primæ prouenientis, ac proinde cum causæ creatæ, & operationis nostræ libertate absoluta compossibilis, nomine, intelligantur etiam quæ ex iis, quæ à Deo prouenium ad extra necessitates oriuntur. Inprimis nulla siue physica, siue intentionalis necessitas antecedens erit, esse, fierive, aut dari poterit quæ voluntatis, & operationis nostræ libertatem euertat: quod hoc syllogismo *in Celarent*, facile demonstratur. *Nulla necessitas antecedens à Deo prouenies, etiam extrinsece, tollit libertatem voluntatis, & operationis: sed omnis necessitas antecedens prouenit à Deo, saltem extrinsece; nec potest non ita saltem à Deo prouenire: ergo nulla necessitas antecedens tollit, tollereve potest libertatem nostræ voluntatis, & operationis.* Hoc autem, ex sic intellecta solutione euidens, repugnat in primis libertati abolitæ Beatorum ad amandum, vel non amandum, aut odio habendũ Deum ex necessitate antecedenti amandi Deum ipsis à Dei visione allatam. Item libertati ad peccandum humanitati Christi deperdita ex necessitate antecedente obseruandi præcepta, ac non peccandi ipsi ex vnione hypostatica suborta, vt aduersarij mordicus, & Christo gloriosissimè tuentur. Tertiò: pugnat cum eorum sententia, dum hæreticorum, & fatalium ethnicorum necessitates antecedentes nostrarum voluntatum, & actionum libertatem euertere Catholice clamant. Pugnat quarto: cum Theologis, & Philosophis cunctis asserentibus Deum ita posse voluntates nostras agere, vt earum, & operationum nostrarum libertatem pessundet: &, quod adeo benigne se nobiscum gerat, vt nostræ libertati, & industriæ sua prouidentia locum relinquat, nec nos à virtute, merito, & præmio excludat, gratias agunt. Pugnat quinto cum receptissima, & quantumvis stupidis hominibus notissima diuisione causæ creatæ in naturalem, seu necessariam, & causam liberam. Etenim omnis necessitas antecedens causæ naturalis ad operandum, & impotentia ad non operandum prouenit à Deo, seu causa prima etiam, saltem extrinsece: ergo nulla necessitas antecedens causæ naturalis ad operandum, & impotentia eius ad non operandum excludit eius libertatem. Sexto, contra sic explicatam solutionem integrum est robur argumenti petiti ex definitione causæ, & potentiæ liberæ: cum tam Dei decretum, quam quodvis principium necessarium voluntati ad operandum positum & suppositum esse ex parte causæ debeat ad operandum, & potentiam absolutam non operandi relinquere voluntati, quam nequit illi relinquere, si de sese operationi connectitur, ac proinde ad eam prædeterminat, ac necessitat antecedenter voluntatem: vt præstat eius præfinitio.

3. Respondent rursus aduersarij necessitatem antecedentem voluntati ad operandum, & impotentiam ad non operandum à præfinitione operationis inductam esse necessitatem à principio, etiam quoad suppositum extrinseco, quæ proinde libertatem eius non lædit. Addidi *quoad suppositum*, ne eadem sit omnino hæc solutio cum illa, quam per otium confutauimus cert. 4. de necessitate extra essentiali voluntati præcisè secundum suam entitatem consideratæ. Cæterum eisdem, quibus illa impugnationibus patet. Nam primo definitio causæ liberæ non restringit requisita ad operandum, quæ omnia, & coniunctim posita debent relinquere potentiam ad non operandum, vt liberam ipsam relinquant, ad sola requisita, quæ à potentia, seu voluntate cũ illis operatura, ac non sine illis operatura supposito, aut subiecto non differentia, sed de omnibus omnino requisitis affirmat potentiam ad non operandum causæ liberæ relinquere debere. Idque ostendunt rationes omnes, quibus eius definitionis veritatẽ, seu bonitatem cert. 1. probauimus. Secundo: fatales ethnici antiqui hæretici prædestinatores, ac noui præfinitores Lutherani Vvicleffistæ, Caluinistæ à Patribus, & scholasticis, etiã aduersariis, reiiciuntur, quod fatum ethnicum prædestinationes, ac præfinitiones eiusmodi nostrorũ operum, & voluntatum necessitate sua antecedenti libertatem abolerent, si, vt ab illis asserebantur, darentur. Et tamen ea omnia non minus, quam præfinitiones, quas refellimus, & inde ortæ necessitates absolute antecedentes vsum nostræ libertatis, supposito, ac subiecto à voluntate distinguerentur: ergo nulla, & doctrinæ aduersariorum in consequens, ea solutio est. Tertio: præfinitionem omnem diuinam de substantia operationis nostræ solum, ac non de modo etiã libero operandi ex libertate voluntatis, & operationis nostræ libertatem abolere solemne aduersariis est, vt inferius videbimus: solemne item apud illos præfinitionem coactiuam, si daretur, cum nostra libertate, & potestate absoluta ad oppositum operis, ita præfiniti, pugnaturam: cum tamen per ipsos supposito, & subiecto à potentia nostra volitiua distinguerentur. Quarto impugnatur à priori: quia antecedens omnino præcise ad operandum, & impotentiam absolutam antecedentem ad oppositum inducens libertati, & indifferẽti absolutæ potestati ad vtrumvis repugnat: Id autem absolute habet præfinitio, etsi supposito à voluntate differat: ergo pugnat cum eius, & operationis præfinitæ libertate. Maior patet. Tolle enim à principio quovis non differente supposito, aut subiecto à voluntate, & necessitate operandi indita ex illo voluntati, necessitatem omnino antecedentem vsum libertatis in operando esse, ac statim principium illud, & necessitatem operandi, quam voluntati affert, cum eius libertate annuentibus Patribus, Theologis, & Philosophis cunctis, ac causæ liberæ definitione, ex qua adeo vexaris, facile compones. Quinto, denique solutio hæc breuioris pallioli est, quam vt duos cooperire valeat, præfinitionem scilicet, & prædeterminationem, seu præuiam qualitatem. Hæc quippe supposito, & subiecto à voluntate nostra non differt.

4. Respondere verò similius ex nostris nonnullis possent. Præfinitiones diuinas prædeterminatiuas humanarum actionum esse earum remota principia non proxima; ad libertatem autem voluntatis satis esse, si principia omnia proxima ad operandum requisita indifferentia sint, nec remoti, (quod non, nisi mediis proximis, operatiuum est) necessitatem antecedentem proximorum indifferentia temperatam, & in effectum sic transmissam libertati voluntatis officere: quæ doctrina Soarij nostri, & asseclarum eius satis est frequens, vt præfinitiones suas nostrarum actionum per scientiam mediam regulatas, & decretum auxilij efficacis collatiuum ex eadem scientia regulatum cum nostræ voluntatis libertate, & indiffe-

renti potestate constare ostendant. Cæterum solutio hæc ad physicæ prædeterminationis necessitatem antecedentem Thomisticam cum nostræ voluntatis libertate componendam extendi non potest: quare angustior, quam eorum doctrinæ opus est, solutio erit. Secundo: cum prædeterminatio principium proximum de se efficax, & essentialiter connexum actui ad quem prædeterminat voluntatem, sit, nequit præfinitionis prædeterminatiuæ necessitatem remoram in effectum transmittere temperatam, vt de suis principiis proximis indifferentibus Doctores nostri philosophabantur. Tertio: Nec supponit scientiam conditionatam, & futurum sub conditione consensum ea præfinitio, sicuti Suaristicæ præfinitiones, & decretum efficacis auxilij collatiuum: vtrumque enim, & scientia conditionata conditionatum futurum supponunt: cuius veritas cum à futuri absoluta existentia purificata conditione pendeat, eidem libertati voluntatis, cui futurum absolutum contingens, subiicitur: quare pro priori illo remoto scientia conditionata collatiuum decretum, & suaristicæ præfinitiones impediri absolute à voluntate potuerunt, ne fuerint, ac præcesserint, eadem potestate, ac libertate, qua impediri potuit absolute futurum contingens.

5. Et hac quidem ratione, dependentiæ principij connexi, siue physica connexione, siue identitate actui, à libertate voluntatis absoluta circa ipsum aperte necessitas eius principij cum voluntatis libertate saluatur, siue proximum illud, siue remotum principium sit: quare nulla inde inter proximi, & remoti principij necessitatem cum libertate nostra conciliandam differentia intercedit. An vero ea ratio in præfinitionibus Suaristis locum habeat controuers. 4. examinabimus. Certe in Thomisticis, & Franciscanorum pauculorum, ab Scoto in eo deficientium, præfinitionibus locum non habet. Cum ea principia essentialia absolute ad futurum contingens absolutum sint, & in hypothesi ad conditionatum, neque horum scientia regulentur, vllatenusve à voluntatis libertate dependeant. Denique rationem principij, seu causæ remotæ necessitatem effectus, & oppositi extremi impotentiam antecedenter natura, & causalitate inducentis, atque omnino in sui positione à libero exercitio arbitrij independentis præcise satis esse posse, vt eius antecedens necessitas cum arbitrij libertate consistat, nunquam potuit penetrare. Tum: quia, etsi causa, & principium, & necessitas eius remota sit, facit tamen, & cogit rem esse, prohibetque ineuitabiliter rem non esse, neque à libera voluntate fit, aut descendit, quæ sunt signa omnia necessitatis antecedentis euertentis nostram libertatem ab Anselmo, & reliquis Patribus, & Theologis notata. Tum, quia percipi nequit, quo demum pacto id, quod ex priori naturæ remoto, ac proinde anteriori in serie causalitatis, & naturæ impossibile voluntati est, per subsequens in eadem serie signum principij ad effectum proximioris possibile eidem voluntati fieri valeat: nisi in eius potestate proxima per principium proximum constituta sit illud principium remotum, & proximo anterius auferre, seu impedire ne pro illo anteriori signo fuerit, vel auferre saltem ab eo illud, per quod alterum extremum cum principio illo remoto pugnantis reddebatur voluntati ex illo anteriori signo naturæ impossibile: quorum neutrum in potestate voluntatis proximæ ad operandum constitutæ positis præfinitionibus Thomisticis, & pauculorum Franciscanorum omnino independenter ab exercitio libero nostræ voluntatis certissimum est.

6. Vltima defendentium præfinitionum essentialiter requisitarum ad omnes creatæ voluntatis operationes, & de se efficacium, & connexarum cum nostris operationibus præfinitis omnimodam ab eius libertate in sui positione independentium est, quam dedit suis Aluarez citata d. 22. de auxiliis, aliâ deferens de necessitate prouenient ac tenente se ex parte causæ primæ iam impugnatam, reprobas n. 39. §. *Ad octauum*. Eiusmodi præfinitiones de sola substantia operationis humanæ non esse, sed de modo etiâ libertatis eius, vt, scilicet, Deus præfiniat irreuocabiliter, & irresistibiliter, non vtcumque consensum fieri; sed fieri libere à voluntate: ex quo inquirunt obfirmatur potius, non infirmatur operationis, & voluntatis in ea operatione elicienda libertas. Siquidem non libere exercita ea operatione libertatis præfinitio, seu decretum illud efficax Dei frustraretur, quod ipsius infrustrabilitati repugnat. Itaque in eiusmodi præfinitione, & decreto de se efficaci operationis libere eliciendæ tam eius, quam voluntatis nostræ libertas, non quidem euertetur, sed fideiussorem Deum habet. Rectè enim Augustinus suprà recitatus aiebat Dei prædestinantis voluntatem *non destruere, sed perficere nostram libertatem*, atque vt ipse Aluarez recitat, Anselmus de concordia c. 1. ait, Dei voluntatem, qua vult effectum sequi voluntatem nostram, libertatem non euertere. *Tunc enim necesse est voluntatem esse liberam: & esse quod vult.* Clarior hæc aliis suprà impugnatis solutio; sed quæ (vti falsis vsu venit) claritate suam prodat falsitatem. Et primo quidem Augustini, & Anselmi verba, si eorum sensu adducerentur rem euincerent. Vereor tamen vehementer, ne Caluini sensu vsurpentur, vt suprà ex Caluino hæc eadem pro suis præfinitionibus vsurpantes obseruabamus quæst. 3. cert. 1. atque ab ethnicis fatalibus vsurpata refert Iulius Sirenius 3. de fato cap. 2. his verbis, quæ ipsissima Aluarez, & Dominicanorum sunt. *Asserebant*, inquit, *fatum non destruere hominis naturam. Et ideo manere semper in nobis, & velle: quia efficacia diuina præfinitionis non est in ruinam liberæ facultatis; sed in adiutorium, & subministrationem eius.* Patrum vero sensus valde est in similibus verbis diuersus. Nam hi quidem non aliud prædefinitionis genus respectu nostrarum actionum agnouerunt, quam prædestinationis cuius (sicuti, & præscientiæ absolutæ, necessitatem antecedentem, & causalitatis, seu causæ de se physicæ connexæ cum effectu contingente, sed consequentem, & quæ ex contingentis, & liberi voluntati nostræ effectus suppositione defecndat: quia futuritionem eius conditionatam, & scientiam ipsius, ex qua voluntatem prædestinatiuam Deus concipit, supponit: cuius (vt sæpe diximus) consistentia è futuri absoluti, purificata conditione, positione pendet: quare tam futuritio conditionata contingentis, quam diuina de ipsa scientia à libero vsu absoluto libertatis in sui positione demum dependet: ac subinde necessitas essendi contingens illud consequens vsum libertatis nostræ, & ex eius vsus suppositione solummodo est, & quæ sola nostram libertatem compatitur; non autem antecedens natura, & causalitate contingens illud, quam cum eius contingentia, & libertate pugnare, & Augustinus, & Anselmus citatis libris, & locis, & alias sæpè, Patresque reliqui docent, vt vidimus q. 2. Ex quibus constat ea contingentia, quæ vult Deus decreto prædeterminatiuo necesse esse, vt contingentia sint, sicut ea, quæ præscit absolutè contingentia fore necesse esse contingentia fore necessitate nimirum consequenti connexionis logicæ solum cum contingenti futuro, quia eius tandem contingentiam supponunt iuxta horum Patrum doctrinam; non autem necessitate natura antecedente causæ, aut principij alicuius de se connexi physice cum effectu: cuiusmodi est præfinitio de se connexa ineuitabiliter cum actu, atque in sui positione à libera huius positione omnino independens.

7. Explosis iam solutionis huius ab authoritate horum Patrum fundamentis, eius, præter principij petitionem in terminis ipsis repugnantiam aperiamus, ac subinde ad argumenta nostra diluenda insufficientiam. Quod vt præsterur longius nobis eundem non erit quam ad principium idem communis, & tandem, & si reluctantes, ab ita respondentibus admissæ definitionis causæ liberæ, ex quo illa omnia efformauimus ea siquidem est, *quæ positis requisitis omnibus ad operandum potest operari, vel non operari.* Ex quo euidens est operationem, seu effectum suæ causæ contingens, & liberum illum omnino esse debere, qui ita ab illa positis requisitis omnibus fit, vt tunc eidem positis possit non fieri: est siquidem oratio hæc oratio de passiua, illi primæ orationi de actiua, qua actiua causæ libertas definitur correlata, atque omnino respondens, sicut hæ duæ. *Ego amo Deum: Deus amatur à me.* Hoc posito sic argumentor. Operatio libera voluntatis est, quæ, ita à volûrate cum requisitis fit, vt possit tunc absolute non fieri. ergo operatio, quæ positis requisitis, ita necessario fit, vt non possit tunc absolute non fieri, libera non est. Est enim propositio hæc primæ immediatè repugnans, eiusque contradictoria. Sed præfinitus antecedenter determinare actus, cui essentia

tas

sua indissolubiliter eius præfinitio connectitur, & subinde necessitans antecedenter, & ex parte causæ voluntatem ad illum, ac insuper in modum libertatis, quo ab illa fiat tenderet in hæc duo, vt, scilicet, actus posita præfinitione requisita ad ipsum, & necessitante antecedenter, atque ex parte actus primi voluntatem, vt ipsum determinate operetur, itavt stante illa non possit ex parte antecedentis, & potentiæ in actu primo ipsum non operari, à voluntate ita fiat, vt tunc non possit non fieri; & hoc alterum, quatenus actus libertatem præfinit: ita actus idem posita præfinitione à voluntate fiat, vt tunc possit ab illa non fieri. Hæc autem apertissima contradictoria sunt: ergo præfiniens Deus hunc actum determinate, & ineuitabiliter à voluntate fore, ac simul liberè fore duo contradictoria simul intenderet: vide quaJem Deum tua hæc solutio fingat, omni stupido homine dementiorem, cuius voluntas duo contradictoria simul, semelque serio intendat. Æstimo ita respondentes non multum dubitaturos afferere aliquando Deum velle efficaciter dealbare hominem per nigredinem, & (quod exactius adhuc doctrinæ huius solutionis exemplum est) aera tenebris offusis illuminare. Nec alia est aliorum Thomistarum solutio, scilicet præfinitionem diuinam eminenter continere liberum nostrum consensum, ac proinde eius non officere libertati. Quidquid enim determinat ex parte actus primi ad vnum, ita, vt sit inconiungibile cum alio determinat actiuè per modum naturæ, & causæ necessariæ: quare nequit eminenter actiuè libertatem, effectus, quam destruit, continere, sed potius eius necessitatem, quam efficit.

8. Duas alias vix vnius, vel alterius Thomistæ ex his, qui præfinitionis requisitæ ad operandum in sui positione ab exercitio libertatis nostræ independentiam omnimodam tuentur, solutiones omittere decreueram: tum, quia infirmæ: tum, quia paucorum erant. Sed cum reliquis non satis (vt vidimus, videbimusque) firmas non pauci ex illis, vt nostris argumentis (non exigua eorum commendatione) occurrerent percurrerunt, producendæ hic etiam sunt, ne deinceps plures ab aliis solutionibus difficultatis impetu propulsi his etiam vtantur. Altera est necessitatem actus præfiniti, & impotentiam ad oppositum, qua sua præfinitio inducit cum consequens exercitium libertatis nostræ non sit; ast antecedentem (quæ sola iuxta Patres, & rationem libertatem nostram euertit) non esse, sed mediam aliam nescio quam: quia decretum comitans determinationem nostræ voluntatis non admittunt, sed præuium, & requisitum esse ad operandum defendunt. Distinguunt autem inter necessitatem, quæ causa est operationi & actui, vt sit, siue causa operationis est, & inter necessitatem, quæ non causa, sed causæ operandi est. Primam aduersari libertati aiunt, secus secundam, quæ suis conuenit præfinitionibus. Sed primo solutio hæc Anselmo & reliquis Patribus Theologis, & Philosophis est iniuria. Siquidem necessitatem rerum, ad eius cum libertate contingentium, & liberarum concordiam, diuidentes, huius tertiæ à Deo ad eam concordiam opportunæ, ne insinuat quidem vocula, meminerunt; sed solum duplicis membri antecedentis necessitatis, siue aliis verbis, simplicis, vel absolutæ, & necessitatem consequentis, siue aliter, secundum quid, vel ex suppositione, vel consequentiæ. Tertio omnem necessitatem, quæ consequens non sit rei positionem, huius libertati aduersari Anselmus, Aristoteles, Boëtius, & Patres reliqui constanter affirmant: cum disputat, hac q. 3. tum controuer. 2. d. 5. q. vlt. sed necessitas præfinitionis tuæ inducta voluntati ad hunc determinate actum, quæcunque illa sit consequens non est huius actus positionem per te: ergo eius libertati aduersatur. Quarto distinctio illa necessitatis, quæ causa est, & necessitatis, quæ causæ sit vocum, seu casuum grammaticalium est, non rerum: vt prima antecedens natura, & causalitate ad operationem, & effectum absolutè sit, non secunda: nulla quippe necessitas, quæ causa operationis, & effectus, & antecedens absolutè sit inueniri potest, nisi quæ sit necessitas, seu determinatio causæ ad ponendum indefectibiliter operationem, & effectum.

9. Hoc exempla ipsa necessitatis cœlorum, vt se voluant, ac rorentur, ac similia, quibus Anselmus, & reliqui Patres antecedentem absolutè necessitatem explicuerunt suadent aperte. Siquidem eo necessitates absolutè antecedentes, & quæ sint causæ volutionis cœlorum sunt, quod sint necessitates causæ, & virtutis naturalis, quæ in cœlis est, vt se se rotent, ac voluant; neque vllam necessitatem operandi, quæ causa operationis absolutè ipsam antecedens sit, inuenire, excogitareve poteris, nisi, quæ causæ operatur necessitas, & determinatio ad operandum indefectibiliter, ratione intrinsecæ connexionis physicæ causæ cum operatione sit; neque è contra vllam necessitatem ad operandum, quæ ratione huius determinationis, & physicæ connexionis causæ cum operatione necessitas causæ sit causans, siue causæ operationis eiusdem; & ratio est; quia necessitas quæ causa est operationis nequit excludere rationem causæ operationis, & antecedentiam naturæ, & causalitatis ad ipsam ac proinde nequit non causæ necessitas esse: eoque ipso, quod causæ necessitas ad operandum sit, nequit non esse necessitas, quæ natura, & causalitate ad eam operationem, ad quam necessitas est, præcedat; quod ipsum est esse necessitatem, quæ causa est, vt operatio sit, atque ab ea, siue ex ea necessitate fiat: quare & per ita inaniter, & sibi etiam inutiliter, respondentes necessitas absolutè antecedens, ac libertati causæ, & operationis contradicens. Fatentur enim (quod ne vocibus quidem audent, possuntve diffiteri) necessitatem operationis huius determinatæ præfinitæ à Deo diuina præfinitione in voluntatem inductæ esse necessitatem causæ ad operandum. Denique quinto necessitas absolutè antecedens, atque voluntatis libertati infesta est, quæ voluntatem reddit impotentem omittendi operationem: quia ex parte actus primi necessitat, seu determinat illam ad indefectibiliter (quatenus scilicet ad eius virtutem attinet) operandum: id autem essentialiter habet præfinitio Thomistica ex parte actus primi essentialiter ad operandum requisita, atque à libero exercitio voluntatis in operando omnino independens: ergo & est absolute antecedens, & pugnans cum libertate voluntatis. Maior ex definitione causæ, seu potentiæ liberæ in actu primo toties reperita patet. Necessitas siquidem illa, quæ contradicit libertati potentiæ absolutè antecedenti, id est potentiæ operandi vel secus, etiam positis requisitis omnibus, ac proinde potentia necessitans ad operandum (qualis est necessitas, de qua in maiori) nequit non esse absolutè antecedens; alias libertati antecedenti absolutè causæ liberæ non contradiceret: siquidem necessitas pro alio quovis signo posteriori, vel disparato, non contradicit libertati potentiæ, seu causæ pro signo antecedenti: vt patet in libertate voluntatis antecedente, quæ consequentem necessitatem compatitur. Minor quinti huius argumenti præclusis effugiis omnibus probata hactenus manet, & consequentia est legitima.

10. Solutio alia nonnullorum Thomistarum est, quam refert, & refellit noster Borrul. de scientia media d. 10. sect. 5. §. *Tertio alij* num. 587. scilicet necessitatem antecedentem ad vnum extremum libertati causæ; & potestati ad vtrumvis oppositam non esse, quæ affert incompossibilitatem ratione extremi vnius, cui essentia sua connectitur principium, quia extremum illud cum oppositio extremo altero repugnat (quam solam incompossibilitatem habet præfinitio consensus, quem essentialiter infert cum negatione, vel contrario ipsius, cum quibus consensus præfinitus se ipso incompossibilis est) & vocare possumus mediatam incompossibilitatem illius principij, quia est incompossibilitas eius cum altero extremo, quatenus huius oppositum, cui connectitur principium illud, opponitur formaliter, & immediatè incompossibile est cum altero extremo; necessitatem autem absolutè antecedentem libertati causæ oppositam afferre debere incompossibilitatem principij immediatam ratione sui, ac non ratione incompossibilitatis extremi, cui connectitur cum extremo oppositio. Contra tamen primo: quia, si solum est incompossibilis cum dissensu, aut negatione consensus huius præfinitio, quatenus incompossibilis cum illis consensus est, nec aliam intrinsecam, ac de se se incompossibilitatem habet consensus præfinitio, quandiu consensus sui negationi per se formaliter immediatè repugnans non adfuerit, poterit præfinitio cum consensus præfiniti negatione,

ac dissensu absque vlla repugnantia componi. Sed quotiescumque fuerit negatio consensus non erit consensus ipse, cui sui negatio immediate, & contradictorie formaliter repugnat: ergo semper, & absolutè præfinitio consensus coniungi potest cum negatione consensus, ac subinde cum dissensu: quod præfinitionis diuinæ infrustrabilitati, & aduersariorum doctrinæ, quam modo impugnamus, contradicit. Secundo. Nec visio Dei erit absolutè incomponibilis cum negatione amoris Dei super omnia in Beatis, nec vnio hypostatica humanitatis Christi incomponibilis absolute cum negatione obseruationis præcepti, seu peccato humanitatis eiusdem, ac proinde illis etiam positis, & Beati, & Christi humanitas ad non amandum Deum, & ad peccandum absolutam potestatem, & libertatem contra horum Thomistarum doctrinam habebunt. Tertio nullum agens naturale, & explorato necessarium in operando esset naturale, & necessarium, seu inconiungibile absolute cum negatione, seu contrario sui effectus, sed absolute posset coniungi cum illo, ac subinde absolute etiam liberum in operando, contra omnium omnino hominum iudicium. Tres hæ consequentiæ, vel apud ita respondentes, vel apud omne hominum genus absurdissimæ ex huius solutionis doctrina sunt irrefragabiles. Siquidem nullum horum principium quantumvis connexum aliam iuxta hanc solutionem pugnam habebit de se, nisi quatenus extremum vnum, cui essentia sua connectitur, quemque indefectibiliter infert, formaliter immediate pugnat cum extremo opposito, atque adeo non ex incompossibilitate sui, sed extremi, cui connectitur, quodque necessario infert, mediatam nimirum, & extrinsecam tantum incompossibilitatem habet: quare secundum se consideratum quodvis horum principiorum componi absolute poterit cum sui effectus extremo opposito, æque, atque præfinitio cum negatione consensus præfiniti, ac dissensu contrario.

11. Quod si, vt hæc vites absurda, dicas: vnionem hypostaticam, visionem beatam, & naturalium agentium virtutem, eo ipso, quod virtutes de se esse determinatæ sint, connexæ suis effectibus, eorumque indefectibiliter illatiuæ oppositionem habere intrinsecam, ac de se esse cum extremis oppositis, licet non immediatam formalem, & contradictionis, seu contrarietatis formalis, quæ est inter album, & non album, seu inter album, & nigrum, solumque in rebus, quæ ad idem signum naturæ, vel prius, vel posterius spectant, esse possunt, aut mediatam (quia sola oppositio, & repugnantia contradictionis, & contrarietatis immediata, & formalis est) & illatiuam. Cum enim essentia, & entitate sua vnum extremum contradictionis, & contrarietatis inferant. Cum extremis ita oppositis intrinsecam pro suo signo priori oppositionem virtutis, & eminentiæ, qua extremum illud aliis immediate oppositum continent, & necessario ponunt, omnino habent, nec solum mediatam extrinsecam ratione solius repugnantiæ extremi necessario apponendi cum oppositis sibi extremis, quasi nulla sit in principiis illis cum extremis suo necessario effectui incompossibilibus pugna incompossibilitatis, & repugnantia intrinseca virtutis eminentialis, & illatiua. Eo enim ipso quod de se atque ab intrinseco ad vnum extremum ex oppositis ipsis incompossibile determinata sint, determinata intrinsece, ac de se esse sunt ad opposita excludenda. Vnde fit non posse esse pro priori naturæ antecedenti, ad quod principia illa determinata, & determinantia absolute ad vnum extremum sunt, absolutam ad eius opposita extrema absque contradictione manifesta absolutam potestatem, cum autem ad absolutam libertatem causæ, ac principij operatiui essentialiter requiratur absoluta ad vtrumvis potestas operationem alterius extremi antecedens: nec naturales causæ in suos effectus, nec visio, ne posita Beati ad Dei amorem, nec humanitas cum vnione hypostatica ad non peccandum libertas consistit. Fateor solutionem totam Philosopho, & Theologo dignissimam, euidentissimamque esse: ac proinde argumenta suprà facta contra tuam solutionem intellecta de incompossibilitate præfinitionis consensus cum eius oppositis negatione, & dissensu, solum mediata extrinsece ratione formalis incompossibilitatis immediatè contradictoriæ, vel contrariæ consensus cum sui negatione, vel dissensu omnino eneruare. Verum, ni ita à te tua solutio pro tua præfinitione intelligatur; sed intrinsecam vlteriùs mediatam siue virtutis, siue eminentialem, & illatiuam incompossibilitatem cum negatione consensus præfiniti, aut contrario dissensu in eius præfinitione recognoscas, quia ad consensum præfinitum ipsis formaliter immediate, siue contradictorie, siue contrarie incompossibilem determinata, ac determinans ex parte actus primi antecedentis absolute ad operationem eius consensus est, præfinitionis tuæ necessitatem absolute antecedentem, & cum potentia ad oppositum absolute incompossibilem, & cum libertate voluntatis in actu primo pugnantem eadem doctrina teneris fateri: quare solutione tua caperis, dum difficultatem soluis.

CERTAMEN VII.

Euasio alia non adeo rigida de necessitate, & impotentia infallibilitatis, non absoluta præcluditur.

1. DVo rigide Thomisticæ præfinitiones ad operandum requisitæ continent. Alterum de esse, siue ex intrinsecis prædicatis inseparabiliter cum actu præfinito connexas esse, ita, vt eas ex parte actus primi poni, atque actum non poni repugnet. Alterum eas omnino independenter ab vsu libero voluntatis ex parte actus primi poni. Ex horum coniuncto argumenta contra ipsas efformata, & solutionum impugnationes hactenus datæ processerunt: neque adeò segniter, & inutiliter eisdem fere rationibus iam pridem à nostris pugnatum est, vt illi ipsi aduersarij, qui duo illa, tanquam scholæ suæ tesseram tuenda fuscepерunt, præteritarum solutionum arcibus à nostris pulsi, alij eorum è duobus illis vnum; alij vero alterum asserere destiterint. Alunt ergo primo, ex eis non pauci: necessitatem consensus præfiniti, & impotentiam ad eius oppositi omissionem, & dissensum, quam diuina præfinitio inducit, non esse necessitatem voluntatis ad consensum, & impotentiam absolutam eius ad oppositi ipsi extrema; sed necessitatem infallibilitatis: quia etsi voluntas posita præfinitione requisita ad operandum ex parte actus primi, ad quem præfinitio spectat, possit absolute non operari, & coniungere omissionem consensus cum illa, vt ad eius libertatem necessarium demonstrauimus; attamen præfinitione posita infallibiliter consensura sit: & subinde infallibiliter non est omissura consensum. Ita, & si non conceptis verbis, respondebant olim Thomistæ apud Suarium nostrum de auxiliis lib. 1. cap. 10. num. 6. conceptis autem verbis Cabrera t. 2. in 3. p. q. 18. à num. 304. dicens hanc potestatem omittendi actum præfinitum, seu apponendi contrarium, quam diuina prædeterminatio, seu præfinitio voluntati relinquit, infallibiliter nunquam reduci ad actum, & d. 1. num. 10. dixerat potestatem liberæ potentiæ esse, *vt cum potentia, & omnibus requisitis ad operandum possit componi, id est simul poni, tam actus, quam carentia illius.* Item Primus Dominicanorum Cathedrarum Complutensium, & Primarius Professor cum ob doctrinæ laudem, tum ob laborem disputationibus de auxil. coram Sede Apostolica naratum Ioannes Gonzalez Aluelda 1. p. d. 58. sect. ea 2. quia inquit potestate nunquam continet hominem sic vocatum, ac promissa præfinitione consensus præuentum, non consentire fr. Ioannes à S. Thom. tract. de volunt. Dei d. 5. art. 6. n. 13. & 14. Hic autem Doctor de nuda auxilij entitate loquitur, non autem, vt coniuncta modo infallibili, quo Deus præfinitione sua, seu decreto illius executiuo illud apponit, & consensum per illud præfinit, siue, vt ait Aluarez d. 92. de auxil. num. 2. vt auxilium efficax voluntatis Dei actum præfinientis instrumentum est; quare hi duo auxilij de se efficacis doctrinam suam deserunt, non autem præfinitionum, de quibus nunc disputamus. Verum non excluso illo respectu ad Dei præfinitionem ita

sensum

sensum compositum potestatis ad oppositum coniungendum cum efficaci auxilio docent, & si potestatem infallibilitatis negent Nazarius 1. p. t. 1. q. 22. art. 4. controuer. 2. ad argum. 7. conclusionis §. *Secundo respondeo.* Gregor. Martinez 1. 2. t. 1. q. 10. art. 4. dub. 1. concluſ. 2. ad 1. argum. Zumel t. 1. variar. d. 5. appendice §. *Ad tertium.* Ioseph à S. Maria tract. de libero arbitrio in communi quæst. 4. art. 6. §. *Dico 7.* & §. *Supponendum 7.* apud Paulum Leonardum 2. p. responsionum sect. 13. num. 63. His autem priores fatales ethnici idem omnino pro sui fati antecedente necessitate cum nostra libertate concilianda dicebant referente Iulio Syren. 3. de fato cap. 22. *Licet voluntas aliter re vera non sit operatura, tamen posset aliter operari*: qua solutione illos *vocibus solum vti, ac proinde nugari* ipse concludit. Et Ioann. de Bononia Louanien. Doctor, & Professor. Archidiaconus Panormitan. de prædestinat. & reprobat. edita Louanij anno 1565. in solut. argumentorum ad 2. pag. 514. *Stulta nimium est igitur, & pernicioſa persuasio docentium nos, posse quidem diuinam reiicere inspirationem* (huius loco præfinitionem pone, de qua agimus) *sed non ea potentia, qua aliquando reducatur ad actum.* Et Claudius Rangolius Minimus Maximus t. 1. in lib. 1. Reg cap. 13. vers. 14. tit. *Quomodo intelligendum*, ita de hac solutione distinctionis absolutæ potentiæ, & potentiæ infallibilitatis ait: *commentitia videtur, & chymærica.*

2. Nollem Thomistas hosce fortè ad nos (vt bono eius distinctionis, & legitimo sensu possunt) venientes abhis, qui in nostris castris sunt, in explorato eorum animo duris à Deo accipi censuris. Si enim necessitatem vnius extremi, & impotentiam alterius infallibilitatis solius scientiæ diuinæ de obiecto contingenti posita Dei voluntate de illius existentia sublata tamen ab hac Dei voluntate connexione physica, & metaphysica cum existentia, seu futuritione absoluta obiecti illius contingentis intelligant, verissime docent cum hac infallibilitatis necessitate vnius extremi, & impotentia alterius. Stare absolutè posse absolutam ad hoc alterum potentiam physicam actiuam. Siquidem, & si non necessario positum sit extremum à Deo volitum à Dei voluntate, vt poni æquè eius negatio, & cum Dei voluntate non conrangi physica actiuitate absolute potuerit; posito tamen à voluntate nostra Dei voluntati annuente, atque ita à Deo cognito necessitate consequente, & intrinseca necesse est vt sit: & rursus necessitate infallibilitatis diuinæ scientiæ; (quæ consequentem illam extremi in se positi necessitatem supponit) extrinsece necessarium etiam est: & si absolutè sit contingens. Verissime inquam ita solutione hac vrentes Thomistæ discurrent: sed præfinitionum suarum, & nomine, & re abstinere debebunt: ac proinde veritatis victoria ingenue victi nostris castris cum laude, & gloria adscribendi erunt. Nomine quidem præfinitionis abstinere debebunt: quia ea vox nonnisi in voluntatem efficacem, & decretum Dei efficax obiecti præfiniti; huicque essentia sua connexum indefectibiliter cadit. Inde etiam, & reipsa præfinitionis abstinere, ita distinctionem intelligentes, omnino debent. Si enim præfinitionis diuinæ res, & essentia ipsa connexa inseparabiliter est consensui præfinito nequit eius existentia absoluta coniungi cum negatione consensus præfiniti: ac proinde ea ex parte actus primi, & antecedenter natura ad operationem consensus voluntas nostra impos absolute antecedenter ex parte actus primi erit ad ponendam simul negationem consensus præfiniti, vt pè ostendimus, ac statim breuiter, & dilucide iterum ostendemus: quare vt operationum nostrarum necessitas extrinseca infallibilitatis ex infallibilitate scientiæ diuinæ de operatione ex Dei voluntate, & vocatione absolute existente, vel futura absolutè, vt membrum eius distinctionis ab altero absolutæ, & antecedentis necessitatis abolentis libertatem defendatur, voluntas Dei, decretum indifferens, ac non determinatum, & determinans efficaciter ad consensum statuendum, dicendumque ab ita respondentibus erit. Vel, si efficax esse, dicique ipsi malint comitans solum operationem esse in sequentibus examinandum non illam physice antecedens: quare & re, & nomine præfinitionis ita distinctionem potentiæ absolutæ, & potentiæ infallibilitatis solius ad rem præsentem intelligentes aduersarij abstinere, atque aperte, & re, & nomine partibus nostris accedere debebunt.

3. Sin autem necessitate infallibilitatis ad actum præfinitum, & impotentia infallibilitatis ad extremum oppositum non illam solam extrinsecam diuinæ scientiæ, quæ consequentem actus necessitatem supponat, sed obiectiuam aliam præfinitionis ex parte actus primi ad existentiam actus præfiniti à voluntate expositione præfinitionis determinantis de se ad illum ratione intrinsecæ connexionis cum illo intelligant, nomen quidem, & rem Thomisticæ præfinitionis retinebunt, sed distinctionem chymæricam, ac conciliandæ cum humana libertate præfinitionis necessitati prorsus inutilem; & si ad necessitatem infallibilitatis diuinæ scientiæ, quæ illam connexionem obiectiuam, & necessitatem essendi à voluntate ex præfinitione adiuncta actum præfinitum supponat, recurrant. Primo quia etiam diuinæ præscientiæ infallibilis necessitas ad vnum, & impotentia ad aliud simili connexioni obiectiuæ fati cum humanis actionibus ipsis ex fato ethnico prouenientibus aderat nota, Philosophis fatalibus, & Patribus notissima erat: & tamen illorum fatum, vt absolutæ libertatis, & potentiæ absolutæ ad oppositum actus eo destinati ex parte antecedentis euersiuum reiectum ab his est. Secundo amori Dei ex visione beata, & negationi peccati ex vnione hypostatica infallibilis necessitas negationis peccati, & impotentia ad peccatum in humanitate vnica, ac Beatis diuinæ scientiæ adest: & tamen, quia supponit necessitatem obiectiuam antecedentem ex vnione ad obseruantiam præcepti, & impotentiam ad peccandum in humanitate vnita: ac similiter ex visione obiectiuam necessitatem antecedentem amandi Deum, & subinde impotentiam non amandi illum in Beatis, non saluatur in his absoluta potestas non amandi Deum, neque in humanitate vnita absoluta potestas peccandi: quare neque absoluta libertas ad peccandum, vel non peccandum in hac, atque ad amandum, vel non amandum Deum in illis, vt vos ipsi, qui ita respondetis, fatemini: ergo, & si adsit nostris operibus præfinitis infallibilis necessitas ad ipsa, & impotentia ad eorum opposita diuinæ scientiæ illa in præfinitione Dei cognoscentis, quia tamen supponit necessitatem antecedentem obiectiuam ad ipsa, & impotentiam ad eorum opposita, non saluatur in nobis absoluta potentia ad opposita extrema actui præfinito, ac subinde neque absoluta ad ipsum agendum, vel non agendum libertas. Tertio neque effectibus omnibus, ac singulis causarum naturalium ea scientiæ diuinæ in suis causis ipsos penetrantis, iuxta communem, & omnium Thomistarum sententiam, infallibilis necessitas, & impotentia non essendi à suis causis deficit; & tamen, quia obiectiuam antecedentem necessitatem, vt à suis causis fiant, & impotentiam vt ab illis non fiant diuinæ scientiæ infallibilis necessitas supponit, neque in causis naturalibus absoluta potestas non operandi, ac proinde neque absoluta libertas operandi est ergo nec in voluntate posita operationis, & actus eius præfinitione saluabitur libertas ob rationem eandem.

4. Ratio à priori, & vltima ita intellectæ distinctionis, & explicatæ solutionis ex illa, impugnatio est: quia nihil potest esse destructiuum eius, quod necessario tanquam sui fundamentum supponit: sed necessitas ad vnum, & impotentia ad eius oppositum, quam hi vocant infallibilitatis, à diuina scientia habita de contingentibus in præfinitione requisita ad ipsorum absolutam existentiam, tanquam in causa, supponit tanquam sui fundamentum necessarium, absolutam necessitatem antecedentem voluntatis ad operandum, & absolutam impotentiam eius ad non operandum posita præfinitione: ergo non destruit hanc necessitatem eius ad operandum absolutam, & antecedentem, nec impotentiam absolutam antecedentem non operandi posita præfinitione. Minor probatur: quia infallibilitas diuinæ præscientiæ de obiecto contingenti in præfinitione supponit obiectiuam connexionem intrinsecam, & è suis prædicatis præfinitionis ex parte causæ requisitæ, ac positæ, vt voluntas operetur: quare & physicam absolutam determinationem

voluntatis

voluntatis antecedentem ad illud operandum, posita eius præfinitione: & physicam subinde impotentiam absolutam ad non operandum. Imo ad hoc præfinitio actus nostri ab aduerſariis inducitur: ne ſit abſolutè poſſibile voluntati ea poſita actum omittere, ac diuina ſcientia in cauſa actum determinate attingens, & exprimens potius, quam eius omiſſionem, poſſit falſitati ſubeſſe: ergo infallibilis neceſſitas, vt ſit actus præfinitus, & impotentia, vt ſit eius omiſsio, poſita præfinitione ex infallibilitate diuinæ ſcientiæ actus præfiniti in præfinitione, ſeu voluntate cum præfinitione, tanquam in cauſa ortum ducens, ſupponit obiectiuam phyſicam antecedentem, & abſolutam neceſsitatem operandi, & impotentiam non operandi ex præfinitione actus inductam in voluntatem, diſtinctam à neceſsitate, & impotentia ortis è ſcientiæ diuinæ actus in coniuncto voluntatis cum præfinitione: ſiquidem nihil ſeipſum poteſt vere, & reipſa ſupponere. Quod autem cum his pugnet potentia phyſica abſoluta antecedens non operandi ſatis ſupra demonſtratum eſt: breuique rurſus demonſtratur: quia ea potentia abſoluta, & antecedens, tam illi neceſsitati abſolutæ, & antecedenti voluntatis ad actum, quam impotentiæ ad oppoſitum pro eodem ſigno, & priori naturæ contradiceret. Et enim pro eo ſigno vera hæc ſunt: *poſita præfinitione ex parte actus primi eſt impoſſibile voluntatem non operari: & rurſus voluntatem operari eſt neceſſe.* Aſt poſita abſoluta potentia antecedenti non operandi vera hæc propoſitio eſt. *Voluntatem non operari poſſibile ex parte actus primi eſt*, quæ vtrique illi contradicit iuxta ſummuliſticas regulas modalium: ergo potentia abſolutè antecedens voluntatis ad non operandum poſita præfinitione requiſita ad operandum, ac proinde neceſsitate abſoluta, & antecedente ad operandum, & impotentia ad non operandum, & huic neceſsitati, & huic impotentiæ abſolutis, & antecedentibus contradicit. Tertio. Potentia hæc voluntatis ex parte actus primi antecedens, & abſoluta non operandi ſtante præfinitione, vel eſſet non operandi ſublata operatione, vel non ſublata operatione: primum inducit contradictionem: ſiquidem ſtaret præfinitio, vt ſupponitur, & non ſtaret: quia non eſſet operatio, cui eſſentia ſua connectitur: ac proinde, ſine qua eſſe repugnat. Præterquam quod ea potentia in voluntate eſſe nequit, niſi ſit potentia auferendi, ſeu impediendi præfinitionem pro naturæ priori ad poſitionem actus, vt patet. Secundum etiam aliam contradictionem inducit: ſcilicet eandem operationem ſimul, ſemelque eſſe, quia eſt ipſi connexa eſſentia ſua præfinitio, & non eſſe: ergo ea abſoluta, & antecedens potentia voluntatis ad non operandum poſita præfinitione chimærica eſt, & impoſsibilis.

5. Vnde conſtat, quam male admiſerit Ioannes Gonzalez ſuprà ſect. 3. num. 30. ſtante præfinitione poſſe voluntatem abſolutè coniungere carentiam actus cum illa: cum id alterutro ſolummodo (quorum vtrumque repugnare oſtendimus) fieri neceſſario debeat; quæ tamen in voluntate independenter à noſtræ voluntatis libertate, & exercitio poſita nuſquam eſt, aut fuit. Quare neque eam auferre, & non eſſe noſtræ eſt, aut fuit poteſtatis, adhuc pro naturæ priori ad præfinitionis poſitionem conſideratæ: vnde non ſolum non poteſt eſſe potentia apponendi negationem operationis ſeiunctim ab operatione, verum neque coniunctim cum præfinitione: quia nequit eſſe potentia ad coniunctum aliquod abſolutè apponendum, quin ſit potentia ad apponendas eius partes, quarum ſimultaneam exiſtentiam ſolummodo, & neceſſario coniunctum illud dicit, at nulla eſt poteſtas abſoluta voluntatis noſtræ ad apponendam præfinitionem operationis: ergo neque ad apponendum coniunctum præfinitionis, & operationis, ſeu operationem coniunctim cum præfinitione, aut plus omiſsionem ſeiunctim à præfinitione: quia neque in eius poteſtate eſt præfinitionem ſeiungere conſiderata pro quouis ſigno naturæ voluntate. Cum autem nequeat operatio, niſi alterutro modo exercite apponi, ſcilicet, vel coniunctim cum præfinitione, vel ſeiunctim ab illa, ſine vel cum illa, vel ſine illa, (& idem eſt de omiſsione operationis) ſit: nullam eſſe in voluntate potentiam ad omittendam operationem præfinitam, neque ad apponendam operationem contrariam. Dices eſſe potentiam ad ponendam operationem præſcindentem à præfinitione, eiuſque negatione, & ſic de omiſſione. Contra tamen eſt, quia implicat eſſe operationem exercite abſque requiſitis ad ipſam operationem, vel omiſſionem abſque ſuis requiſitis. Sed præfinitio per vos eſſentiale requiſitum eſt ad operationem, & negatio præfinitionis ad omiſſionem operationis: ergo operatio præſcindens à præfinitione, & eius omiſſio præſcindens à negatione præfinitionis ſunt impoſſibiles, & ad quas nulla vera potentia realis eſſe poſſit; niſi admittat decretum Dei efficax (cuiuſmodi eſt cuiuſvis effectus diuina abſoluta præfinitio) fruſtrabile eſſe: quod & abſurdum eſt, & apud Theologos inauditum, alterique eiuſdem, & ſequacium aliorum aſſerto omnino diſcordans. Ait enim præfinitionem actionum noſtrarum, & ſi coniungi cum earum negatione poſſit neque eſſentia ſua cum actionibus connectatur præfinitis; aſt ſemper effectum habituram: vnde enim, ſi natura, & eſſentia ſua cum vtroque extremo coniungibilis præfinitio eſt, ſemper effectum operationis præfinitæ habituram hic Doctor nouit, ſi abſuit reuelatio, quæ operationis ex præfinitione contingenter prouenientis, ita, vt potuerit ex illa non prouenire abſolutam poſitionem ſupponat? hoc autem eſt efficaciam præfinitionis diuinæ extrinſecus operatione, præfinita conſtituere, vti nos decreti indifferenter concurrendi efficaciam concurſu ipſo Dei noſtræ operationi identificato conſtituimus, ſicuti & vocati, & vocationis, ſeu auxilij congruitatem, & efficaciam: quod ipſum eſt diuinas præfinitiones noſtrarum actionum deſerere, ad noſtraque caſtra tranſire. Ad hæc ſuæ ipſi doctrinæ Doctor hic contradicit. Eſti enim de diuinarum præfinitionum actuum humanorum efficacia, ſicuti, & de auxiliorum congruitate verè, & conſequenter loquatur; de auxilio tamen gratiæ entitatiue ſumpto ita conſectarie etiam docet contra ſuos Dominicanos Thomiſtas citata d. 58. ſect. 2. n. 10. *Primo dico contra primam* (ſuorum ſcilicet à ſe relatam n. 4.) *ſententiam. Non oportet quod gratia præueniens intrinſece inhærens, quæ in vno eſt efficax, ſit etiam efficax in alio maiore tentatione tentato: ac proinde non eſt verum dicere, quod gratia præueniens intrinſece inhærens, quæ aliquando eſt efficax, debeat eſſe efficax ſemper, & in quocumque alio ſuppoſito qualitercumque tentato*: ergo cum præfinitiones ſicuti, & vocationes, & auxilia gratiæ non de ſeſe efficaces, & coniunctas, ſeu connexas cum operatione præfinita, ſed potius natura ſua cum huius negatione coniungibiles docuit hic Author; eas ſemper habituras operationis præfinitæ effectum, efficaceſque proinde eſſe debere iuxta eius doctrinam dicere non oportebit.

CERTAMEN VIII.

Prima dependentia præfinitionis à libertate noſtræ voluntatis à Thomiſtis excogitata euaneſcit.

1. SEcundo alij Thomiſtæ ex alia parte à doctrina primæua ſua deficientes præfinitionis requiſitæ ad creatæ voluntatis operationes ab vſu libero voluntatis dependentiam in ſui abſoluta exiſtentia, & poſitione aliter, & aliter deſignant, vt aliquo modo antecedentem neceſſitatem operandi ratione intrinſecæ connexionis præfinitionis diuinæ cum effectu præfinito (quam præfinitioni, ſeu efficaci Dei decreto nefas eſt negare) cum creatæ voluntatis libertate in operando concilient: quippe quæ ſuæ poteſtatis vſu, & exercitio libero eiuſmodi inductam ſibi à præfinitione operandi neceſſitatem cauere, atque auferre poſſit. Vnde iuxta Boëtium, Anſelmum, & Patres ſuprà relatos non abſoluta, & antecedens neceſſitas voluntatis ad operandum præfinitione, ſed ex ſuppoſitione ſecun-

dum

retur. In hanc solutionem difficultate à nostris initio controuersiæ propositâ, & à nobis hactenus expensa, & si suo iudicio, vel saltem effato, leuissima, in simili conuictus tandem generatim, sibi contradicens iuit Aluarez, etsi enim d.8. de auxil.num.20. dixisset. *Auxilium efficax gratia non dependet ex libera cooperatione arbitrij, neque positiue, neque negatiue.* Posteaque. §. *Ad argumentum consone ait. Non est necesse quod auxilium efficax sit in nostra potestate, vt actus, quem virtute eiusdem auxilij producimus, sit nobis liber. Repetit eandem sententiam d.105.* Hoc suum dogma hausturn ex Bannez 1.p.q.23. art.3. dub.3. & Nauarrete controuers. 11. & 19. ante §.1. & suorum communiter, his retractat disp.23. num.31. *Quamuis peccator, qui non adimplet præcepta, non habeat auxilium efficax, quod necessarium est, vt actu operetur; potest tamen absolute loquendo illud habere, & sua culpa illud non habet.* Repetit d.61. de auxil. ad 7. inquiens: *Deum offerre omnibus auxilium efficax, & ex aliquorum culpa procedere, quod illud non recipiant.* Eadem contradictione loquitur Cabrera. Nam d.6. de auxil. intrusis 1. de incarnat. dub.3.num.109. dub.4. num.43. ait: non esse in potestate hominis, adhuc dispositiue, auxilium efficax, & ad q. 18. art.4. d.2.§.11. num.157. & 464. & 476. esse in potestate hominis aut ratione dispositionis negatiuæ. Ledesma item de auxil. q.vn.init. fundamento 4. supponens physicam prædeterminationem pendere à nostra voluntate media dispositione positiua actus alicuius, & art.1. ad 3. & art.3. ad 10. dependere à voluntate nostra prorsus negat. Zumel insuper t.1. opusculor.d.4. sect.2.concl.5. §.quomodo repellatur difficultas voluntatem posse adquirere physicam prædeterminationem docet se dispondendo positiuo actu, & tamen sect.3. concl.3. id ipsum ex instituto negat. Hanc Thomistarum contradictionem docte obseruat Soarez lib.5. de auxil. cap.10. num.40. & 41. ea vero contradictione omissa, & ab eius materia, scilicet auxilij intrinseca efficacia (de qua nunc disputare nec locus, nec animus est) abstrahens eam doctrinam, & solutionem dependentiæ à nostra libera voluntate (cui etiam subscribit Franciscus Dauila Dominicanus de auxil. 6.7. pag.55.) præfinitionibus applicitam ex instituto in præsentiarum examinabo. Siquidem auxilij, aut prædeterminationis dependentia admitti quouis modo ab aduersariis nequit, quin & præfinitionis, qua illa à Deo conferuntur eodem prorsus modo dependentia admittatur: tum, quia cum hac præfinitione à Deo concepta necessario, & omnino inimpediblliter prædeterminatio, & auxilium efficax ea præfinitione independenter à nostra voluntate posita, dependentiæ prædeterminationis à voluntate nostra locus non supereſt: tum, quia dependentia dispositiua prædeterminationis, & auxilij à nostra voluntate, siue negatiua, siue positiua motionis intentionalis voluntatis diuinæ, vt ea velit conferre, solummodo esse potest: a c proinde primario voluntati, seu præfinitioni diuinæ conuenit, & secundario prædeterminationi, seu auxilio: quare, qui hanc quoquo modo prædeterminationis, & auxilij efficacis de se dependentiam asserunt, primario diuinæ præfinitioni conuenire supponunt.

2. Et quanquam dependentia hæc præfinitionis à nostra voluntate dispositiuæ ab his, non admodum recentibus Thomistis asserta, dupliciter, vt vidimus, asseratur, scilicet, vel dispositione præuia positiua per actum positiuum, qui præfinitionem præcedat vel negatiua per omissionem actus, qui eam præfinitionem impediat, atque alteruter modus specialibus impugnationibus reiiciendus postmodum, sit, tamen in primis simul vterque impugnatur. Quia iuxta alterutrum immediata voluntatis nostræ, ad actum præfinitum libertas perit, vt mediata saluaretur. Probatur quia, etsi libertas, & nostræ potestatis sit præuia illa dispositione, siue positiua, siue negatiua ponere præfinitionem ex parte actus primi requisitam à voluntate ad operandum actum præfinitum: ea tamen semel posita, & de se connexa essentialiter cum actu præfinito (vt ita respondentes aiunt) non potest ex parte actus primi proximi non poni actus præfinitus à voluntate: ergo adest voluntati necessitas absoluta antecedens, & proxima illum actum apponendi, & absoluta antecedens impotentia proxima illum omittendi: ergo deficit voluntati potentia absoluta antecedens proxima illum omittendi, quæ huic impotentiæ, & illi necessitati contradicit: ergo & proxima libertas. Probatur vltima consequentia; nam reliquæ, & de se patent, & obiter sunt probatæ. Quia libertas causæ est absoluta potestas ad operandum, vel non operandum positis requisitis omnibus, &c. ergo, quo gradu fuerit potestas hæc ad vtrumvis requisitis positis, &c. erit libertas, & quo defecerit gradu deficiet libertas causæ: sed posita præfinitione actus, etiam dependenter ab vsu præuiæ voluntatis se negatiue, vel positiue disponentis ad illam per omissionem, vel positionem alterius actus, non est potentia proxima ad omittendum illum, sed proxima potius necessitas illum ponendi, & impotentia etiam proxima antecedens ipsum omittendi: ergo non est libertas proxima ad actum. Confirmatur, quia in communi Philosophorum, & Theologorum, etiam aduersariorum, sententia, etsi intentio efficax finis, & actus quiuis imperans efficaciter actum alium voluntatis pendeat in sui positione ab vsu libertatis voluntatis liberæ intendentis finem, vel alium eius actum imperatum; tamen eis ita positis voluntas proxime, & immediate libera non est ad electionem vnici medij, vel ad actum imperatum apponendum: quia intentione efficaci finis connexa de se cum ea electione, & actu imperatæ de se connexo cum imperato positis ex parte actus primi determinatur, necessitaturque ex parte actus primi voluntas ad electionem illam, & actum imperatum, imposque absolute ex parte actus primi, & antecedenter redditur ad illos omittendos: id autem ipsum facit in voluntate præfinito respectu actus præfiniti, etsi ponatur ex parte actus primi dependenter à dispositione libera voluntatis per alterum actum, vel per omissionem actus alterius: ergo ea solutione non saluatur proxima, & immediata libertas voluntatis respectu actus præfiniti posita præfinitione requisita ad illum, ipsique de se connexa, ac proinde absolute antecedenti ad ipsum operandum.

3. Tertio inde arguo: Præfinitio non relinquit immediatam, & proximam libertatem voluntatis ad actum præfinitum posita præfinitione requisita: ergo nec mediatam in vestris principiis. Præfinitio per vos essentialiter requiritur ad omnem actum, imo & negationem actus, ergo quiuis actus, vel negatio supponit ex parte antecedentis sui præfinitionem necessitantem ex parte actus primi absolute antecedenter voluntatem ad præfinitum: ergo nulla dispositio præuia etiam remotior, & remotior libera proxime, & immediate voluntati erit, posita præfinitione, vt nuper ostendimus. Vnde ergo actus vltimus præfinitus mediate liber erit, si remotiores, & remotiores, siue actus, siue negationes à voluntate præuiè & dispositiue positæ liberæ proxime, & immediate non sunt? Etenim libertas mediata actus posterioris ex proxima, & immediata anterioris debet prouenire: vt electionis medij vnici supposita intentione efficaci finis, ex huius immediata, & proxima libertate, & actus imperati ex libertate proxima imperantis; quam, si hi anteriores actus, & ad hos necessitantes non haberent, nec mediatam libertatem imperatus, & electio obtinuissent. Antecedens primum, quoad dispositionem præuiam positiuam voluntatis per actum quemuis constans apud aduersarios est. Asserunt quippe præfinitionem ad omnem voluntatis actum prærequiri. De dispositione autem negatiua contingenti idemtidem præfinitionem requirunt vt si à Deo cognoscatur infalliblliter; alioqui, si hæc in se, ac non in causa necessaria, seu præfinitione cognosci à Deo infallibiliter posset, & actus contingens absque præfinitione cognosci à Deo contra ipsos valeret. Tertiò Dei voluntatem non posse circa obiectum aliquod pure omissiue se habere plurium, imo omnium ex ipsis doctrina est, & huic de cognitione contingentiû in præfinitione, tanquâ in causa constanter suæ, valde conformis. Quartò de negationibus, quibus se voluntas disponat ad præfinitionem actus honesti, & meritorij vitæ æternæ debere esse ex præfinitione, seu voluntate efficaci Dei supernaturali certissimum est ex fide & horum principiis: Siquidem ea Dei voluntas est dis-

cretiua bene operantis à non operante, seu male operante v. g. credentis à non credente, cuius etiam remotissimum principium, & inchoatio, quæcumque sit, non, nisi ex misericordi Dei voluntate esse debet: omnis autem misericors Dei voluntas, quouis gradu, & modo conducens ad actus honestos meritorios in aduersariorum sententia est efficax, & præfinitio: ergo & negationis dispositiuæ ad præfinitionem actus honesti, & meritorij (v. g fidei) debet efficax Dei voluntas, & præfinitio. Cum autem ex hac præcedentia inferatur (vt nunc ostendebamus) actum ne mediate quidem liberum esse; fiet iuxta hanc solutionem, quam impugnamus, nullum actum honestum, etiam supernaturalem, & Theologalem, liberum adhuc mediate esse posse. Vnde infertur iuxta horum præsentem solutionem, & principia, neque esse posse meritorium: quo nihil magis absurdum, & Catholicis dogmatibus dissonum potest excogitari.

4. Sed iam assignatas liberas dispositiones nostras, à quibus præfinitiones operationum nostrarum in sui positione dependeant, singulatim refellamus, & primo liberam dispositionem per actum positivum, quam assignant Ledesma, Zumel, & Dauila. Etenim per hos ad omnem actum positivum voluntatis nostræ necessaria est præfinitio: ergo nullus actus esse potest, quo disponamur ad præfinitionem absque præuia præfinitione. Patet consequentia, quia implicat extra omnem actum esse aliquem actum: alioqui hic aliquis in cumulo omnium aliorum non est: ac proinde in cumulo illos omnes actus non sunt: quod suppositioni de omnium actuum nostrorum dependentia à præfinitione diuina contradicit: erunt enim hæc simul vera. *Omnis noster actus pendet à præfinitione, aliquis actus non pendet à præfinitione.* Iam vero cum actus ipse præfinitus posita præfinitione requisita ex parte actus primi, vt voluntas operetur, liber in se formaliter, & proxime liber non sit (vt vidimus nuper, & aduersarij hac solutione supponunt ad libertatem præuiè dispositionis positiuæ recurrentes, quam in actus præfiniti exercitio, & positione nequeunt inuenire) si nullus actus quantumuis anterior, & anterior absque præfinitione potest inueniri, vt ex aduersariorum dogmate alio demonstrauimus, sit plane nullam ad præfinitionem alicuius actus præuiam dispositionem liberam, siue aliquo actu præuio libero apponi à nobis posse. Contra secundo arguo deducendo aduersarios, vel ad processum infinitum anteriorum, & anteriorum actuum prius, & prius disponentium, vel ad dogmatis illius sui, *diuina præfinitio necessario requiritur, seu prærequiritur ad omnem actum nostræ voluntatis*, contradictorium. Etenim, vel ille actus, quo libere disponimur ad præfinitionem actus fidei, est non supposita Dei præfinitione, vel necessario ab ea supposita procedit. Si primum: ergo aliquis actus positivum esse potest, imo de facto est, absque supposita præfinitione: quod aperte vestro illi dogmati contradicit: *Omnis actus est, effegue debet ex præfinitione supposita; siue nullus actus est, esseve potest absque præfinitione suppositа.* Si secundum præterquam, quod liber ille actus in se immediate, & proxime non erit) supponet alium actum positivum, quo voluntas ad eius præfinitionem libere positiue disponatur iuxta hanc solutionem; alias, ne mediatam quidem libertatem, tam ipse, quam ipsum præuiè supponens actus fidei præfinitus habebunt. Rursus de tertio hoc actu, tribus retro gradibus præuio disponente, redintegratur interrogatio, & difficultas sit ex præfinitione actuali præuio dispositiue quarto gradu anteriori ad præfinitionem tertij actus, neene & sic in infinitum de anterioribus, & anterioribus actibus præuiè dispositiuis ad præfinitiones necessarias actuum subsequentium: nisi ad actum aliquem anteriorem deueniatur, qui ex supposita præfinitione non sit, & in quo dogma illud aduersariorum falsificetur. *Omnis actus necessario supponit, ac prærequirit diuinam præfinitionem*: quia qui eam non præ requirat, aliquis erit: vnde, cum eadem de vno, ac de reliquis actibus nostris, quo ad prænitionis requisitionem, vt à voluntate apponantur, ratio, & causa sit, fiet nullum esse actum, qui eam prærequirat: quare, & contraria hæc dogmati eorum propositio. *Nullus actus voluntatis nostræ diuinam præfinitionem requirit*: in qua tot illius contradictoriæ, quot sunt actus à nostris, & omnibus possibilibus voluntatibus, clauduntur. Denique, cum non possit esse actus vllus sine præfinitione ipsius, neque hæc sine actu præuio, infertur, non solum processus infinitus actuum, & præfinitionum, anteriorum, & anteriorum, sed & auxiliorum sufficientium (in quocumque illa aduersarij constituant) si actus præfinitus meritorius vitæ æternæ sit: quia sine auxilio sufficiente ad actum præuium præfinitioni ad actum meritorium impossibilis est hic actus, & sine sufficienti ad actum vlteriorem præuium præfinitioni actus præuij primi nequit esse ex actu præuio secundo, præuius primus, & sic in infinitum: vnde, vt absolute voluntas habeat in sua potestate præfinitionem ad aliquem actum debet habere in sua potestate infinita auxilia sufficienti, a sine quibus absoluta potestas non est.

5. Dispositio autem præuia negatiua ad præfinitionem actus libera voluntati, ratione cuius præfinitio illa à voluntate nostra pendeat (quæ nuper impugnatis Thomistis displicet, placet autem Cabreræ loco postremo) impugnatur. Quia, cum omissio illa præuia dispositiua ad præfinitionem actus, v.g. fidei, libera, vt præfinitionem habeat voluntas in sua potestate habere debet (vt nuper in simili dicebam) sufficiens auxilium ad actum omissionis illius; cum enim libertas siue ad actum, siue ad eius omissionem absque sufficiente ad vtrumvis potestate (quæ auxilio, siue adiutorio voluntatis sufficiente completur) esse nequeat: fit plane sufficiens adiutorium ad actum, cuius omissio libera præuia debet præcedere ad præfinitionem actus fidei, debere etiam voluntati adesse: ergo adesse voluntati debent infinita auxilia, siue adiutoria sufficientia ad infinitos actus, & omissiones præuias dispositiuas anteriores, & anteriores. Probo consequentiam: quia, iuxta huius solutionis doctrinam, vt actus in impedibiliter à præfinitione præcedente natura, & causalitate (& cui connexa de se est præfinitio est) libera præuiè disponens sit, requirit auxilium sufficiens ad actum omissum: ergo ad omissionem hanc vt libera sit, debet præcedere carentia diuinæ præfinitionis actus omissi: patet, quia huius præfinitione posita non est libertas, & potestas proxima voluntati omittendi illum, vt hæc solutio, recurrens ad præuiam libertatem dispositionis negatiuæ ad habendam præfinitionem actus præfiniti; supponit, & fatetur: ac proinde absque negatione præfinitionis actus omissi non datur absoluta proxima potestas voluntatis ad huius omissionem, quare neque auxilium, siue adiutorium sufficiens ad illam: sed posita carentia præfinitionis actus omissionis præuia, omissio hæc præuia non est in se proxime, & immediate libera: ergo vt libera sit voluntati, recurri in hac doctrina debet ad omissionem præuiam anteriorem alterius actus voluntati liberam, ratione cuius negatio præfinitionis, ac subinde præuia omissio, quæ effectus huius est, libera & absolute in potestate voluntatis sit: ac proinde quæ auxilium sufficiens, siue adiutorium ad actum illum, cuius omissio illa secundo loco anteriore debet præcedere. In qua, & anterioribus, & anterioribus in infinitum argumentum de auxiliis sufficientibus, & exercitiis libertatis voluntatis vlterius, & vlterius præcedentibus eodem modo, & robore instauratur. Quod autem posita carentia præfinitionis actus omissionis primæ præuiæ dispositiuæ ad præfinitionem actus alicuius (v.g. actus fidei) non sit proxime, & immediate libera eiusmodi omissio probatur facile contra ita respondentes. Quia posita præfinitione supponunt, ita respondentes non esse actum præfinitum in se immediate, & proxime liberum: quia de se se cum actu præfinito connexa essentialiter præfinitio est: ac proinde semel posita nullam proximam, & immediatam potestatem voluntati ad eius omissionem relinquit: quare neque absolutam ad actum præfinitum, quæ sine absoluta ad vtrumvis potestate esse nequit, libertatem: atqui negatio præfinitionis actus æque de se connexa essentialiter est cui eius omissione, seu negatione ipsius: ergo semel posita non relinquit voluntati immediatam, & proximam ad actum potestatem: quare neque ad eius omissionem, seu negationem quid, & consequens tantum modo necessitas afferretur,

nem, absolutam, & immediatam, seu proximâ libertatem. Ex hoc autem euidens est illata consequentia, quia, sicut defectu immediatæ, & proximæ libertatis voluntatis ad actum præfinitum semel posita præfinitione ad libertatem omissionis, seu negationis alterius actus præuiam dispositiue præfinitioni recurritur, vt absolute aliquo modo liber sit, actus præfinitus, atque in voluntatis potestate: ita, vt libera absolute aliquo modo, & in potestate voluntatis sit omissio, seu negatio actus semel eius præfinitione necessario sublata per negationem præfinitionis ad præuiam dispositionem negationis alterius actus liberæ, æqua negatio præfinitionis actus oppositi debet præcedere: ac subinde alia, & alia negatio præuia dispositiua ad anteriorem, & anteriorem negationem præfinitionis aliorum actuum, quorum omissiones ad negationes præfinitionum eorum vlteriores, & vlteriores in infinitum sunt.

6. Mitto alia plura, quæ contra hanc solutionem ex impossibilitate auxilij sufficientis hæc præfinitione inducta possent opponi: vnde alius infinitus processus præfinitionum vlteriorum, & vlteriorum aperte inducitur, cum ad libertatem dispositionis præuiæ, siue positiuæ, siue negatiuæ ad præfinitionem actus cuiuslvis requiratur præfinitio actus, siue præuiæ omittendi, siue apponendi, siquidem sine absoluta voluntatis ad actum, nequit esse ad illum, neque ad eius omissionem libertas absoluta, quæ in absoluta ad vtrumvis potestate consistit, sine præfinitione autem actus, cum auxilium sufficiens ad illum non sit (vt cert.11. ostendemus) neque erit ad ipsum sufficiens voluntatis absoluta potestas ad vtrumvis, neque ad ipsum, neque ad eius omissionem libertas: sed tandem discere ab illustrissimo Aluare, his præmissis, vellem quo pacto Deus offerat cunctis præfinitionem præderminatiuam honesti præsertim (de quo loquitur) actus efficaci auxilio necessario præcedentem? Cum enim omnibus non detur, non offertur absolute cunctis: offeretur ergo illis conditionate, si se præuie alio actu positiue, vel actus alicuius omissione negatiue, libere tamen, disponant ad præfinitionem à Deo obtinendam: quare alterutra dispositione præuia non opposita in culpa sint, cum illam à Deo non habent, vidimus autem in infinitum regrediendo neutram earum dispositionum liberam esse posse. Neque assignari potest actus præuius bonus positiue disponens ad præfinitionem actus alterius boni, qui præfinitione alia opus non habeat; actus vero malus, nec de se dispositio ad præfinitionem actus boni est, neque ex Dei lege, & præstituto esse potest. Eademque de causa, neque omissio alterius actus boni, ad actus honesti præfinitionem negatiue potest disponere, in actus vero mali omissione processus similis infinitus infertur. Præterquam quod, neque actus bonus, neque actus mali omissio naturalem connexionem cum præfinitione actus alterius boni habet: nec Dei pactum de concipienda præfinitione actus honesti, v. g. fidei, vllo scripturæ, aut Patrum fundamento dicetur. Deinde, cum nullum extet præceptum de eliciendo opere bono non præcepto, nec Dei pactum præficiendi actum fidei, si eliciatur, quo pacto illius omissione in culpa fuit, is, cuius actus fidei præfinitus non est, non habendi præfinitionem ad illum? Similiter, qui actum malum alium exercuit, etsi in culpa fuerit exercitio illo contra virtutem, cui actus ille opponitur; cum tamen, neque actus illius omissioni annexa, vel ex natura rei, vel ex Dei præstituto sit præfinitionis ad fidei actum negatio, sicuti neque actui ad fidem præfinitio (vt contentiæ actum adfuit in aduersariorum sententia, cum nihilo melior, sed peior fortasse socio malo latrone incredulo, & impenitente fuisset) non ideo, quia alius actum bonum omisit, vel malum quis exercuit infallibiliter alterius fides præfinita est: sed quia ita suæ gratiæ, & electionis ad bonum, seu præfinitionis Dominus Deus est, vt neque ante acta peccata ipsum præpediant ne præfiniat, seu eligat; neque præexercitæ virtutes, ipsum obligant, & quasi iure retinent, vt actum bonum vlteriorem præfiniat. Et sane in præfinitione primi actus boni, & negatione præfinitionis ad illum præuiè omnes dispositiones, siue positiuæ, siue negatiuæ ad illam, vel obtinendam, vel non obtinendam exterminantur. Siquidem absque vlla præuia dispositione, siue bona, siue mala positiua, vel negatiua actus bonus à Deo præfinitur (loquimur in horum doctrina) in vno, non præfinitur in alio, sed potius permittitur peccatum, vt de Iacob, & de Esau aiebat Paulus: *Antequam quidquam boni egissent, aut mali.* Ex quibus, & plus satis, confutatus manet Zumel supra asserens eum, qui peccat potuisse obtinere, ac disponi ad præfinitionem actus boni, quo non peccaret, seu conuerteretur, per voluntatem, cessando à negotiis sæcularibus, & attendendo serio ad periculum status peccati.

7. Verum ad Theologicas contra hanc solutionem rationes, veniamus, quarum vim vltima hac impugnatione, etsi presse, attigimus tamen, fusius hic ostendam. Cuius ostensioni præmitto dogma Theologicum contra Pelagij, & reliquiarum eius errores: quoduis nempe initium & inchoationem qualemcumque ad opus supernaturale, & quouis gradu ad gratiam, & salutem conducentem ex viribus naturæ solis, ac sine misericordi Dei voluntate, & supernaturali (saltem quo ad modum) auxilio esse minime posse. Hoc quidem ex Patribus, Conciliis, & Catholicis Theologis statuebam tom.1. de ente supernaturali (qui totus de ente supernaturali in genere, ac de supernaturalibus habitibus, gratia cum auxiliante, tum iustificante, ac merito erit, ac Deo dante post præsentem tomum prælum adibit) interim videanturnostri Vasq.1.2. tom.2 totis. disp.189.& d.190. qui ad hanc rem scripturæ Patrum, Conciliorum, Theologorum, & rationum Theologicarum momenta stupenda eruditione, & argumentatione congessit, & instruxit: & Ioann. Martines de Ripalda d.17.de ente supernatur.sect.1.n.4.& sect.3.& 4. sufficiant nunc Concilij Arausicani.2. verba quibus Semipelagianorum error damnatur can.6. scilicet *Vigilantibus, petentibus, quærentibus, sine auxilio gratiæ adiungi misericordiam Dei* (ecce præfinitionem, vt vis, diuinam) *& gratiam.* Hinc infero: ergo in potestate homicis non est adquirere per præuiam positiuam dispositionem, præfinitionem, seu misericordem Dei voluntatem primam ad primum actum bonum per aduersarios requisitam. Probo consequentiam. Si illa præfinitio acquiratur per actum præuium disponentem ad illam, actus hic præuius, vel erit à misericordi Dei voluntate, quæ apud te est præfinitio, vel prorsus absque illa, ac proinde viribus naturæ. Si primum: ergo præfinitio illa, ad quam actus præuius disponit, nec prima est, neque actus illa præfinitus primus actus contra suppositionem erit, sed præuius disponens, eiusque præfinitio, in quo & reliquis in infinitum argumentum instaurabitur. Sin autem, vt adeo proxima, & aperta absurda vites, dicas secundum, expresse Paulo aduersaris dicenti ad Ephes.2. *Donum enim Dei non est ex operibus naturæ*, de quibus ibi agebat. Secundò, ergo iam prima illa misericors, & gratuita Dei voluntas, ex qua gratiæ auxilium (in quocumque stet) gratuitum, neque auxilium gratiæ, vt aiebat Paulus ad Roman.11. scribens. *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Tertiò: Dei voluntas misericors spectat, sequiturque posterior nostræ voluntatis operationem viribus propriis absque Dei gratuita præfinitione, ac subinde auxilio gratiæ elicitam, cuius oppositum defuit Arausicanum 2. can. 4. & statuit Paulus ad Roman.11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Id emphatica interrogatione vniuersim negans. Quartò ergo iam misericors Dei voluntas, & gratia volentis, atque currentis erit, non Dei miserentis contra illud Pauli. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Quintò, ergo voluntas nostra libertate sua consequitur Dei voluntatem misericordem, & gratiam contra illud Augustini de corrept. & grat.c.1.2.& 8. *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem.* Sextò, ergo cum per illam præfinitionem, & misericordem Dei voluntatem discernatur fidelis ab infideli, & tandem prædestinatus à reprobo, si ea in præuie disponentem actum ad illam viribus naturæ elicitum refundenda, iuxta hanc doctrinam sit, in ita se disponentes tandem eorum ab aliis discretio reducetur. Et vbi est illud Pauli, quod doctrinæ nostræ inaniter, suæ vero raucitati vtiliter inclamant:

Quis est, qui te discernit ? septimo cum præuium actum disponentem ad præfinitionem infallibiliter sequatur, horum sententia, præfinitio, & hanc sequatur infallibiliter auxilium efficax, atque hoc immediate, infallibiliter, actus præfinitus, si hic contritionis, seu perfectæ charitatis sit, cui annexa etiam necessario est iustificatio, infertur: posse nos viribus naturæ disponi, & adquirere infallibiliter cum auxilium gratiæ efficax (si ita acquisitum gratia foret) tum etiam gratiam iustificantem quod non modo Semipelagianum sed & Pelagianum est.

8. Octauo: iuxta horum doctrinam, actus mediate solum liber ratione actus præuij, qui in se formaliter proxime, & immediate liber est & nil meriti supra meritum præuij illius actus addit (vt constat de actu imperato, siue interno, vt actus fidei ab affectu efficaci credendi, & alij affectus voluntatis imperati efficaciter ab aliis, & electio vnici medij ex intentione efficaci finis de externo: atqui iuxta huius solutionis doctrinam actus præfinitus solum est, vt summum, mediate liber ratione libertatis proximæ dispositionis præuiæ ad præfinitionem, vt vidimus num. 2. ergo nil meriti affert, apponitve de suo supra meritum præuiæ dispositionis. Tum sic ergo actus supernaturalis præfinitus non est absolute meritorius, iuxta secundum membrum dilemmatis ab aduersariis admissum, quod impugnamus; quod absurdissimum est. Probo consequentiam: Actus mediate liber nil affert vel habet meriti supra meritum actus præuij, ratione cuius libertatis, mediate liber est; sed actus præuie disponens præfinitionem actus supernaturalis, iuxta secundum membrum dilemmatis ab aduersariis admissum, nullum habet meritum: ergo nec actus supernaturalis præfinitus aliquid meriti habet. Minor probatur, quia, iuxta secundum dilemmatis membrum, quod insectamur, actus ille præuiè disponens est ex viribus propriis, & naturalibus nostræ voluntatis, & absque præfinitione illius, atque à Deo absque auxilio gratiæ Dei necessario ad operandum: at nullus actus ex viribus naturalibus absque auxilio gratiæ est meritorius iuxta definitiones Concilij Arausicani, & dogma Theologicum & fidei: ergo actus ille præuie disponens ad præfinitionem actus supernaturalis, & ratione cuius libertatis hic mediate liber est, meritorius non est. Si dicas actum illum præuium esse ex voluntate misericordi, & gratuita Dei, quæ tamen præfinitio non sit, ac subinde ex auxilio gratiæ, & si de se non prædeterminante, & efficaci: quare, & esse supernaturalem, & meritorium: iam admittes contra tuam doctrinam, præfinitionem, & subinde tuam prædeterminationem non esse necessariam vniuersim, & simpliciter ad operandum, nec solum ad posse, sed & ad operari: siquidem aliqua operatio de facto à te admittitur absque præfinitione. Imo fateri cogeris ad nullam operationem, etiam supernaturalem, requiri: quia in eo actu præuio absque præfinitione prædeterminatiua infringuntur omnia adeo difficilia, vt putas, & pugnantia contra dogmaticam arbitrij libertatem argumenta. Primum debita subordinatio causæ secundæ ad primam in operando secundum prima determinatio primi liberi, qualis est Deus, ad secundorum determinationem. Tertium indifferentia principij, à quo tamen fit actio determinata. Quartum eleuatio naturæ vltra vires suas ad ordinem gratiæ. Quintum, quod, *vt faciamus faciat Deus: & operetur in nobis, & velle, & perficere.* Sextum, quod nihilominus à non se disponente actu præuio supernaturali ad præfinitionem discernat Deus, neque se hic discernat ab illo. Hæc siquidem omnia saluari ab aduersariis, si ita respondeant, omnino debent, vt actus ille præfinitioni præuius, & supernaturalis à misericordi, & speciali Dei voluntate, & supernaturali auxilio gratiæ inde orto de se tamen non connexis cum eo actu præuio, neque vllatenus ad ipsum nostram voluntatem prædeterminantibus, absque præfinitione, & auxilio de se se efficacibus à nostra voluntate apponantur. Quod quidem in nostram sententiam de efficacia voluntatis diuinæ, & auxilij gratiæ extrinsecus desumptam ab effectu, recidere prorsus est. Siquidem illa Dei voluntas, illudque auxilium, cum effectum sortiatur efficax aliquo modo est: quin alias, quam per denominationem ab effectu ipso extrinsece desumptam esse possit. Inde vero & scientiam Dei de futuris contingentibus absolutis, & conditionatis in seipsis, ac non in causis, aut conditionibus eorum admittere necessarium consectarium est. Iamque (quod faciendum tandem spero) vtriusque de rebus hisce scholæ concordiam habebimus.

CERTAMEN IX.

Ex impij iustificatione vlterior eiusdem solutionis impugnatio.

1 RVrsus à capite præuiæ dispositionis liberæ ad præfinitionem (siue ea naturæ viribus, siue ab auxilio gratiæ, & misericordi Dei voluntate de se non efficacibus proueniat) solutionem impugno: quia ponamus præfinitum actum esse actum contritionis, quo peccator ad Deum conuertitur. Tunc, ne in infinitum abeamus, actus præuius proxime ad præfinitionē, & prædeterminationem contritionis à Deo. Erit dispositio vltima ex parte nostræ voluntatis, quam iuxta solutionis huius doctrinam infallibiliter sequatur contritionis præfinitio, & inde prædeterminatio, & contritio, & exinde iustificatio impij ab ea inseparabilis: ergo actus ille præuius erit dispositio, infallibilis, & quæ absolute ponat impij iustificationem extra Sacramentum, quod est inauditum: tantundem enim est esse immediatam & vltimam dispositionem ad id, quod inseparabile est ab alio, atque esse dispositionem ad illud. Id quod de actu præuio ad auxilium efficax (de quo non disputamus, in quo consistat, & in quo aduersarij eadem solutione vtuntur) immediatius concluditur. Confirmatur consequentia: quia non alia ratione Deus dicitur nobis dare contritionem, nisi quatenus iuxta hos Doctores præfinit illam, & iuxta omnes Doctores auxilium efficax (in quocumque stet) & operaturum donat, infallibiliter cum contritione coniunctum. Item qui dat formam dare consequentia necessario ad formam, in physicis, & moralibus dogmaticum apud Philosophos, & Theologos proloquium est. Contra secundò illatione quæ consequentiæ illius absurditatem magis prodit. *Ergo qui lethali culpæ subiacet, si bene sufficienti vtatur auxilio, præsto ei aderit auxilium efficax, & cum eo gratia iustificans.* Quæ propositio, etsi admittatur, vt doctrinæ huius consectaria conceptis verbis à Franc. Dauila dominicano supra citato pag. 55. & 71. quam sit absurda sic ostenditur.

2. Præuius actus ex bono vsu gratiæ sufficientis præfinitioni contritionis perfectæ, auxilioque efficaci adillam, & contritioni congruentior, atque natura sua accommodatior assignari, excogitariue non potest, quam attritio ex auxilio gratiæ sufficientis & motiuis, ex quibus ad sacramentum pœnitentiæ concipi debet. Est siquidem de peccatis præteritis detestatio efficax, ac proinde propositum efficax pro tunc de cætero non peccandi virtute saltem claudit: in quo affectu peccatorum illecebræ, illices Lenocinia, & pellicatus ex motiuis fortioribus, & superioribus deuicta, despectaque à voluntate sunt: quo scilicet expeditius, faciliusque voluntas ob immensam summe diligendi Dei bonitatem, & beneficentiam munificentissimam detestationem, & propositum idem repetat, atque experimur quidem ob præfatam congruitatem, & proportionem attritionis præfatæ ad contritionem perfectam de peccatis ad hanc peccatores semper, & quasi ex ordinaria diuinæ, etiam supernaturalis, prouidentiæ lege disponi; ergo semper de ea lege ordinaria bono vsu sufficientis auxilij in actu præuio disponente ad præfinitionem, & auxilium efficax ad contritionem, bonus vsus auxilij sufficientis in actu attritionis secum reliqua sequentia deuoluit: vel saltem quotiescumque peccator concipit animo ex auxilio sufficienti gratiæ attritionem, ponit actum præuium omnium excogitabilium congruentissime disponentem præuie ad contritionem, auxiliumque efficax ad illam, & illius præfinitionem. Atqui posito actu præuio disponente ex bono vsu gratiæ sufficientis ponitur per se, & infallibiliter, per vos præfinitio contritionis, sine qua auxilium efficax ad illam

poni nequit, auxilium efficax contritio, & eius affecta individua gratia iustificans: ergo quotiescumque etiam extra Sacramentum est attritio de peccatis in peccatore per se necessario, & infallibiliter est etiam de eisdem contritio, & iustificatio. Hoc autem præter quotidianam experientiam aduersam expresso contradicit Tridentino dicenti sess. 14. cap. 4. *Attritionem sine Sacramento Pœnitentiæ per se non posse peccatorem ad iustificationem perducere.*

3. Et sane si attritione extra Sacramentum ad contritionem perfectam, & iustificationem perduceremur per se infallibiliter peccatores Christo Sacramentum Pœnitentiæ instituenti, ac nobis Sacramentalem Confessionem adeo difficilem præcipienti, obedientiam quidem, ast non gratias deberemus: pondus siquidem ea nobis esset non subsidium. Quarto, nec verum esset vllo sensu in Sacramento Pœnitentiæ ex attrito fieri peccatorem contritum, vt idem Tridentinum ait; Cum formalem contritionem (independenter à Sacramento præuia offerat infallibiliter attrito. Nec quo ad effectum iustificationis, qui in dependenter etiam à Sacramento Pœnitentiæ contritionem præuia attritione adductam consequitur. Quinto, cum præfinitio contritionis, contritio, & gratia iustificans, seu formalis iustificatio ex præuia attritione disponente simul necessario apponantur nunquam iustificatio impij virtute Sacramenti, & absolutionis, quæ eius essentialis forma est, adhuc comitâter peragetur, quod est contra fidem, vt Docte probat Vasq. de Pœnit. q. 84. art. 3. dub. 1. à n. 5. contra priscos, & recentiores Hæreticos solita eruditione Patrum, & Conciliorum, præsertim Tridentini sess. 14. cap. 1. & 6. & can. 3. 9. & 10. Assumptum probatur: quia absolutio post Confessionem peccatorum dolorosam tempore, & duratione successiua: ac proinde post attritionem, quæ in eodem instanti antecedenti absolutionis inchoationem (ne dum perfectionem necessariam, vt tam ipsa, quam Sacramentum, quod constituit confitentis iustificationem operentur) præfinitio contritionis, & iustificatio infallibiliter simul adest: ergo cum absolutio, & Sacramentum Pœnitentiæ peragitur inuenit impium iustificatum, atque peccatis anteacta duratione solutum, & absolutum: ergo nec eum iustificat, neque à peccatis soluit, seu absoluit. Quid ergo restat iuxta horum solutionem, quam impugnamus, nisi clauium potestatem cum VVicleffo, Luthero, Melanchthone, & huius Farinæ Molinatiis, ne Catholicissimæ Molinæ nostri doctrinæ consentiatur, Ecclesiæ denegare?

4. Sexto: quia, cum omnes bene instructi fideles sciant Confessionem Sacramentalem, non historicam solum, sed dolorosam de peccatis esse debere, antequam ad Sacramentum accedant (ni temere accedant) dolorem saltem attritionis debent concepisse, & se habuisse iudicare: quare Ecclesiæ totius praxis est hortari peccatores, vt antequam peccata sua pœnitentiæ Sacramento expiaturi ad Confessionem se præparent, non solum ante actorum peccatorum recogitatione matura, sed in primis efficaci, & quam maximo, gratiæ auxilio, possint peccatorum dolore saltem attritionis; quam ni præconceptam à se iudicent Sacramentali Confessione abstineant, eos horramur, si ergo ante Confessionem Sacramentalem attriti esse debent, ac subinde iuxta hanc solutionem iustificati, vel saltem contritos se credere, ne temere accedant, multo ante Confessionem, ne dum absolutionem tempore iustificati erunt à peccatis, vel saltem se iustificatos credent, qui non temere ad illam accedunt. Ex quo septimo arguo. Cum enim cum hoc iudicio firmo de sua attritione, & debita dispositione ad accedendum rite ad Confessionem Sacramentalem cum fide absoluta, & spe certa suæ à peccatis iustificationis per Sacramentum obtinendæ nequeat accedere: fiet, neminem, qui de suo dolore, attritionis adhuc, de peccatis suis dubius non sit, posse cum ea Spe, & Fide absolutis, formalibus, vel virtualibus, accedere: cum autem hæ etiam dispositiones necessariæ ad Sacramentum Pœnitentiæ per omnes Theologos sint, & cum iudicio illo firmo de dolore suo saltem attritionis de peccatis sint incompossibiles, fiet neminem cum omnibus dispositionibus necessariis posse, ad Sacramentalem Confessionem accedere; quod est absurdissimum, temerarium, errorique proximum.

5. Nec satis hæc in contritione, ad quam pœnitentes, antequam ad Sacramentalem Confessionem accedant, hortamur instari possunt: quia neque iudicium firmum de ea, neque ipsa, vt dispositio requiritur, vt cum absoluto actu fidei, & spei de iustificatione à peccatis per absolutionem recipienda, quæ altera dispositio est, pugnet; neque adeo facile, & frequenter contritio de peccatis concipitur, nec iudicium firmum de habita contritione perfecta concipi potest; quin certos nos de eius existentia in hac vita, nisi ex Dei reuelatione, esse non posse, dogma fidei proximum est: cum non posse nos esse, nisi ex Dei reuelatione de nostra iustificatione certos definitum in Tridentino sit satisque illis verbis, *nemo scit vtrum amore, an odio dignus sit?* Declaratum: de attritione vero de peccatis ob pœnas à Deo in alia vita, (& si læthalia peccata fuerint, ne nos de ipsis pœniteat, æternum) infligendas, certi esse possumus, & frequenter certissimi: ergo infertur non posse nos credere, aut sperare absolute iustificationem à peccatis per Sacramentalem Confessionem.

6. Minus præstat, satis esse fidem, & spem conditionalem: sicuti, cum quis cum iudicio probabili de sua contritione accedit. Tum, quia cum certus est absolutè de sua attritione, illa fides & spes, pro tunc, essent de conditione impossibili sibi nota in hac doctrina; scilicet si non sim iustificatus; cum tamen certo sciat se iustificatum accedere: quod non euenit, cum quis contritus (quod ipsi, vt diximus certum non est) accedit: quare optimè potest fidem, & spem prudenter concipere de sua iustificatione per Sacramentalem Confessionem & absolutionem si non accedat contritus, & subinde iustificatus, quod sibi naturalibus viribus, seclusa Dei reuelatione, ignotum omninò est, & incognoscibile. Nolo vero huic disparitati de certitudine attritionis, ac subinde iustificationis impij, qui attritus ad Sacramentalem Confessionem accedit: quare & certus de ante acta sua iustificatione, iuxta horum doctrinam, atque de impossibilitate certitudinis pro tunc conditionis, sub qua crediturus, spectaturusque erat instantiæ huius repulsa innitatur: quia certa cognitio attritionis ab aliis controuersiarum decisionibus, non adeo apud omnes certis, pendet: Nempe: an possit esse attritio vera ex auxilio naturali, quo ad substantiam, & solum supernaturali quoad modum? ac proinde & ipsa quoad modum solum supernaturalis: quare nec omnium sententia possit naturaliter certo, & euidenter ab eam habente cognosci? Ac rursus: an, etsi supernaturalis quoad substantiam attritio sit, atque obinde ex auxilio eiusdem ordinis necessario prouenens, tamen naturaliter ex suppositione quod sit certo, experimentali euidentia, ab eo cognoscatur, cognoscique possit qui eam concepit? Cum enim circa hæc duo controuersia inter Authores versetur, etsi attritionem ad Sacramentalem Confessionem necessariam, atque ex auxilio gratiæ necessario concipiendam, solum, quoad modum supernaturalem, & naturalem, quoad substantiam, sicuti & auxilium ad eam requisitum iudicem, ac proinde certo, euidentia experimentali, ob eam habente cognoscibilem, imò & ab experientia ita cognitam recognoscam: tamen, vt dixi solutionem, & instantiam hanc nolo ex solum probabilibus, adhuc vero similioribus, reiici, cum euidenter possit reiici, & confutari.

7. Sic igitur eam impugno. Etiam si certus quis de attritione, qua se ad Sacramentalem Confessionem præparauit non sit, tamen non posse eum absque iudicio probabili, & prudenti de sua attritione ad Sacramentalem Confessionem ritè, ac non temerè, accedere certissimum est. Sed ita accedens nequit habere fidem, & spem, adhuc conditionalem de sua à peccatis iustificatione in solutione principaliter impugnata, virtute Sacramentali Pœnitentiæ: ergo nulla est instantia, & solutio ex accedente contritio ad Confessionem Sacramentalem cum fide, & spe conditionalis de iustificatione sua per Sacramentum. Antecedens probatur: quia fides, & spes conditionatæ sub hac conditione erunt: *Si non sim, accedamve iustificatus à peccatis confitendis virtute Sacramenti ab eis iustificabor*: Hæc autem conditio in præcipua solutione, quam impugnamus, huic omnino æquiualet: *Si non accedam adhuc attritus ad Sacramentalem Confessionem virtute Sacramenti à peccatis anteactis iustificabor*: Cum in hac solutione præuie attritum, ac non contritum, &

iustificarum accedere sit impossibile: atqui iudicium illud conditionatum est erroneum, & Hæreticum: ergo non est fides, nec ipsum secuta spes Theologica, sed præsumptio Hæreticalis. Minor est certa: Siquidem, qui nec attritus ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit virtute illius non esse à peccatis iustificandum fides Catholica est. Ex quo præoccupatur euasio alia: quod scilicet si certus non sit de sua attritione possit credere, & sperare absolutè se per Sacramentalem Confessionem, & absolutionem esse à peccatis iustificandum: si enim de facto attritus sit, & obinde iustificatur, licet incertitudo iudicij de sua attritione, & iustificatione locum fidei, & spei Theologicæ, (ni aliunde tunc repugnarent,) de sua à peccatis iustificatione virtute Sacramenti faceret; aſt tunc inde absoluta fides, & spes illa repugnant: quia tunc iudicium illud falsum esset; scilicet à peccatis iustificandum, & absoluendum virtute Sacramenti, qui ante illud prioritate naturæ, & temporis quandoque non exigui, iustificatus, & solutus in aduersariorum doctrina, & est, & supponitur: siue ergo certus quis, siue incertus de sua attritione sit, cum ad Sacramentalem Confessionem rite præparatus accedit, cum fide, ac spe iustificationis à suis peccatis virtute Sacramenti obtinendæ, siue absolutæ, siue conditionali, siue explicita, siue implicita (quæ explicitæ, seu formalis possibilitatem supponit) nequit accedere; cum tamen aliquo ex his modis id credens, & sperans accedere necessario debeat.

8. Neque vero plura, quæ dedimus cert. 8. contra solam dispositionem præuiam positiuam præfinitionis per actum positiuum, qui nostræ potestatis sit, & ratione cuius nostræ tantum libertati præfinitionis positio subiiciatur, militant: nam & negatiuam dispositionem nostram liberam præfinitioni præuiam æquo ferè impetu arietant. Etenim negatiua illa dispositio alicuius actus præuij libera omissio erit, ac proinde tentationis ad actum illum prauum in ducentis victoria: quæ Dei proinde gratiam auxiliantem, & efficaciter ab eo auertentem, & præfinitionem proinde in ea quidem sententia semper supponat, omnium vero opinione, si grauis tentatio sit: Vnde infinitus processus contra istam dispositionem negatiuam, & reliqua consectaria inferuntur. Sed quoniam solus Cabrera supra citatus hanc dispositionem negatiuam citatus ex Thomistis est: ex eius mente absurda aliquot notanda hic sunt: ait supra, *quam dispositionem ex se inchoat voluntas*: & num. 476. *Auxilium efficax incipere à nobis dispositiue: quia determinatio*, seu prædeterminatio, *dependet ex libera dispositione nostræ voluntatis negatiua; licet effectiuè sit à solo Deo.* Et rursus talem esse hanc dispositionem ait: *Vt illa posita infallibiliter sequatur determinatio Dei, & sine illa nunquam sequatur.* Atque hanc causalem admittit: *Quia voluntas se disponit ad talem actum, ideo Deus per auxilium efficax ad illum eam determinat.* Ex his autem infertur dispositione hac præuia negatiua propriis viribus nostris, iuxta hunc Authorem, à nobis posita, & imperfectiore quauis dispositione positiua initium salutis, & prædeterminationis ex nobis, & à nobis esse nostramque voluntatem expectari à Deo, vt suam misericordiam erga nos apponat, & sua nostram sequatur: quare gloriandum esse iusto prædestinato, quod se ab impio, & reprobo tandem discernat, aliquidque habeat ad prædestinationem conducens, quod non acceperit: quare, & quod nostræ naturalis potestatis sit præfiniri, ac prædestinari ad bonum: Siquidem iuxta Augustinum 1. determinationum capite 22. & iuxta rationis naturalis lumen, *id est, in nostra potestate, quod, cum volumus facimus.*

CERTAMEN X.

Dependentia alia præfinitionum ab exercitio libertatis nostræ à Thomistis excogitatæ præciditur.

1. PRæuiis dispositionibus liberis nostris ad præfinitiones à Deo obtinendas malè nos dispoui posse animaduertentes Thomistæ præfinitiones diuinas, non aliter bene cum nostra libertate componi, æstimarunt tandem, ni eas à liberis ipsis actibus per illas præfinitis dependentes assignarent. Idque, ne nobiscum, (vt verba asserti huius sonant,) omnino consentiant, variis etiam modis explicarunt. Primus est; Præfinitiones suas, cum de sese connexæ cum actibus præfinitis sint, non posse esse sine illis, tanquam necessariis suæ essentialis connexionis terminis: ac proinde earum quamuis à suo actu contingenti, & libero præfinito, quare, & à nostræ in illo edendo exercitio libertatis in sui existentia, & positione pendere: cum nil aliud vnius ab alio dependentia sit, quam in se sine illo consistere non posse. Cæterum dependentia hæc præfinitionis ab actu præfinito non tuetur, sed potius destruit actus libertatem. Patet, quia de essentia causæ liberæ est posse operari, vel non operari positis omnibus requisitis ad operandum, vt cert. 1. statutum abundè ab authoritate & ratione est: sed hoc pugnat cum dependentia cuiusvis è requisitis ab effectu suo ratione essentialis connexionis requisiti illius cum ipso: ergo hic modus dependentiæ præfinitionis requisitæ ad actum, seu effectum ratione connexionis cum illo non tuetur voluntatis nostræ, sed potius destruit, libertatem. Minor probatur: quia ex dependentia requisiti ad operandum à sua operatione, & effectu, tanquam à termino essentialis connexionis, quam habet, fiet necessario vt requisitum illud poni repugnet, quin operatio, & effectus ponatur: ergo quin repugnet eo posito non esse operationem, & effectum præfinitum, ac proinde esse eo posito potestatem operandi, vel non operandi, quod ipsum est potestatem liberam esse: ergo modus hic dependentiæ causæ à suo effectu, tanquam à termino essentialis suæ connexionis cum ipso, destruit potius libertatem causæ, quam eam tueatur, atque ipsa causæ liberæ definitione ab ea secluditur. Confirmatur: Siquidem ea solutione generatio Filij, & Spiritus sancti processio in diuinis liberæ hoc stricto libertatis genere, de quo hic agimus essent: contra omnes, non solum Thomistas Dominicanos, & Iesuitas, sed Scotistas, qui libertatem eis, non strictam hanc, sed aliam laxiorem solummodo concedunt. Item causæ omnes naturales, & contra liberas diuisæ, eorumque effectus, & liberæ, & liberi iuxta hanc dependentiam ratione connexionis essentialis cum ipsis ab eis, tanquam à terminis, proculdubio forent. Tertio: Beati posita visione Dei in eo amando, & Christi humanitas, posita hypostatica vnione in non peccando libera esset contra aduersarios. Nec refert præfinitionem actus liberi esse illius, vt liberi præfinitionem: quare, & cum eis, vt liberis connexionem habere; quod in effectibus causarum naturalium, locum non habet: id enim vt in terminis implicans ex definitione eadem causæ liberæ diiectum à nobis est certam. 6. à num. 6.

2. Illustrissimus Herrera Dominicanus, dum primaria sui ordinis Cathedra in Salmanticensi Academia dictaret Manuscripto de auxiliis aliter dependentiam prædeterminantis auxilij (& idemtidem prædeterminatiuæ præfinitionis) quam ratione connexionis cum actu prædeterminatiuè præfinito, ab ipso actu componere tentauit: nempe inter præfinitionem, & actum præfinitum mutuam prioritatem, & antecedentiam naturæ, & causalitatis, ac subinde mutuam dependentiam, in diuerso tamen genere, excogitauit. Vt scilicet actus prædeterminatiuè præfinitus in genere causæ materialis, vti necessaria ad prædeterminationem dispositio physica præcedat: quare & ex parte ipsius Deum

Deum ad præfinitionem, ex qua prædeterminatio apponenda est sua physica exactione mouens quemadmodum, & reliquæ formarum aliarum dispositiones; præfinitio vero actus ipsius, & ad illum prædeterminatio in genere causæ efficientis antecedat: Sicque dependentia alterius ab altero mutua, in diuerso tamen genere, iuxta plurium sententiam in aliis multis admissam. Placuit solutio Magistro Zumel 1. opusculor. d. 4. sect. 2. titulo, *Conferentia difficultatum.* Cuius, sine plausu, etiam meminit Magist. Lorca d. 21. de grat. fin. Acerrimusque extat impugnator Soarez noster tom. 2. de grat. qui est de auxiliis, lib. 5. cap. 20. num. 3. Et primo quidem contra hanc solutionem pugnant omnia argumenta, quibus in physicis tract. de causis controuers. de causarum virtute d. vltim. ostendimus causas, quæ absolutam sui existentiam supponunt, vt causent, & moueant sibi inuicem causas esse nusquam posse; est inter eas, quarum omnes existentiam absolutam, vt causent, non requirunt, vt in efficienti, & finali contingit mutua causalitas, prioritas, & dependentia possit intercedere: imo & de facto intercedat, ac debeat. Cum enim finis non causet quia est, sed, vt sit, debet causam, à qua vel proximè efficienda est, vel proximum sui agens apponendum est, atque apparandum sua bonitate solicitare, & intentionaliter mouere, vt sua existentia donetur; quin eius existentia ad quam, sed qua non mouet vllatenus ad seipsam supponatur, & repugnanter præcedat: quod in causalitate mutua causarum, (etiam generis diuersi,) quarum quæuis ad causandum absolutam sui existentiam requirit omninò absolutè infertur, impossibile: æquè, ac si in eodem genere sese causarent vicissim: imò ni eiusdem generis causæ sui existentiam absolutam vt se mutuo causarent requirerent, ac subinde repugnans præcedentia existentiæ vniuscuiusque ad seipsam absolutè inferretur, nihil obstaret, quominus à se inuicem causarentur. Sed de his affatim citata controuersia, & loco physicorum. Nunc, ea mutua causarum in diuerso genere aliarum ab aliis dependentia permissa, aliunde præfatam solutionem impugnemus.

3. Et in primis libertas causæ ad genus causæ efficientis spectat, & subinde libertas actus secundi in exercitio, & operatione, qua actio, & ab agente, non qua passio, & à patiente prouenit, sita est: vti ex ipsa causæ, & potentiæ liberæ definitione, scilicet potestate agendi, vel non agendi manifestum est; & pati quidem solum nullam dicit passi, vt patiatur, vel non patiatur, in id, quod passurus, vel non passurus est, potestatem viuam, & dominatiuam; & si mortuam, & subiectam ei, à quo pati potest, dicat indifferentem capacitatem: ergo actus præfinitus vt libera dispositio sit ex parte voluntatis ad præfinitionem, actiuè debet prouenire à voluntate, nec solum passiuè illam recipiendo: ergo in eodem genere agentis physici, & præfinitio, & actus præfinitus se inuicem causant, naturaque, & causalitate præcedunt; quod iuxta aduersarios, Theologos, & Philosophos omnes repugnat. Secùdo, vel voluntas se sola, non solum receptiuè, seu passiuè, sed actiuè etiam, vt libere apponat, seque ad præfinitionem actus ipsius, & auxilium efficax disponat, per solas suas vires actiuè etiam, & libere illum apponit, ac se disponit: & tunc recurrunt omnes contra semipelagianos Canones, & damnationes ab Arausicano, & aliis Conciliis, & Patribus editæ. Sin autem actiuè, vt ad liberam, actus positionem, ac dependentiam proinde præfinitionis ab actus libertate in genere causæ materialis dispositiuè, quam exercitam supponat pro priori aliquo naturæ, ne illam euertat, oportet, vt non à sola voluntate, sed à præfinitione prædeterminatiua ponatur: ergo præfinitio ad actum, vt libere disponit voluntatem ad ipsam, necessario debet præcedere. Siquidem ex ea parte, qua libera ea dispositio ex parte voluntatis est, actiuè debet, vt diximus procedere: nequit autem per vos de facto poni actiuè, nisi præfinitio de facto præcedat: ergo, vt se libere voluntas passiuè disponat ad præfinitionem, & auxilium efficax, non potest non præfinitionem actus supponere, & auxilium efficax in quocumque stet: etsi enim vt merè passiuè, & purè receptiuè se habeat, & mortue disponat, satis ad entitatem voluntatis sit: tamen, vt viuide, actiuè, & libere actu, & operatione præfinita se disponat, debent præire necessaria omnia requisita, vt sit exercite actus, & operatio: quare & præfinitio, &c. ad eiusmodi dispositionem in eadem linea actiua dispositionis liberæ à voluntate supponi: ast supposita per te præfinitione ante vsum libertatis, à quo in sui positione pendeat tollit libertatem: ergo in ea linea dispositionis, quam actiuè etiam, & libere, debet apponere voluntas, & in qua præfinitio necessario actum eius præcedit, nec supponit, tollit libertatem actus, & operationis. Confirmatur: Eatenus voluntas potest adquirere præfinitionem, quatenus potest elicere actum: & eatenus adquirit, quatenus actum elicit; sed elicit actiuè: ergo adquirit actiuè: ergo in genere causæ actiuæ, seu efficientis præcedit actus præfinitionem, à qua in eodem genere causatur. Vrgeo præfinitio requiritur essentialiter per vos ad operari liberum, seu ad omne exercitium absolutum libertatis: ergo nullum exercitium libertatis, à quo pendeat, potest supponere, de quo iterum à n. 9. postquam effugij præclusione radicitus solutionem euellamus.

4. Dices: Confundi hic duo causarum genera: passiuæ, seu materialis voluntatis, & actiuæ eiusdem voluntatis, vel secundum se, vel coniunctè cum præfinitione. Quod solutione tua distinguis, fateor: sed vtrumque tamen solutione ipsa confundis; dum in potestate, & libertate voluntatis nostræ asseris esse præfinitionem, & auxilium efficax ad actum, quatenus actu ipso libere se disponit voluntas; Tu eius vero actus libertate actiuus voluntatis in ipsum influxus necessario, & essentialiter, quare, & quidquid in genere efficientis prærequisitum est, supponitur. In ergo solutione tua genera causarum actiuum, & passiuum confundis; imò vero mutua hæc causalitas dispositionis, & agentis, quoties dispositio positiua est, non solum possibilis, sed & intelligibilis non est; etsi cum negatiua est dispositio, vtcumque intelligi possit, vt inter expulsionem, seu de nudationem formæ antiquæ, quam priorem ex parte materiæ inductione nouæ formæ ab agente in eandem materiam ex parte huius nonnulli aiunt; in genere vero causæ efficientis posteriorem: quia ad carentiam, seu denudationem formæ præexistentis satis est agens conseruans ipsius concursum ad agentis contrarij præsentiam cohibere, atque suspendere, quia agentis contrarij influxus in suam formam opus sit, vt antiqua subiecto cedat, & abscedat, in suique nihilum abeat: Quamquam neque huic mutuæ causalitatis modo nimium fidam: Nam reuera, & formæ incompossibilis nouæ à suo agente inductio, eiusque, in subiecto, inexistentia, & exigentia pro priori naturæ à Deo attenditur, & expectatur, vt pro naturæ posteriori in eadem duratione concursus cum agente conseruante, (si alius à Deo sit) denegetur: vt fusè controuers. de alteratione, d. de resistentiis, & impugnationibus, cum formarum incompossibilium, tum agentium contrariorum quæstione præsertim de signis naturæ impugnationum, & resistentiarum vtriusque generis monstrabimus. At vero cum dispositio ex parte subiecti positiua est, & effectus præcipuè immediatus actiuæ virtutis, ad quam sua absoluta existentia effectus ille positiuus disponit, mutua hæc in diuerso adhuc genere causæ materialis dispositiuæ, prioritas, & dependentia, non solum reuera implicatoria, sed & omninò imperceptibilis est. Cum enim non nisi absoluta sui existentia positiuus ille effectus disponat, hæc autem absoluta effectus illius positiui à causa materiali sola poni in rerum natura nequeat, sed necessario in consortio virtutis actiuæ, & reliquorum requisitorum ad operandum, atque apponendum absolutè existentem effectum illum: fit planè, nec hunc esse, nec intelligi absolutè existentem, nisi à coniuncto toto causæ materialis, & actiuæ suarum cum reliquis ad agendum requisitis: ac proinde, & hæc omnia absolutè præcedentia ad ipsius absoluram existentiam, & dispositiuam causalitatem primum dari, & existere: cum antea pro naturæ priori existere supponatur.

5. Confirmatur: Quia non minus essentialiter subordinantur causa materialis, & actiua in operando, ac ponendo absolutè effectum à materiali causa educendum, quam agentia partialia, à quibus effectus quiuis ab ipsis essentialiter dependens; imò, licet illæ diuersi generis sint, & earum quæuis in suo genere adæquara, absolutè tamen in genere causæ vniuersim, & absolutè dictæ partialis causa est vnaquæque earum: vtpote quæ in

genere

genere causæ absolutè talis respectu effectus illius causa totalis non est, sed alterius consortio eget, vt illum effectum operetur. Sed ob eam essentialem subordinationem in operando agentium partialium, nequit esse, aut sine repugnantia intelligi effectus absolutè positus ab vtroque, à quibus essentialiter dependet: ac proinde quia vtrumque illud partiale agens, est vtrumque debet absolutè effectus absolutam positionem præcedere: ergo, & effectus educendus à causa materiali, & actiua essentialiter dependens, neque esse, neque intelligi, sine repugnantia, poterit ab vna ex eis causis positus absolutè; sed necessario ab vtraque, ob eandem rationem inadæquationis in genere causæ absolutè talis, atque ob inde essentialis subordinationis mutuæ alterius ad alteram in operando ad effectum illum educendum: si ergo implicat esse, aut intelligi effectum essentialiter ab vtraque causa materiali, & actiua dependens absolutè positum, quin absolutè posita vtraque causa pro priori naturæ præcedat, nec satis est alterius solum, verbi gratia, causæ materialis, & absolutè partialis præcedentia, vt absolutè sit; atque sine absoluta sua existentia effectus ille ad causam actiuam dispositio esse non possit, fiat sane, quatenus à causa materiali præcisè est absolutè non esse effectum illum: atque neque ad actiuam sui causam dispositionem veram realem, & non Chimæricam esse posse, vt intendebamus. Reuocata igitur (vt Rhetores aiunt) hypothesi ad thesim, siue generali hoc principio ad specialem materiam, quam versamus: cum actus voluntatis nostræ præfinitus prædeterminatiuè à Deo essentialiter à præfinitione, & auxilio efficaci, ac insuper à voluntate ipsa actiuè dependeat, imò ab hac etiam materialiter: implicabit quatenus à sola voluntate est absolutè esse, atque ad actiuam virtutem præfinitionis, & auxilij efficacis esse dispositionem, seu alio quouis modo, & genere secundum suum esse absolutum præfinitioni, & auxilio pro priori naturæ præcedere: siquidem, non nisi ab vtroque præfinitione, & voluntate esse potest: quare, & vtrumque debet pro naturæ priori supponere: quo modo ergo disponit, quouisve genere causalitatis conducet, vt sit, ac ponatur præfinitio, quæ antecedenter ad ipsum, ac prorsus sine ipso pro naturæ priori iam erat?

6. Sed, his repugnantiis prætermissis, vel nunc intermissis, demus Illustrissimo Dominicano, & asseclis actum præfinitum à sola voluntate materialiter solum recipiente posse esse, & intelligi absolutè, & libere etiam positum: indeque infero: ergo nequit esse dispositio, aut principium quoquo modo conducens ad præfinitionem ad ipsum actum, & operationem requisitam, siue ex natura rei, siue ex Dei promissione. Non quidem ex natura rei: tum quia iam præfinitio, & auxilium aduenirent voluntati ad actum post actum absolutè positum, & exercitum à voluntate solum concurrente: quod pugnat cum necessitate præfinitionis, & essentialitèr prærequisitæ per aduersarios ad operari, & exercitium absolutum apponendi absolutè illum actum: quomodo enim necessarium ad absolutam actus appositionem, & operationem est, quod, non, nisi post eius absolutam positionem, & operationem natura sua venit? Ita etiam dici posset visionem beatam absolutè, provt ab intellectu positam esse dispositionem ad lumen gloriæ absolutè conferendum; & tamen hoc necessarium principium esse ad illam: Ita etiam visionem quamvis naturalem, provt absolutè positam ab oculis corporeis, vel intellectualibus esse dispositionem naturalem ad speciem obiecti recipiendam, quæ essentiale tamen principium visionis ipsius absolutè apponendæ sit. Neque enim minus essentialiter præfinitio ad actum præfinitum ex parte principij, & potentiæ voluntatis, per hoscè, requiritur, quam species absolutè videndi ad visionem quamvis, & lumen gloriæ ad beatam visionem: Quare alterutrum ab aduersariis deferendum est. Vel scilicet actum præfinitum absolutè positum esse naturalem dispositionem, quidpiamve aliquo modo conducens præuiè ad sui præfinitionem, vel eiusmodi præfinitionem absolutè positam esse essentialiter requisitam ex parte principij ad actum præfinitum absolutè apponendum. Quinimò: cum natura superfluum omne abhorreat, ac præfinitio aliunde, quam ab ipsa, actum absolutè positum supponat (vt oportet ad hoc, vt secundum absolutam sui existentiam ad ipsius præfinitionis absolutam positionem, quoquo modo, conducat) nec supererogatione, (ne dum ex necessitate) ad actum præfinitum, qui absolutè positus ante ipsam supponitur, atque ex natura rei præcessit, vllatenus, ex natura etiam rei concurret: Siquidem concursus illius, vt absolutè actus præfinitus, qui absolutè supponitur esse, absolutè sit, erit omninò superfluus, ac proinde naturæ rei inutilis, non autem ab illa exactus. Denique, si ex natura rei, atque independenter ex libera Dei promissione annexa sit absolutæ actus positioni præfinitionis absoluta positio, posita potestate voluntatis absoluta per iudicium indifferens, (vt vis,) ad eum actum absolutè ponendum essentialiter connexum dispositiuè ex natura rei, non potest Deus ex seipso habere decretum denegandi præfinitionem eius actus, seu omissionem decreti illam conferendi, sed omnino dependenter à positione, vel non omissione talis actus à potestate voluntatis: quæ nulla sane absolutè esset, sed si Deus indepẽdenter ab eius potestate, & vsu, vel decernere omitteret: ergo Deus in præfiniendo actu, & subinde in conferendo auxilio, quo prædestinatus à reprobo discernitur, nullam sui potestatem, ex parteque sua libertatem, quare nec misericordiam, nec gratiam exercet, si actus absolutè positus, sit ex natura rei dispositio ad præfinitionem: quod est Hæreticum. Stet ergo actum præfinitum absolutè positum reipsa neque alio quouis modo conducens principium ad absolutam præfinitionis, & auxilij positionem ex natura rei esse vllatenus posse (vt prima assumpti nostri pars ferebat) si præfinitio essentialiter ad absolutam actus positionem requiratur (quod tota hac d. impugnamus,) imò & supererogatorie ad actum absolutum possit conducere.

7. Sed neque ex Dei promissione, & pacto potest actus absolutè positus à voluntate absque præfinitionis consortio, siue dispositiuè, siue alio quouis modo ex parte voluntatis ad absolutam præfinitionis ad ipsum absolutè apponendum essentialiter, (quo velint aduersarij modo) prærequisitæ appositionem præcedere: quod erat assumpti nostri pars secunda. Probatur primo: quia promissio Dei de habenda, & concipienda præfinitione requisita, & prærequisita essentialiter ad actum absolutè apponendum esset huiusmodi. *Præfiniam actum, & dabo reliqua immediatè, & proximè requisita, & prærequisita ad actum voluntati, si actus absolutè ab ipsa,* (quo volueris genere causæ, & causalitatis) *absolutè apponatur*: hæc autem promissio est omnino inepta, & ridicula, nec Deo solum, sed homine etiam non omnino stupido, indigna est enim *dabo tibi necessarium, & essentiale principium, vt operetis, & ponas hunc actum absolutè; si tamen prius naturaliter apposueris absolutè*: Quid, ni ita Deum pacisci cum beatis asseras? *Dabo vobis lumen gloriæ necessarium, essentialiterque prærequisitum ad mei beatam visionem; si prius tamen visionem mei beatam absolute posueritis; & speciem ad cuiusuis obiecti visionem, si tamen prius illud absolutè videritis*, atque in politicis, & moralibus ineptiores, magisque adhuc ridiculæ, & illusoriæ similes promissiones apparent. *Dabo tibi hic, & nunc meum hunc panem, sine quo absolute hic, & nunc comedere absolute omnino non potes, si tamen prius absolute hic, & nunc comederis; & dabo tibi facultatem, vt pro me valide contrahas, sine qua valide pro me contrahere nusquam potes. si tamen prius valide pro me contraxeris.* & superior religioso subdito: *Dabo tibi facultatem recipiendi licite scuta centum, qua absque illa recipere licite prorsus nequis; si prius illa licite receperis.* Et ratio à priori harum omnium, & plurium similium promissionum inaptarum, si serio fiant, illusoriarum, si per iocum amentibus ita promittatur, est; quia sunt promissiones conditionatæ de conditione impossibili: quare naturæ iure nullæ in se, nec solum quo ad effectum obligationis.

8. Neque vllam impugnationum harum effugies, si dicas; negari non posse actum voluntatis absolutum reuera à voluntate procedere, & libere ab illa procedere, & quatenus à voluntate formaliter est, non esse à præfinitione, & si materialiter à præfinitione, totus etiam actus sit: hasque veritates, & respectus diuersos ad diuersa operationis, & effectus absolutè positi principia, & causas omnibus Philosophis esse notissimos, attendique à Catholicis omnibus, & à Deo ipso debere:

Ab

Ab illis quidem, vt Deum peccati causam, & authorem catholicè negent: adeo vt operum nostrorum siue in præmiis, siue in pœnis conferendis iustitiam exerceat: ea enim provt à nobis, non autem provt à se præmio afficit, vel supplicio. Ad eum igitur modum, inquies, etsi actus præfinitus absolutè apponi à voluntate absque præfinitione omnino nequeat: tamen, provt à voluntate in suo causalitatis genere receptiuo ponitur; à præfinitione formaliter non ponitur: quare ea ratione præfinitioni absolutè præcedere, atque adeo in illo naturæ priori potest, vt eius actus præfinitionem concipiat. Sed præclusa effugia hæc impugnationibus datis omnino sunt, & factæ primo loco ex libertate operationis absolutè necessaria, & asserta ab huius solutionis authoribus, vt in nostræ voluntatis potestate, & libertate præfinitionem actus absoluti defendant, ne sono quidem vocum occurrit: cum exercitè, & absolutè, & in genere causæ efficientis à voluntate sit & ab ipsa sola; & absque præfinitione esse per aduersarios repugnet: quare, &, qualiter, actus præfinitionem respicit, neque provt à voluntate actiue, quin etiam provt à præfinitione esse considerative potest. Secundo. Et si semel posito absolute actu à quavis causa absolutè, in genere causæ, inadæquatæ, siue in suo genere speciali, siue in diuerso eæ veritates, & respectus diuersi ad vnam formaliter, & non ad aliam concausam sint, atque, vt dicitur, à Catholicis, & à Deo attendantur, attendique prorsus debeant, *Iis* autem præsens de eo non est; sed an ab vna causa partiali, & inadæquata, absque alia concausa (siue alterius, siue generis eiusdem) essentialiter requisita absolutè ad absolutam actus illius positionem, actus ille poni in rerum natura absolutè possit, sicut oportet, vt præfinitionem dispositiuè, vel alto quovis modo, causet, ac præcedat: posse autem ita actum illum absolutè ab vna tantum ex concausis requisitis essentialiter ad ipsum absolutè apponi nemo est, qui absolutè asserat, imo neque asserere sine contradictione possit: etsi quatenus ab ipsa, ab alia concausa formaliter non procedat: quia absolutum esse illius actus non illam solum essentialiter respicit, & supponit, sed totam concausarum congeriem: ex qua, si vel vnam demas minimam concausam, ac positiue non supponas, esse absolutè actum illum repugnabit.

9. Dices tamen, duplicem præfinitionem actus esse, alteram prædeterminatiuam voluntatis in genere causæ materialis receptiuæ, alteram eius prædeterminatiuam in genere causæ efficientis; ad quam voluntas receptiuè per actum se disponit sine præcedentia in eodem genere, & ordine causandi. Sed nihil impugnationum minus: tum ex prædicato liberæ dispositionis actus, qui qua liber; à voluntate actiuè etiam, quare, & à præfinitione in genere efficientis debet procedere: cum per te implicet exercitium quodvis absolutum, & liberum voluntatis absque præfinitione in genere efficientis: tum etiam ex dependentia essentiali vt actus absolutè sit, ab vtraque etiam præfinitione essentialiter requisita ad ipsum: vtramque enim debere absolutè præcedere argumenta nuper facta, conuincunt, & mille alias, si totidem ad eius absolutam existentiam essentialiter prærequisitas assignes: quare commodius erit supertluarum præfinitionum, & difficultatum effusa abstinere prodigalitate. Secundo: cum præfinitio prædeterminatiua in genere causæ materialis non supponat præfinitionem prædeterminatiuam in genere causæ efficientis per te (quia diuersi generis sunt, nec possunt in eandem lineam ordinari, ne in eadem actus voluntatis sit præfinitione prædeterminatiua actiuè posterior, & prior, quia ad illam dispositionem) inquiro: an ad passiuè, & receptiuè prædeterminantem præfinitionem actus ille disponat? Si asseras: ergo in eodem genere causæ materialis receptiuæ, & dispositiuæ, in quo posterior præfinitione illa est, est etiam prior actus idem. Si neges: ergo præfinitio hæc in genere causæ materialis prædeterminatiua prærequisita essentialiter, ipsique connexa; & proinde ineuitabiliter coniuncta ponitur, omnino independenter ab actu præfinito, & exercitio nostræ libertatis: quare, vt in hanc eunt es solutionem fatentur expresè tollit arbitrij nostri libertatem. Nec quidquam præstiteris, si respondeas: per actum, vt prouenientem à voluntate, & præfinitione actiuè prædeterminante in genere efficientis; ac proindè liberè adquiri præfinitionem actus in genere causæ materialis prædeterminantem. Etenim cum præfinitio prædeterminatiua actiuè omnino connexa, & inseparabiliter, etiam diuinitus, annexa sit præfinitioni passiuæ, seu receptiuè prædeterminanti. Cum neutra sine actu esse absolutè possit, & actus absolutè esse nequeat, si neutraque coniunctim, actiuè scilicet, & receptiuè concurrentibus: Infertur: non posse actum, vt prouenientem à præfinitione prædeterminante actiuè esse dispositionem ad præfinitionem prædeterminantem passiuè, quin sit ad præfinitionem actiuè prædeterminantem dispositio: quia quidquid est dispositio alicuius adquisitiua, & est omnium quæ indiuisibiliter, & inseparabiliter ipsi connexa sunt: ideo, qui catenæ extremum annulum mouet, & trahit reliquos, & totam simul catenam trahit: quod si totam trahere nequit, neque extremum trahere potest: atqui per vos actus, vt à præfinitione actiua, nequit esse ad ipsam dispositio: ergo neque ad passiuam. Item, cum eadem, quæ ad adquirendam vnam præfinitionem prædeterminatiuam materialiter ad adquirendam prædeterminatiuam efficienter potestas sit, cum ais ex prædeterminatiua efficienter posse voluntatem adquirere prædeterminatiuam materialiter, posse adquirere prædeterminatiuam efficienter, probas, & vitioso circulo circumageris. Quod ipsum vniuersim contra præcipuam & primariam solutionem vniuersim ostenditur. Ideo enim dicitur voluntas sufficientem habere potestatem ad actum præfinitum, ad quem necessaria omnino est præfinitio, quia habet potestatem sufficientem ad habendam prædeterminatiuam præfinitionem: & ideo habere eam potestatem ad habendam præfinitionem: quia habet sufficientem ad actum potestatem, quid ni probes habere potestatem ad actum, quia habet potestatem ad præfinitionem, & ad præfinitionem, quia habet potestatem ad actum?

10. Denique ex hac solutione quæcumque in decreta, & auxilia de se indifferentia ad actum, & eius omissionem, solumque ab extrinseco efficacia aduersarij contorquent, in ipsos maiori impetu retorquentur. Potest enim haud dubio, quisque sibi tribuere, non solum quod vocatus veniat, sed *quod vocatus sit*, Contra Augustin. quæst. 68. ex octoginta tribus: siquidem præfinitionem prædeterminantem actum, quatenus ab ipso est, ille obtinet à Deo. Cumque eiusmodi præfinitio sit consensuri à non consensuro discretio, qui eam suo actu præfinito à Deo acquirit, se à non consensuro discernit: atque eadem ratione tandem se discernit prædestinatus à reprobo contra Pauli textum toties contra nos ab aduersariis inclamantum: *quis est, qui te discernit.* Etenim Deus de se paratus est præfinire actum, & salutem cuiusque per illum, si se quisque illo actu, & non provt à præfinitione efficienti disponat: quare actus ita consensuro, & prædestinando in causa est, vt Deus illum, & salutem per illum ita à consensuro, & prædestinando positum præfiniat, ac prædestinet; atque omissio consensus non consensuri, & reprobi in causa etiam est, vt nec eius actus, & salus præfiniatur: quare vt nec prædestinetur. Nisi dicas, Deum de sese non esse paratum actum, & salutem omnium præfinire, si actum eliciant: quod, & doctrinæ solurionis aduersatur, & probat in non consensuro, nec saluando non esse potestatem consentiendi exercite, & vt de facto saluetur: quia neque in eius potestate est præfinitionem, & prædestinationem ad vtrumque necessariam adquirere, ratione cuius potestatis, iuxta hanc solutionem, in potestate, & libertate, nostra, & actus, & salus vnicè absolutè sunt. Item cum actus primus præfinitus liber per hosce sit, & meritorius saltem de congruo, & quatenus à voluntate nostra ponitur ad præfinitionem sui disponat, ac præcedat, quæ eius est essentiale principium, iam principium etiam proximum meriti sub meritum cadet. Primæque gratiæ, ac subinde totius prædestinationis meritum nostrum dabitur. Quod Augustini, & reliquorum Patrum, & Conciliorum doctrinæ repugnat; neque prima vlla re gratia, & misericors Dei voluntas erit argumento Pauli ab Augustino toties repetito *si autem ex meritis, seu operibus: ergo gratia iam non est gratia.* Quarto. *Non*

solum Dei miserentis, sed hominis volentis, atque currentis est auxilium gratiæ acquirere. Contra Paulum ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Ex quo ita opportune ad rem præsentem Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Nam, si propterea non volentis, neque currentis, &c. quia voluntas hominis non sufficit, vt iustè, rectèque viuamus, nisi adiuuemur, misericordia Dei; potest, & hoc modo dici: non miserentis est Dei; sed volentis est hominis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Non igitur ob essentialem subordinationem mutuam Dei, & nostri in nostro actu operando; sed quia solius Dei, se solo, independenter omnino à nostræ voluntatis dispositione est velle (præfinitione, vt isti aiunt) misericorditer congruum auxilium conferre dictum esse concludit eo discursu Augustinus. Cui & Paulo aduersatur solutio hæc de dispositione nostra libera per actum præfinitum ad sui præfinitionem. Quinto, aduersatur Augustino eidem 1. de grat. & lib. arbitr. c. 16. statuenti. *Certum est nos velle cum volumus, sed facit, vt velimus, de quo dictum est: præparatur voluntas à domino*; & annecteuti statim c. 17. *vt ergo velimus, sine nobis operatur.* Non vtique sine nobis cooperantibus actiuè ipsum velle, sed ad misericordem Dei voluntatem auxiliantem, & præparantem nostram ad illud velle voluntatem.

11. Sexto aduersatur Arausicano 2. can. 4. dicenti. *Si quis, vt à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare contendit: non etiam vt purgari velimus per spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit spiritui sancto.* Septimo aduersatur Augustino 1. ad Simplician. q. 2. circa med. aienti: *Quod non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem. Propterea vocanti Deo vitè tribuitur, quod bene volumus; nobis vero tribui non potest, quod vocamur.* Tribuetur autem, quod vocemur, & præcedet voluntas vocationem, iuxta hanc solutionem: verum item erit, quemliber vocari ad fidem: *quia credit, & non, vt credat.* Contra Augustin. de prædestin. sanctor. cap. vlt. scribentem. *Non, quia credidimus, sed, vt credamus vocamur.* Et contra Arausicanum nuper citatum id definiens ex ponderatione Augustini ad locum illum Pauli Corinth. 7. *Misericordiam consecutus sum, vt sim fidelis.* Et ad id: *elegit nos in ipso, vt essemus sancti.* Vnde cum Augustino inferunt Theologi omnes: *ergo non quia futuri eramus sancti.* Quia *vt* finis, & *quia* quod absolutam existentiam motiui, quam finis, vt moueat, finaliter, necessario excludit sibi contradicunt, iuxta hanc vero solutionem: quia credimus eligimur, & vocamur ad fidem. Denique iuxta hanc solutionem verum, & infallibile, ac certissimum esset nunquam cum præfinitione, & inde necessario proueniente vocatione efficaci posse coniungi dissensum, aut omissionem consensus præfiniti: cum hic necessario, & essentialiter, non solum sequi illas debeat, sed, & natura, & causalitate antecedere. Cum autem, vt dissentiri, resistereque Deo, cui assentimur, vocanti absolutè possimus, opus sit posse nos absolutè coniungere omissionem consensus, & dissensum cum misericordi Dei vocantis voluntate, & vocatione, vt ostendimus suprà q. 3. fiet manifestè; minimè nos posse dissentiri Deo per hanc præfinitionem, per aduersarios, misericorditer vocanti, neque illam abiicere contra Tridentini loca ea q. à nobis ponderata, si consensus absolutus dispositiuè positus à voluntate præfinitionem sui, & subinde Dei vocationem ipsi necessario, & infallibiliter annexam præcedat: neque item posse illis resistere contra Senonensis Concilij, & Innocentij X. & Alexandri VII. datas q. eadem definitiones.

12. Iam instantiis, ex nostris, quibus eam solutionis huius doctrinam aduersarij imponunt obuiandum est. Aiunt enim prioritatem mutuam similem inter habitum, & actum charitatis à nostris admitti: vt scilicet hic in genere causæ materialis dispositiuè habitum causet, à quo tamen efficienter causatur. Cæterum doctrina hæc nostrorum doctorum non est, vt erudite ostendit Ripalda t. 2. de ente supernat. d. 124. & Vazq. quidem 1. p. d. 111. solus nostrorum (quasi pro reliquis cautionem præstiterit) omnium nomine allegatus, non docuit actum habitu secundum se sumpto, & vti à Deo infuso esse priorem, sed eius vnione, siue vnitiua formali receptione, quæ, vt ab habitu actiuè causetur, non requiritur: æque enim, & si non vniretur, produceret actum charitatis, qui etiam ab auxilio extrinseco Dei in communi nostrorum doctrina produceretur: quare rectè ait habitum à Deo infundi vt actus, sit, non autem quia actus est, neque inter actum, & habitum, eiusque infusionem mutuam causalitatem admittit: nec principium prædeterminans ad illum: tum, quia, vt vnitus, & informans solum posset ad actum charitatis, instante præcepto, prædeterminare voluntatem, & si cum cum gratia habituali identificati, vel illam supponere tunc doceret; quorum primum negat, secundum non docet. Aduersarij vero præfinitionem de se, & prædeterminatione inducta, prædeterminare ad actum præfinitum, ac secundum se esse illius necessarium principium, & requisitum ex parte actus primi aiunt in genere efficientis, atque nihilominus illius effectum in genere causæ materialis dispositiuæ: ac proinde haberi à Deo eius præfinitionem, & dari prædeterminationem, quia actus præfinitus est. Videant aduersarij ergo, in quantis nostri Vazquez doctrina ab hac sua discordet! Sed tamen, vt dixi, doctrinæ huic nostri Vazquez his adhuc subtilitatibus Philosophicis, ac Metaphysicis explicatæ, vix vnus, aut alter, adhuc ex eius discipulis, noster adhæsit; quia planius plerumque nostri venantur veritatem, & extraordinaria prouidentia, & potentia absoluta Dei (quæ in hoc modo intercederet) quam minus possunt suis doctrinis componendis vtuntur. Ne tamen aduersariorum (cum quibus de maioribus, scilicet de fidei dogmatibus, res nobis est) nonnulli, quibus difficilia, & exotica ingredi amor, & ingenium fuerit, ita explicatam nostri Vazquez doctrinam, vt nostris occurrant argumentis arripiant, aduertant primo: in præfinitionibus suis, quæ à solo Deo concipiendæ sunt, non autem voluntatibus nostris vniendæ præfatæ doctrinæ nullum esse locum. Secundo: physicam prædeterminationem, seu qualitatem prædeterminantem non prædeterminare voluntatem, nisi, quatenus vnione ipsam informat: quare neque esse medium aptum ad infallibilitatem scientiæ diuinæ in ipsa de futuro contingenti. Tertio: in eorum doctrina stata vnione habitus, & cuiusvis qualitatis adiunctæ voluntati opus esse, vt eam in actu primo compleat ad actum. Inde enim Thomistæ omnes negant posse habitus supernaturales suppleri à Deo per auxilium extrinsecum. Quarto: apud ipsos eadem actione educi foecundam, & vniri subiecto. Cum quibus omnibus, & singulis nequit doctrinæ præfatæ vsus consistere.

CERTAMEN II.

Ab impossibilitate auxilij sufficientis præfinitiones de se efficaces eliminantur.

1. HVic impossibilitati sufficientis auxilij demonstrandæ illius, prout ab efficaci auxilio distincti nobis cum aduersariis, & Theologis cunctis communis definitio statuenda est. Nempe illud esse auxilium sufficiens, [quo cum voluntas operari absolutè potest, & non operatur de facto.] Et quamquam posse absolutè nos aliqua operari dicamur etiam, cum nonnulla ex requisitis ex parte actus primi proximi ad ea operanda non habemus, vt cum quis nondum habet efficacem ambulandi voluntatem requisitam ad ambulandum, posse absolutè nihilominus ambulare rectè dicitur: opus tamen est, vt requisita illa ex parte actus primi proximi in illius, potestate sint, vt in eo casu voluntas efficax ambulandi, sin autem in eius potestate requisitum illud non sit, non dicitur quidem aliam remotiorem potentiam habet ad effectum absolutè potens. Patet in catenato, & compedito carcerato per iudicis decretum: qui, licet potentiam habeat deambulandi, possitque à se voluntatem habere deambulandi, imo

imo & ex parte sua illam habeat; quia tamen sublatio impedimenti compedum, & catenæ requiritur ad proximè expediram, & absolutam, potentiam ambulandi, & gressum, absolutè potens ambulare non dicitur: & si, cur non ambulet? rogetur, respondebit statim rectè: quia compeditus, & catenatus ambulare non possum. Et sanè non eo modo eum qui auxilium solummodo sufficiens habet, non autem sui actus prædeterminatiuam, ac prædeterminantem prædefinitionem necessariam ex parte actus primi proximi ad illum operandum potestatem absolutè habere, quatenus in sua potestate est eiusmodi præfinitionem adquirere, & apponere constans apud aduersarios est: vt videre est in Aluarez de auxiliis passim, & fusè, d. 105. & Cabrera d. 6. de auxil. dub. 3. num. 109. etsi nostris argumentis pressi variis modis, eius adquisitionem & appositionem in nostra potestate esse, vel præuia dispositione, vel per actum ipsum, satis, & ipsi in sua doctrina varij, defendere tentauerint, vt proximis duobus certaminibus retulimus, & valide impugnauimus. Quare præsens cum aduersariis disputatio solum erit de auxilio sufficienti, quo absolutè in actu primo proximo possit voluntas operari, quin aliquod aliud requisitum, vt proximè absolutè possit in actum prodire, & operari expectandum sit: an in non operante, cuique præfinitio prædeterminatiua non adest inueniatur? Si qui enim ad potestatem de facto non operantis ad obtinendam à Deo eiusmodi præfinitionem, siue præuia aliqua dispositione siue, actu ipso præfinito recurrat, datis impugnationibus citatis certaminibus confutandi facilè erunt. Quanti vero faciendum hoc argumentum nostrum sit, si intentum euincat, vt Catholici omnes Doctores præfinitiones hasce execrentur is solum nesciat, qui ignoret his omnibus, qui præcepta non seruant, quorumque obseruatio præfinita à Deo iuxta omnium aduersariorum sententiam non est, auxilium sufficiens, & misericordem Dei voluntatem, quibus absolutè non transgredi præcepta possint, quæ de facto transgrediuntur, adesse fidei dogma esse ignoret definitum in Arausicano can. 25. Tridentino sess. 6. can. 5. & 13. & ab Innocent. X. & Alexand. VII. in suis decretis contra quinque Cornelij Iansenij propositiones ibi damnatis, vti ex prima damnatione à nobis recitata supra q. 3. cert. 5. à n. 3. & speciatim 5. claret, & quidem, ii obtenare ex Dei sufficienti adiutorio absolutè possent præcepta, quæ transgrediuntur, inique eis imputarentur transgressio, & crudeliter ob illam iniungeretur illis supplicium.

2. Sic igitur arguo. Quisquis non habet omnia essentialiter, quovis modo, requisita ex parte causæ proximæ ad operandum, non potest absolutè operari (ni hæc omnia habere suæ potestatis sit, quod respectu præfinitionis aduersarij, cum quibus nunc pugnamus notitiæ voluntati negant) sed, quisquis non operatur, non habet omnia essentialiter requisita ex parte causæ proximæ ad operandum: ergo quisquis non operatur; non potest absolutè operari. Maior videtur certa. Minor in aduersariorum doctrina euidens est: quia quisquis non operatur, non habet præfinitionem prædeterminatiuam, quod vnum per eos ex essentialiter requisitis ex parte causæ proximæ non operatur ad operandum est: ergo quisquis ex parte proximæ non habet vnum ex essentialiter requisitis causæ ad operandum. Ex ea vero consequentia infertur. Ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficiens ad operandum. Est aperta ex definitione auxilij sufficientis præmissa. Quisquis habet auxilium sufficiens ad operandum absolutè operari potest: ergo quisquis non potest absolutè operari, non habet auxilium sufficiens: sed quisquis non operatur non potest absolutè operari: ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficiens: contra Conciliorum, & Pontificum memoratas definitiones. Hoc argumento conuictus Mag. Ioan. Vincentius Dominicanus insignis Professor Salmantinus, ac sui Ordinis Vicarius Generalis physicas suorum præmotiones, & præfinitiones reiecit, & mordicus confutauit: solaque Ecclesiæ definitione à sententia dimoueri se posse professus est teste Mag. Ledesm. de auxil. art. 4. probat. vlt. conclus. 2. qui art. 2. ad 3. *grauissimum, & difficillimum argumentum esse fatetur*. Et præfinitionum prædeterminatiuarum Primipilus Bañez 1. p. quæst. 14. art. 13. §. *Ad hoc respondetur*, ait, *vix declarari posse, quo pacto concursus causæ primæ efficax sit, & necessarius, & simul conformetur cum natura causæ contingentis*. Potro præfatis consequentiis proxima illa est, quam n. 1. fine posuimus. Nempe non posse alicui nostrum imputari ad culpam, quod actum præceptum non apponamus; cuicumque enim non adest auxilium sufficiens, quo absolutè possit operari inimputabilis ad culpam est operis omissio: sed cuicumque non operanti opus præceptum, & non adest præfinitio prædeterminatiua operis præcepti, non adest auxilium sufficiens, quo absolutè illud possit operari: ergo cuicumque non operanti opus præceptum non est imputabilis ad culpam præcepti operis omissio. Quod ipsum de actu positiuo, quo præceptum negatiuum transgredimur simili argumento conficitur. Vnde tandem infertur Deum nugatorie præceptorum alterutro modo transgressoribus æternam pœnam minitari: tamque eum, quam Reges, & humanas quasque potestates, non, nisi inique, crudeliter, & nefarie pœnas eis infligere: æque ac si vincto, quod non ambulet, non habenti lucem, speciem, vel librum, quod non videat, aut legat, non existenti Romæ, sed Mattriti, quod Romanam vineam non excauet, aut vindemiet in quibus posita sunt, tam, quæ, vt principia ad aliquas ex enumeratis operationes requiruntur, quam, quæ solum, vt conditiones requiruntur ad alias: vt nullum aduersariis effugium pateat, siue præfinitionem requisitam ad operationem, vt principium, siue, vt conditionem, & applicationem, requisitam solummodo esse velint.

3. Sed quoniam Aluarez tanti apud suos ponderis argumentum *inane* reputauit, & *leue*, cuius iudicio nonnulli ex suis recentioribus accedunt: quid habeant soliditatis eorum solutiones examinemus. Respondet primo ille sæpeque repetit lib. de auxil. d. 18. n. 20. d. 22. num. 23. d. 23. n. 30. d. 79. per totam, Cabrera de auxil. disp. 6. dub. 3. n. 109. dub. 4. n. 6. & 7. dub. 7. n. 32. & 33. Franciscus Dauila Dominicanus de auxil. c. 7. præfinitionem prædeterminatiuam non requiri ad absolutum posse operari, siue potentiam absolutam operandi voluntatis, quæ satis superque auxilio sufficienti constituitur, sed solum requiri ad operari. Sicut, inquiunt, etsi albedo necessaria sit, vt homo sit albus actu, non tamen vt possit esse albus: &, licet lux necessaria sit, vt homo actu videat, non tamen, vt possit videre: quare voluntas sine prædeterminatione potest absolutè operari, non autem absolutè operari sine prædeterminatione potest. De hac vero solutione argumento eidem contra auxilium de se efficax Thomistarum eorundem (de quo non agimus) à nostris efformato, hæc habet Illustriss. Mascarenias Algarbiorum Episcop. & Generalis fidei apud Lusitanos Quæsitor. d. 2. de auxil. p. 2. n. 13. *Nugæ sunt, si hæreses non sunt*. Censuris abstineo: totusque ad rationes venio. Contra primo: quia præfinitio prædeterminatiua operationis nostræ neque requiritur, vt terminus per illam productus, eaque posterior, nec est pars operationis nostræ voluntatis, cum sit partialis causa operationis nostræ, vel saltem applicatio actiua virtutis causæ primæ prius se ad nostram operationem accingentis, & media prædeterminatione physica voluntatem creatam ad operationem applicantis. Vnde etsi nonnulli recentiores Thomistæ prædeterminationem suam physicam, vel identificent, vel ad idem signum operationis nostræ comitanter se habere, primæuam suam sententiam deferentes, asserant, vt videbimus cert. vlt. tamen de præfinitione id nequeunt asserere: cum Dei, & nostram operationem nequeat non, in eorum, & Thomistarum omnium (qui Dei decreta libera operationibus ad extra non constituunt) sententia operationem natura antecedere. Verum vt ipsos huius distinctionis tam apertæ contra S. Thom. pudeat, non recondita Angelici Præceptoris, sed illa ipsa loca, quibus præuiam physicam motionem, & prædeterminationem nobis obtrudere contendunt, recitanda ipsis erunt, ergo 1. 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. *Sine hac essentiali motione homo nequit aliquid velle*. Ipsi vero aiunt solutione hac sua, *Sine hac essentiali motione homo potest omnia velle, quæ non vult*. quæst. 109. art. 1. corp.

Quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum prodire, nisi moueatur à Deo, art. 4. corp. *Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ.* Ergo motio diuina, siue se teneat ex parte actus primi, siue pro signo, quo volueris, essentialiter requisita ad operationem (nedum præfinitio, quæ explorato ex parte actus primi ad nostram operationem se tenet) requiritur ad posse operari, nec solum ad operari, vt, contradictoria sententiæ S. Thomæ, tua dicit solutio. Et sanè cum auxilium gratiæ omne præueniens, & excitans voluntatem nostram sit. Etiamsi de auxiliis ageremus efficacibus, quæ in physica præmotione, seu prædeterminatione per hosce consistunt, ad actum primum potentiæ volitiuæ spectare dicendum necessario foret: citiusque de præfinitione diuina, ex qua illa, tanquam è sui vnica, & totali causa anteriore, procedunt.

4. Si ergo nostrum velle, & operationem voluntatis ex parte actus primi actiui, vel, vt comprincipium, vel vt conditio indispensabilis præcedunt, requisitaque ad illam sunt, ad absolutam potentiam, & posse absolutum operari voluntatis nostræ spectare certissimum est argumento facto, ac proinde absque eis non posse absolutè voluntatem operari: quare neque habere sufficiens Dei adiutorium, & auxilium, non stante operationis nostræ, quam non exequimur, præfinitione: cum sufficiens auxilium absolutam potentiam operandi nostræ voluntati faciat, & necessario constituat. Semper enim est firmum: potentiam, cui aliquod aliud requisitum necessarium ex parte actus primi deficit, ad operandum, siue, vt prodeat in operationem actiue non esse absolutam potentiam, quæ absolute possit operari (nisi in sua potestate habeat illud aliud apponere, & adquirere, vti, iuxta aduersarios, voluntas nostra præfinitionem non habet) quæcumque enim absolutè in actu primo proximo requiruntur ad operationem in genere efficientis, sunt constitutiua formalia absolutæ potentiæ actiuæ, in genere causæ formalis; idque demonstrant exempla omnia à nobis data non habentis lucem, aut speciem ad videndum, aut applicationem ad agendum aliaque omnia, quæ ferè vltra numerum afferri possent: atqui præfinitio, & requisita proximi & non operanti non adest: ergo neque adest illi absolutum posse operari: quare non ad operari solum, sed ad posse absolutum requiritur. Totus discursus, non solum noster, nobisque dignus, sed & Augustini illoque etiam dignus est, ita de corrept. & grat. cap. 11. & quæst. 68. ex octoginta tribus scribente. *Si ad aliquod opus sit necessarium aliquod gratia donum, & illud ita denegetur homini, vt Deus neque illud det, neque sit paratus dare, quidquid homo faciat, aut conetur, non potest homini imputari ad culpam, quod tale opus non faciat.* Quare? ob rationem hanc nostram, inquit Augustinus. *Quia simpliciter est impotens ad faciendum.* Cum autem Deus, independenter omnino à nostræ libertatis vsu, è voluntatis suæ libito puro, non operantibus præfinitionem requisitam essentialiter ad operandum non apposuerit, eos absolutè operari non posse, quare, nec habere sufficiens auxilium ex mente, & sententia Augustini conuincitur. Quid? ipsi tandem, qui ita respondent fatentur, dum ita respondent, etiam Aluarez. Quippe d. 79. citata num. 2. & 3. ait. Non operantem, sed omittentem præceptam operationem, quare neque habentem operationis præfinitionem, sufficiens auxilium habere, sed incomplete quidem, non complete sufficiens ad operationem. Sed quod incomplete tale est, absolute, & simpliciter tale non est: ergo, quod incomplete sufficiens solummodo est, absolute, & simpliciter sufficiens non est. Et si autem contra se tamen pro veritate loquitur: cui enim aliquid ad aliquid deficit sufficiens ad illud non esse ex terminis ipsis patet.

5. Cabrera de incarnat. quæst. 18. art. 4. d. 4. num. 4. inde probat humanitatem Christi absolutè impeccabilem, ac simpliciter loquendo non potuisse peccare: quia Deus habuit decretum non concurrendi cum ipsa ad actum prohibitum; sed habet decretum non concurrendi cum non operante, seu negationem decreti concurrendi ad operationem, siue prædeterminatiuæ præfinitionis, cum non operante æque necessarij ad operationem: ergo simpliciter, & absolutè, quicumque non operatur non potest operari. Sed & consequentiæ huius labore, quantumlibet æqui, exonerare nos pius, & doctus Cabrera voluit d. 6. de auxil. citata n. 110. fassus: voluntatem absque prædeterminatione non esse simpliciter in actu primo constitutam ad operandum: *Sicut*, inquit, *potentia visiua sine specie, licet in ratione potentiæ habeat suam completam virtutem, tamen in ratione actus primi non est simpliciter constituta.* Posse autem, seu potentia absoluta, & simpliciter talis, idem est quod potentia in actu primo simpliciter tali constituta. Franciscus etiam Dauila de auxil. c. 7. pag. 55. *Auxilium præueniens sufficiens est ad salutem; non tamen per se solum potest salutem consequi.* Quod autem per se solum aliquid non potest sine consortio alterius, absque illo potens non est. Subdit exemplum. *Sicut visus est principium videndi sufficiens; non tamen potest actu videre sine lumine.* Ecce illis ipsis verbis, quibus huius solutionis Authores posse absolutum, quod auxilium sufficiens, secluſa præfinitione, præstare absolutè voluntati debet ad operationem, cum non exequitur, vt sufficiens ad illam absolutè sit, vel incompletum posse, & sufficientiam esse vel tale, vt sine prædeterminatione absolutè, & simpliciter nequeat voluntas operari: quod idem est, atque non habere absolutam potestatem, seu posse simpliciter: neque auxilium absolutè sufficiens ad operandum, si vnum ex præuiis requisitis ad operandum prædeterminatio, seu præfinitio diuina, quæ omni non operanti per ipsos abest: quod solum contendimus, & exemplis ipsis, quibus oppositam explicare doctrinam volunt, de visu, absque lumine, & speciebus nostram demonstrant. De quo & supra aliquantulum, & fusius infrà dicemus.

6. Sed ea distinctione nunc permissa contra ita distinguentes ostendam: neque diuinam misericordem voluntatem Dei, ex qua sufficiens auxilium ab ipso tribuitur, neque ipsum auxilium sufficiens non operantibus ad absolutam potestatem operandi, seu posse absolutè, & sufficienter operari opus nobis esse: quod est hæreticum, & contradictorium sententiæ Pauli. *Non possumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Probatur primo quia, non minus requiritur ex parte actus primi ad operandum per vos præfinitio, quam obiecti honesti propositio, qua, per vos etiam, vocamur à Deo ad operis iniuncti executionem, & ad id nobis ipse sufficienter auxiliatur: & nihilominus, per vos, præfinitio, & prædeterminatio diuina non spectat ad posse, sed ad operari solum nostræ voluntatis: quare sine illa opus non præfinitum, quod de facto omittimus operari, absolutè absque prædestinatione possumus; & si absque illa operari non possimus: ergo & si operari sine vocatione, & auxilio sufficienti gratuito, esse nequeat: ast absque illo absolutè possumus operari cum sola cogitatione nobis debita iure naturæ: imo & sine illa, iuxta ita respondentium doctrinam. Etenim principium incompletum potest per vos sufficientiam principij habere, atque absolutè appellari sufficiens, vt posse absolutum constituat, licet aliis pluribus compleri debeat, vt operetur: vt exempli pro potentiæ visiuæ absque specie, & lumine contenditis: ergo voluntas sola, quæ principium incompletum operationis est, & si pluribus aliis compleri debeat, vt operetur, sufficiens principium erit, vt absolutum posse constituat. Tertio. Probatur ipsis Aluarez verbis d. 79. n. 2. quibus explicat posse absolutum, seu potentiam absolutè, & simpliciter talem operandi per auxilium sufficiens constitutam absque prædeterminatione. *Sicut cum asserimus hominem per potentiam visiuam posse videre: quia videlicet, quantum est ex parte potentiæ, per quam constituitur in actu primo ad videndum, non requiritur vt verè dicatur posse videre, quod superaddatur illi aliqua alia potentia tribuens in actu primo ipsum posse videre. Quamuis vltra potentiam visiuam alia plura requirantur, vt quis actu videat. Et in hoc sensu &c.* atqui voluntas, quantum est ex parte potentiæ, per quam constituitur in actu primo ad volendum, non requiritur quod

quod superaddatur illi aliqua alia potentia tribuens ipsi posse velle, quamvis vltra voluntatem, quæ se sola potentia volitiua, seu volendi absolute est, vocatio Dei, & alia requirantur, vt actu velit: ergo se sola absque misericordi Dei voluntate, & vocatione, seu auxilio, quod vocas sufficiens, voluntas nostra constituet posse absolute velle & operari. Si enim abuti licet voce, qua visus potentia visiua nuncupatur, vt ea sola, absque aliis ad videndum requisitis, constituat in actu primo absolutum posse videre, seu ad videndum: licebit etiam abuti voce, qua voluntas potentia volitiua dicitur, vt ea sola absque requisitis misericordi Dei voluntate, & auxilio gratiæ sufficientis, absolutum posse ad volendum nobis constituat.

7. Contraquarto: quia, etsi præfinitio necessaria sit solum ad operari non ad posse, tamen operatio absque præfinitione per vos est impossibilis: ergo solum, vt coniuncta præfinitioni est possibilis. Patet: nam operationis, absque præfinitione contradicens terminus est operatio, non sine præfinitione: hoc autem idem prorsus est, atque operatio cum præfinitione: ergo vt detur vera, & absolute talis potentia ad operationem debet dari ad operationem coniunctim cum præfinitione, aliàs daretur vera, & realis physica potentia ad impossibile: at neque cum auxilio, & vocatione, quam sufficientem vocas ad operandum, datur voluntati nostræ impræderminatiue à Deo potentia ad operationem cum præfinitione: ergo nec vera realis absoluta potentia ad operandum. Minor probatur: quia impræderminata voluntas à Deo dicit negationem prædeterminationis à Deo, cum qua nequit prædeterminatio à Deo coniungi, sine contradictione: quod autem dici poterat negationem prædeterminatiuæ præfinitionis à Deo poni pro naturæ posteriori ad voluntatem instructam auxilio sufficienti, quia hoc vsa illa non fuit, non habet locum in doctrina quam impugnamus: statuit enim non dari dependenter ab vsu nostræ voluntatis ex auxilio sufficienti: ac insuper, cum vsus hic operatio ipsa voluntatis sit, iam pro priori ad præfinitionem Dei operatio à voluntate absolute esset: quare non solum ad posse, sed & operari necessaria præfinitio non foret. Nec magis præstat, si dicas: illam absolutam, & simpliciter dictam potentiam operandi, seu posse absolute operari voluntatem esse posse ad operationem, neque coniunctam cum præfinitione, neque seiunctam ab illa, sed præscindentem, ac secundum se sumptam præcisiue ab vtraque: siquidem, sicut operatio in sui appositione nequit præscindere ab essentialiter requisitis; alioqui vel chimæricè apponeretur: ita potentia, quæ ad apponendum exercite operationem est, ad apponendam cum requisitis solummodo esse potest, vt chimærica potentia non sit: quare ad operationem, vt præscindentem esse nequit: vt autem potentia foret ad ponendam operationem cum præfinitione requisita ad ipsam oporteret, quod esset potentia ad ponendam præfinitionem, quæ nusquam in voluntate instructa vocatione sufficiente est: quandoquidem non, nisi coniunctim poni potest: nec poni coniunctim potest, nisi ab eo qui potest ponere requisitum & operationem, quia Deus, cum aliquid præcipit non præcipit posse operari, quod tu assignas, sed operari, & exequi præceptum opus: ergo quousque dat requisita necessaria ad operandum, & exequendum, quæ nostræ potestatis non sunt, etsi det posse illud quod vultis, non dat sufficientiam ad implenda præcepta: quare neque auxilium sufficiens, sine quo implicat sufficientiam dari.

8. Confirmatur: quia, etsi actio diuersa sit ab effectu, nec spectet ad posse, quia tamen requiritur ad operandum effectum, qui non potest absolute actionem, non potest absolute effectum: ergo, licet præfinitio non requiratur ad posse operari, sed ad ipsum operari, tamen, qui non potest absolute ad præfinitionem, nec potest absolute ad operationem: sed, qui non operatur, non potest ad præfinitionem iuxta doctrinam, quam modo insectamur: ergo nec potest absolute ad operationem: ac proinde neque habet absolutam potestatem, & auxilium ad operandum sufficiens. Sexto, auxilium sufficiens voluntati nostræ tribuens absolutum posse, ad operandum præstare debet, ne stet per Deum, sed per nos defectus operationis. Sed, si requiritur ad operati profinitio diuina independens in sui positione, aut remotione ab vsu nostræ libertatis defectus operationis nostræ non stabit per nos, sed per Deum: ergo nec stabit auxilium sufficiens, neque absolutum posse operari nostræ voluntatis, quod illud non constituit. Minor probatur: stat per Deum omnino, neque aliquatenus per nos, defectus decreti, seu præfinitionis requisitæ essentialiter connexus cum negatione, seu defectu operationis, quæ prorsus nequit esse sine decreto: sed penes quem stat omnino ponere defectum alicuius rei requisitæ ad aliud, ac proinde connexum cum rei illius negatione; stat omnino ponere rei negationem: ergo penes Deum omnino sine nobis ponere negationem operationis. Minor mille obuiis exemplis monstrari facile potest: & ratione, quia quoties plura requisita necessaria sunt ad quamvis operationem, aut effectum, cuiusvis defectus eit causa adæquata negationis effectus, & operationis illius: quare, qui, vel minimum, requisitum remouet, etsi reliqua adsint, & in cassum conentur, operationis, & effectus negationem inducat necesse est: atqui Deus se solo, nullatenus libito nostro interueniente ponit defectum decreti necessarij requisiti per vos ad operationem, & effectum voluntatis nostræ: ergo se solo ponit operationis, & effectus negationem. Hinc autem fit nullam omissionem operis præcepti humanæ voluntati esse imputabilem ad culpam, & reatum: siquidem non per nos, sed per Deum stabit, quod præcepta absit operatio. Contra illud Eccles. 15. *Ne dixeris per Deum abest.* Ratio autem est: quia non sufficit rem esse absolute possibilem, vt mihi etiam possibilis sit; erit siquidem res absolute possibilis, etsi à me fieri nequeat dummodo fieri ab alio illam non repugnat: ast mihi possibilis, seu à me possibilis non erit nisi in mea potestate contineatur: atqui, si præfinitio requisita ad operationem omnem necessario sit, neque meæ potestatis operatio absolute erit: siquidem præfinitionem requisitam ad operationem, & sine qua est operatio, non mihi solum, sed, & absolute impossibilis, ponere meæ potestatis non est: quod autem mihi impossibile est, quod apponatur, vel non apponatur, mihi ad culpam, & reatum imputabile non est: ergo nec omissio, nec operatio præcepta si ad hanc præfinitio requiratur.

9. Hoc ipsum exemplis ab aduersariis pro hac solutione adductis explicatius & euidentius demonstratur. Non enim aliter est homo potens operari sine requisita præfinitione, seu prædeterminatione diuina, quam potentia visiua, sine specie, aut lumine, requisitis necessario ad videndum, & quæ habere in sua potestate non est, est potens videre per vos: sed qui hanc potentiam habet sine specie, aut sine lumine, quæ non potest adquirere, & sibi parare, neque est absolute potens ad videndum, neque ipsi imputabile, quod non videat: ergo, qui habet voluntatem, & vocationem sine præfinitione, quam nequit parare sibi, neque adquirere, nec est potens absolute operari, ac proinde non habet auxilium sufficiens, neque, si opus præceptum sit imputabile ipsi est, quod illud non operetur. Minoris primam partem dedit nobis Augustinus recitatus supra cert. 5. n. 2. ex lib. de natura, & grat. cap. 47 & rursus illam docuerat eodem libro cap. 26. sic scribens. *Oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere.* Sed ne adhuc vocibus potentiæ visiuæ, & volitiuæ abutaris, & hæreas: veniamus ad secundam partem minoris, ex qua prima, apertius adhuc, ostenditur cum enim imputabilitas absoluta omissionis operis præcepti ad conuertentiam cum potestate absoluta illud operandi dicatur iuxta illud Eccles. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus*: si probemus non habenti lucem, aut speciem absolute imputabile non esse, quod non legat, aut videat: neque eum absolutam potestatem ad videndum, & legendum habere, neque videre, aut legere absolute posse demonstrabimus. Id autem sic probo: quia aliàs, qui tenebroso specu luci omnino imperuio videre picturam, quæ inibi, vel si manus Romæ esset, vel horas Canonicas per librum recitare iuberetur, nec tamen videret, nec per librum recitaret, peccaret, pœnæque impositæ reatum, v.g. verberum incurreret. Æstimo, si tecum (quantumvis ferreus Thomista sis) verberibus eo super, ex tam iniqua lege ob eas omissiones ageretur, præfinitiones Thomisticas, & superiorem, earum ineuitabili consequentia, tam inique

agentem, abiuraturum: præsertim si iam te verberaturus superior esset, qui & præceptum illud sub ea pœna tibi imposuit, & in tenebrosum illum locum detrusit: quæ non illi, & sententiæ tuæ mala imprecareris, quibus non deuoueres diris? Mirum autem est apud rationalem hominem minus tot rationibus plena verba posse, quam verbera. Et his quidem exemplis præclusus omnino est recursus ad solutionem de sensu composito, & diuiso. Nam etiam, qui nec speciem habet, nec lucem ad videndum, & legendum, potest videre, & legere in sensu diuiso à tenebris, & speciei defectu: Et tamen imputabile illi non est, quod non videat, nec legat: quia neque ea posse iudicatur. Plura contra hanc absolutam potentiam dedimus cert. 5. & 6.

10 Sed vide, qua reuerentia tua hæc sententia cum Deo agat, ei quippe tribuis, quod in nefario etiam homine meritò damnares: vt de se præfinitionem ad opus negans, quod ipse præcipit, & fieri sine ipsa nequit; tamen, non verbera solum, & temporaneos cruciatus non operanti, ac necessario non operaturo, sed æternam pœnam iniungat: scilicet quod sibi impossibilia non exequantur. Neque illud leue est: quod Deum præcipere impossibilia non operantibus coguntur admittere contra Trident. sess. 6. can. 11. & decreta Innocentij X. & Alexandri VII. vide quo pacto *velit omnes homines* (etiam non operantes, seu cooperantes ad salutem, nec credentes) *saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, vt Apostolus ait: Cuius doctrina August. lib. ad articulos sibi falsò impositos ad 2. quod scilicet Deus nollet omnes homines saluare respondet: *Syncerissime credendum est, atque profitendum Deum velle, vt omnes homines salui fiant. Siquidem Apostolus, cuius est ista sententia, solicite præcipit, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur.* Quæ etiam ad verbum desumpsit Prosper ad obiectiones Vincentianas respons. ad 2. sequi autem aduersariorum doctrinam Deum non velle omnes homines saluos fieri: quia non vult non operantibus salutem probatur. Quia, qui nec dat, nec paratus est dare media necessaria ad finem, quæ in eius tantum potestate sunt, nullatenus intendit finem: Siquidem huius intentio, etiam inefficax, concernit medij ex parte intendentis apponendi necessario requisiti ad finem appositionem, vel præparationem, quantum est ex parte sua, ad illud apponendum; alioqui non illa intentio, sed pura finis complacentia est. Atqui Deus reprobis non operantibus ad suam salutem, neque dat, neque paratus est dare, seu habere præfinitionem, & prædeterminationem necessariam per vos, & omnino ex parte sua apponendam ad consecutionem salutis eorum: ergo Deus non vult, aut intendit salutem reproborum non operantium ad ipsam. Minor probatur: quia non habet præfinitionem, nec dat prædeterminationem, neque paratus ex parte sua est habere, & dare reprobis non operantibus ad salutem; sed ex parte potius sua, vel positiue noluit eos operari ad salutem, vel saltem omisit libere præfinitionem operis ad salutem necessarij, & dare prædeterminationem ad illud. Sed cum hoc pugnat, non solum operis, & salutis præfinitio, & prædeterminationis ad illud donatio, sed & paratum esse Deum ad illas habendas, & donandas: ergo neque eas ex parte sua habet, ac dat, neque paratus ex parte sua ex illis dare, & habere, & ita sane fatetur Thomista Cabrera d. 6. de auxiliis, dub. 7. n. 13. & 14. expressis his verbis de auxilio efficaci locutus. [Deus neque dat, neque paratus est dare auxilium efficax omnibus reprobis, sed decreuit firmo proposito, & quasi prolata sententia, illis non dare, sed eos deserere.] Nec recursus patet ad negandam maiorem de concernentia essentiali intentionis finis cum electione, seu præparatione ad eligendum efficax medium à solo adhuc intendente apponendum, cuiusmodi sunt diuina præfinitio ad salutem, & prædeterminatio: ad medium quippe efficax eligendum sola intentio efficax finis cogit. Solum ergo concernit vera Dei intentio, sed inefficax, auxilij sufficientis electionem. Sed in primis ostensù hactenus est nõ esse medium sufficiens præter præfinitionem, & prædeterminationem diuinam, in horum sententia, de se efficaces, & necessarias omnino ad salutis consecutionem: quare, cum intentio finis à simplici eius complacentia diuersa electionem, seu appositionem alicuius medij, quem intendens (præsertim, si is solum potest) ex parte sua potest apponere, defectu alterius materiæ, iuxta hanc sententiam, tenebitur vel eligere, vel paratus esse eligere, & apponere medium efficax, si vere, adhuc inefficaciter intendit omnium hominum, quare & reproborum etiam, salutem, vt scripturæ dogma est. Cum autem neque illud eligat, neque apponat, neque ad illud eligendum, & apponendum paratus sit respectu reproborum, concluditur eorum, quare, neque omnium hominum, salutem intendere contra fidei dogma: atque vniuersim in Deo efficacis ab inefficaci intentione distinctionem, in aduersariorum præfinitorum sententia, locum non habere, quod exoticum in Theologia etiam est. Si tandem dicas Deum paratum ex se esse dare reprobis non operantibus prædeterminationem, seu operationum eorum præfinitionem concipere, si, vel ipsi præuie se disponant, vel operatione ipsa præfinienda, incidis in impugnationes datas cert. 9. & 10.

CERTAMEN XII.

A communibus præfinitionum harum consectariis absurdis eædem præfinitiones reijciuntur.

1 PRæter notata hactenus absurda libertatis per illas euersæ, & sufficientis auxilij è medio sublati, & quæ his affinia proxime expendimus à certam. 2. ad 11. sunt & alia, quæ ex his communiter deducuntur, atque in hoc certam. cogere statuimus. Vt simul, semelque propositis, quanti præfinitionum de se efficacium, & ad operandum necessario prærequisitarum emendæ, conseruandæque sint prudens Theologus agnoscat. Et primo omnis consultatio de agendis, & electio nostra perit, siquidem hæc, non, nisi de his, quæ in nostra potestate, & libertate sunt, esse possunt, vt ostendimus ex Aristot. S. Thom. & pluribus Patribus quæst. 1. cert. 2. à num. 2. leges item, & præcepta sunt irrita: Cum ea omnia in eos, qui, vel aliter, quam ab alio præstitum est, operari nequeunt absolute, vel absque eius præstituto operari non possunt, nonnisi inepte, & inutiliter ferantur. Item exhortationes, petitiones, & confilia sunt omnino ob eandem rationem frustranea, vt Patres arguunt ibidem n. 3. Quarto, præfinitione de se efficaci, & prærequisita ad operandum libertas contrarietatis arbitrij nostri è medio tollitur. Etenim, si ad omnem operationem necessaria præfinitio hæc est, facta impossibili præfinitione alterius extremi contrarietatis, seu decreto concurrendi ad illam, & arbitrio nostro, independenter ab vsu libertatis arbitrij nostri fit nobis eiusmodi extremum absolute impossibile. Aſt præfinitione vnius extremi contrarietatis (v. g. amoris obiecti vnius) fit impossibilis præfinitio odij eiusdem obiecti, seu decretum concurrendi ad odium eiusdem obiecti independenter ab vsu libero arbitrij nostri: ergo posita præfinitione amoris independenter ab vsu nostri arbitrij fit nobis odium absolute impossibile, ac proinde non liberum nobis absolute: quare tollitur arbitrij nostri contrarietatis libertas. Minor probatur, quia præfinitio amoris pugnat cum præfinitione odij, & decreto efficaci Dei concurrendi ad odium eiusdem obiecti cum arbitrio nostro: quare, & est virtualis nolitio concurrendi ad illud: ergo per præfinitionem amoris fit impossibilis absolute præfinitio odij, & decretum concurrendi ad illud: imo, & est decretum non concurrendi, seu nolitio concurrendi ad illud virtualis. Posita vero nolitione Dei concurrendi ad aliquem actum fieri hunc nobis impossibilem, & arbitrij nostri erga illum libertatem perire aduersarij fatentur. Quod æque quidem certum est de nolitione virtuali odij, & concursus ad illud in præfinitione amoris inclusa, atque de nolitione formali, & libera omissione præfinitionis, seu decreti concurrendi ad odium præfinitioni amoris adhuc diuinitus inseparabiliter annexa: quia eatenus solum nolitio concurrendi ad odium impugnat, in horum principiis, cum absoluta

nostri

nostri arbitrij potestate, & libertate ad odium, quatenus cum illa pugnat præfinitio odij, seu decretum concurrendi ad illud necessario prærequisitum; si enim hæc cum nolitione odij, seu decreto concurrendi ad illud, non pugnarent, posita adhuc nolitione formali, maneret absolute odium nobis possibile: ast posita præfinitione amoris, quæ virtualis odij nolitio est, & ei necessario, adhuc diuinitus, inseparabiliter annexa negatione præfinitionis odij, seu decreti concurrendi ad illud, repugnat eius præfinitio, seu decretum concurrendi ad illud: ergo, & fit odium arbitrio nostro absolute impossibile, nec nostræ absolutæ potestati, & libertati subiectum. Vnde, qui adimplet præceptum positiuum, nequit peccare per actum positiuum oppositum: quia non potest adimplere, nisi ex præfinitione actus præcepti, quæ est virtualis Dei nolitio concurrendi ad actum oppositum: cum quo nec stat potestas, nec libertas ad illum.

2. Quinto. Præfinitiones istæ prædeterminatiuæ à nostra libertate independentes, & ad eius vsum requisitæ antecedenter faciunt homines impeccabiles quia ponunt, & contrarietatis libertatem tollunt, quia sunt virtuales nolitiones concurrendi ad oppositum: cum tamen sine volitione concurrendi, & præfinitione positiua actus oppositi, hic sit chimæricus, & impossibilis: imo & contradictionis abolent libertatem, vt late ostendimus hactenus sublatis verò præfinitionibus, & decretum concurrendi petit: quare, & in omni non exequente opus præceptum, cui plane, & præfinitio, & decretum concurrendi ad illud opus deficit, deficit absoluta potestas, & libertas ad illud, vt nuper vidimus: quare in eius carentia nullam suam exercere potest libertatem. Sine libertate autem peccatum est impossibile. Hoc autem hæresis aperta est. Verum Dominicanus Franciscus Dauila de auxil. cap. 7. n. 57. etsi id de omnibus hominibus non admittat: ait iustos, qui perseuerantiæ donum accipiunt, seu gratiam, in qua sunt moriturí esse absolute impeccabiles. Cum autem prædestinati omnes, & donum perseuerantiæ & gratiam, in qua tandem obibunt, obtineant, in huius sententia prædestinati omnes erunt aliquandiu absolute impeccabiles; quod est contra August. cap. 11. & 12. de corrept. & grat. vbi tria distinguit: *Posse nunquam peccare: nunquam actu peccare: & non posse peccare: & duo quidem prima: dari omnibus adultis; pauca quidem pro toto tempore vitæ: omnibus autem pro aliquo tempore. Tertium autem pertinere ad statum gloriæ.* Contra Prosper. de vocat. gentium cap 28. init. Bernard. serm de duplici baptismo, &c. init. ad id Roman. 9. *quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia,* &c. vbi notat non adiecisse *nec nos ipsi. Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberauit: vt nulla creatura auellere nos, aut vim facere possit. Sola id deferre possumus propria voluntate*, quæ Pauli verba eadem commentatur sententia Hugo Victorin. quæst. 229. in epist. ad Roman. est contra S. Thom. quæst. 24. de verit. art. 9. corpor. aientem, *Non tamen per hoc* (perseuerantiæ donum) *ita retrahuntur à malo, quin omnino peccare non possint* & 4. cont. gent. cap. 70. ait. Confirmatos in gratia posse absolute peccare. Et 2. 2. quæst. 24. art. 11. impeccabilitatem homini non videnti Deum minime conuenire defendit: quibus consonat. 1. par. quæst 82. art. 2. corp. fine quæst 100. art 2 & 1. 2. quæst. 106 art. 2. ad 2. Id quod etiam de B. Virgine ante verbi conceptionem docet qu. 24. de verit. sed tamen de B. Virgine à verbi conceptione potestatem peccandi non habuisse docet in 3. d. 3. qu. 1. artic. 2. quæstiunc. 3. ad 1. & 2. vbi de physica impotentia peccandi plane loquitur. Nam impotentiam peccandi moralem in prima eius sanctificatione antea ipsi decuerat eandem physicam impotentiam peccandi à verbi filii conceptione Virgini deferunt Alex 3. p. quæst. 9. m. 9. art. 1. §. 2. circa med. Marsil. in 2. quæst. 17 fine, quibus consentit tacite Ruiz sect. 5. num. 8. Adde rursus S. Thom 3. part, quæst 27. artic. 4. ad 1. S. Bonauent. in 3. d. 3. artic. 2. quæst. 2. Ricard Victorin. lib. super Cant. cap. 16. & à prima etiam virginis sanctificatione Gabr. in 3. d. 3. qu. 1. art. 3. Okamum secutus Almain d. 12. q. 2. quos refert Soar. 3. p. tom. 2 d. 4. sect. 4. §. *quamquam*. Quibus ego libentissime subscribo, sed inre solum vnitatis moraliter inter filium, & Matrem. Deo quippe filio indecens foret, si eius iam in Matrem electam, & Matrem peccaret: eique eius peccatum imputaretur citius quam peccatum filij, & pupilli, Parenti, & curatori: quare & potestas peccandi absoluta Beatissimæ Virginis coniuncta cum absoluta potestate, vt Deo imputetur peccatum esse deberet: Vnde & hac repugnante (vt vere, & Catholice repugnat) & virginis eam Matris potestatem peccandi absolutam repugnare necesse est, vt t. de Deo incarnato de eius humanitate Theologicabamur. Sed ad reliquos, qui perseuerantiæ donum, imo & confirmationem in gratia à Deo obtinuerunt redeundo S. Thom. imitantur Theophilus Raynerius in Pantheolog. verbo *liberum arbitrium*, & verbo *charitas*, S. Antonin. 1. p. tit. 4. cap. 1. §. 3. cap. 2. §. 6. circa med. cap. 4. §. 3. Caietan. Deza, Capreol. Conrad. & reliqui Theologi apud nostrum Ruiz de Scient. d. 47. sect. 4. à n. 3. & n. 10. & 11. refert Durandum, Maior. Medinam, Soar. Molin. & Azor. qui sect. 5. n. 3. refert errorem Beguardorum damnatum Clement. *Ad nostrum*, de Hæretic. aliquos iustos ad tantam charitatis perfectionem peruenire in hac vita, vt iam peccare nequeant: quod tamen hic Author de omnibus asserit prædestinatis.

3. Pugnat etiam hoc Dauilæ effatum cum apertissimis rationibus Theologicis: quin iuxta Tridentin. sess. 6. cap. 12. & 13. & can. 23. donum perseuerantiæ, & necessarium ad salutem est, & ad ordinariam prouidentiam erga iustificatum prædestinatum spectat: ergo id donum non aufert ab homine absolutam potestatem peccandi. Probatur consequentia. Non est minus miraculum, & extraordinariæ prouidentiæ auferre ab homine potestatem peccandi, quam potestatem moriendi: at auferre hanc est extraordinariæ prouidentiæ, ac non ordinariæ: ergo & auferre illam: quare dono illo, quod ordinariæ eius prouidentiæ est, nequit illa auferri. Secundo, si perseuerantiæ donum, quod peccandi absolutam auferat potestatem ad perseuerandum requiratur, perseuerantia in hominis iusti potestate non erit: quare neque salus, quæ absque perseuerantia, eiusque dono esse non potest. Primum patet: quia in nullius hominis potestate est auferre sibi potestatem peccandi: ast, si perseuerantiæ donum eius potestatis ablationem inducceret, nequiret in hominis potestate hoc esse, quin & ablatio potestatis peccandi esset in eius potestate. Tertio à priori, quia in via, cum nihil satiet appetitum, nec summum bonum clare visum voluntatem rapiat, locus manet, vt voluntas bonis delectabilibus, etsi illicitis, allici absolute possit: quare cum ij, qui perseuerantiæ donum, imo & confirmationem in gratia à Deo obtinuerunt eis donis à viæ statu non extrahantur, allici absolute à bonis illicitis, & peccare absolute possunt, in quam rationem recidit illa Durandi in 3. d. 3. quæst. 4. num. 6. quamdiu possibilis est defectus in ratione, possibile est voluntatem peccare in electione: at in omni viatore possibilis est defectus in ratione erroris ignorantiæ inconsiderationis, minusque perfectæ considerationis, euidentiæ, & certitudinis, de conuenientia boni honesti, & obseruatione præcepti, & disconuenientia transgressionis: ergo & in omni voluntate iusti, etiam in gratia confirmati, possibile est peccare in electione. Et sane cum Paulus eximie in gratia confirmatus, ita vt expendebant Bernardus, & Hugo Victorin. nuper ad Romanos scripserit: ac rursus primo Corinth. 9. dicat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar*: vt ad rem hanc ponderat S. Th. citato loco cont. gent. ac de Seraphico Francisco, mihi citra dubium, in gratia confirmato S. Bonauent. in eius vita c. 6. §. *Studebat*, hæc scribit. *Sæpe cum beatificaretur à pluribus verbum huiusmodi proferebat: filios, & filias habere possum, nolite laudare me vt securum*: nescio quo pacto asserere quis audeat, contra tot Patrum, & scholasticorum, ac Pauli expressa testimonia, imo & Tridentinum vbi proxime vniuersim definiens *iustum absolute peccare posse*, & citatam Clementinam, iustos in gratia perseuraturos peccare absolute non posse damnantem, vti Dauila asseruit. Etsi enim doctrinæ de præfinitionibus nostrorum actuum de se efficacibus consectarium sit, tot authoritatum, & rationum momentis, absque vllo Doctorum patrocinio aduersatur.

4. Et enim si Carthusian. in 1. d. 46. qu. 3. post med. de Apostolis in gratia die Pentecostes confirmatis non potuisse

de

de cætero mortaliter peccare asserit, ac de B. Virgine neque venialiter; tamen ibi de potestate solum consequente, & morali impotentia loquitur, quæ per dona, & charismata Spiritus sancti, haberi solummodo potest; etiamsi in' supremis gradibus, & copiosissima affluentia spiritualis consolationis, & altissimæ contemplationis, quibus obuiantia quæque virtuti, & obseruantiæ confirmatis in gratia proterantur, vt de se Apostolus aiebat ad Roman. 9. recitatus, atque ad rem hanc expendebat Augustinus in Psalmi 7. illa verba. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Est enim confirmatio in gratia per eiusmodi donorum copiam (vt noster Ruiz docte scribit citata sect. 5. num. 7.) [Velut incendium syluæ vastissimæ, ac frondosissimæ summa æstate excitatum, tæda, ficcis, piceis, & similibus arboribus abundantis: quam præterea fingas multo grandine ceræ, multaque pluuia olei perfundi. Hanc enim proinde aquæ multæ inferius præterfluentes non poterunt extinguere, nec flumina obruent illam, ventorumque vehementiores flatus magis inflammabunt.] Cum tamen leuiores venti, & fluctus reliquorum prædestinatorum charitatis lucem, & ardorem extinguere, & obruere valerent, qua eadem fere similitudine ad rem eandem explicandam vsus est Bernardus serm. de natiuit. Ioann. Bapt. sub init. Cassian. collar. 6. Abb. Theodori cap. 13. Augustin. epist. 144. ad Anastasium expenso testimonio Pauli ad Rom. 8. *Quis nos separabit*, &c. Atque à contrario perditissimorum hominum obdurationem explicat ibidem, quos nec flagella temporalia à vitiis reuocant, nec inspirationes vehementes in bonum inducunt, quo etiam pacto hanc obdurationem explicant Gregor. lib. 34. moral. cap. 6. ad illud Iob 41. *Cor eius indurabitur, quasi lapis, & stringetur, quasi malleatoris incus*, & lib. 29. c. 15. col. 2. & 3. alias c. 22. & 23. ad illud Iobi 38. *In similitudinem lapidis aqua durantur.* Hieronym. in Zachar. 7. vers. fin. ad illud: *Cor suum posuerunt in adamantem.* Bernard. 1. de considerat. ad Eugen. sub init. serm. 2. de resurrect. ante med. & S. Bonauent. 3. pharetræ cap. 13. Hæc autem impotentia peccandi ita in gratia, etiam eximie confirmatorum, per affluentem donorum, & charismatum, etiam feruentissimæ charitatis, copiam, & redundantiam præcise impotentiam peccandi physicam solummodo consequentem importat, antecedentem vero impotentiam solummodo moralem, si enim physicam induceret libertatem ad peccandum contra dogma Catholicum viatoribus ita confirmatis afferret: sicuti, & obduratis etiam impotentiam peccandi induceret, quia, & non transgrediendi absolutam tolleret potestatem. Est autem hoc inter confirmatos in gratia, & obduratos in malo discrimen, quod hi malo vsu gratiæ sufficientis se positiue, & principaliter obdurent, Deusque solum negatiue, & permissiue se habeat, quatenus efficacia auxilia, quibus non male vsuros nouit, non donat, vtpote suorum beneficiorum, & gratiarum absolutus dominus, quique eas hominibus conferre nullo iure tenetur: atque ea solum ratione eorum corda, & voluntates obdurare in Scriptura dicitur sæpe. Confirmare vero in gratia, atque moralem illam impotentiam peccandi confirmatis inducere positiue & principaliter dicitur. Tum quia, & eius affluentiæ donorum, quibus ea moralis peccandi impotentia antecedens ita confirmatis affertur, vnicus, nec solum præcipuus, author est: tum, quia ex ea intentione, vt non transgrediatur, sed iustitiam, & gratiam conseruent à Deo eiusmodi charismata conferuntur. Alexander vero Alensis, qui ex loco citato citari aliqua apparentia pro parte effati huius Dominicani, quod impugnamus, vtcumque posset, quatenus impotentiam peccandi, quam post filij Conceptionem Virgini defert, ad quemlibet finaliter in gratia perseuerantem pro vltimo instanti vitæ extendit in solut. ad primum de impotentia physica peccandi consequenti tantum, antecedenti vero solum morali per Spiritus sancti dona, vel gratiam Dei externæ protectionis, quibus vel dæmonis pro eo vehementes tentationes, & astus remoueantur, vel superentur, intelligendus certe est; in B. quippe Virgine duplicem peccandi impotentiam agnoscit. Alteram per Spiritus sancti dona, & charismata, excellentiora quidem, quam in aliis omnibus in gratia confirmatis, sed horum tamen charismatibus similia, in prima sanctificatione (scilicet in sui conceptione simul cum gratia ipsi à Deo collata: & hanc proinde physice consequentem solum, & moraliter antecedentem, debiliori, & imperfectiori gradu ad omnes finaliter in gratia perseuerantes pro vltimo vitæ instanti extendi satis Theologice docuit. Alteram vero à conceptione filij, & sui, & Patris ex Dei maternitate prouenientis, quam absolute impotentiam peccandi, quare & physicam merito censet: quia eius peccata in filium Deum titulo maternitatis, vt diximus refunderentur; sicuti & peccata humanitatis Christi titulo hypostaticæ vnionis, & hanc ad perseuerantes in gratia finaliter, nec pro vltimo vitæ instanti, extendit, vt oportebat, ad hoc, vt ex parte effato Dominicani huius adfaueret.

5 Cæterum, etsi adhuc respectu prædestinatorum (imo, & confirmatorum etiam in gratia) à Deo absurda ea Dauilæ propositio sit, est tamen doctrinæ præfinitionum de se efficacium consectaria. Nec solum horum impeccabilitas absoluta (quam in his pro aliquo tempore, quo continue in gratia finali perseuerabunt hic Doctor admittit) sed & reliquorum omnium, etiam non prædestinatorum impeccabilitas, seu physica absoluta peccandi impotentia pro instanti quouis, quo non peccant, eadem præfinitiones necessario consequitur, vt n. 1. & 2. ostendebamus, ac rursus ex huius discursu pro prædestinatis, & tempore, quo gratia ad finem vitæ continuatur in hunc modum ostendo. Ideo per te prædestinatus eo tempore, pro quo habet perseuerantiæ donum impeccabilis absolute est quia est decretum Dei de se efficax, & prædeterminatiuum actuum eius pro toto illo tempore: atque pro instanti, quo quivis alius, etiam ex non prædestinatis, non peccat, adest Dei præfinitio de se efficax, & prædeterminatiua actus, quo legem non transgreditur, nec peccat, sed obseruat: ergo quivis, etiam ex non prædestinatis, homo pro instanti, & duratione, qua non peccat, est absolute impeccabilis, nec poterit absolute peccare, ac non adimplere præceptum: quod prorsus hæreticum est. Consequentia videtur certa. Idem enim præstat repugnantiæ transgressionis præcepti præfinitio pro vno instanti actus, quo pro eo instanti obseruandum, nec transgrediendum præceptum est, quod præfinitio omnium actuum, quibus pro toto tempore, pro quo prædestinatus habet perseuerantiæ donum, obseruandum, nec transgrediendum præceptum est; imo non aliter præfinitio illa, si vnica sit, omnium actuum obseruantiæ præcepti impeccabilem absolute, & impotem transgrediendi præcepta prædestinatum reddit, quam, si pro singulis omnibus instantibus præfinitiones singulæ eiusmodi actuũ obseruantiæ adessent: nec, si ita à Deo singulatim præfinirentur imperfectius, debiliusve cum peccato pugnans perseuerantiæ donum prædestinatus haberet. Secundo præfinitio prædeterminatiua materialis peccati necessaria indispensabiliter est ad peccandum, iuxta hunc Doctorem, & omnes iam suæ sectæ Recentiores: quare à negatione peccati ad negationem præfinitionis prædeterminatiuæ ad materiale ipsius, in horum sententia, est necessaria consecutio: ergo respectu cuiusvis non peccantis, pro instanti quouis, non est præfinitio prædeterminatiua materialis peccati pro quouis instanti, pro quo non peccat: seu potius est nolitio efficax prædeterminandi illum pro eo instanti ad materiale peccati, seu libera omissio præfinitionis prædeterminatiuæ ad illud, cum qua æquè impossibile est peccatum, atque cum nolitione efficaci Dei concurrendi, seu omissione libera decreti concurrendi ad illud, horum sententia ergo cuiuis non peccanti pro eo instanti, quo non peccat, peccatum est absolute, & antecedenter impossibile ex absoluta impotentia peccandi. Consequentia hæc probatur: quia nolitio efficax concurrendi, seu omissio decreti concurrendi ex parte Dei ad materiale peccati, facit non peccanti absolute impossibile peccatum ex impotentia absoluta peccandi, vt Dauila, & commilitones præfinitores materialis peccati fatentur: ergo, & nolitio efficax prædeterminandi, seu omissio præfinitionis prædeterminatiuæ ad materiale peccati, quæ æque, eademque ratione pugnat cum peccato, facit cuiuis non peccanti pro instanti, quo non peccat, absolute impossibile peccatum ex impotentia absoluta peccandi pro instanti illo. Quod autem æquè, eademque ratione pugnet cum peccato omissio præfinitionis prædeterminatiuæ, seu nolitio prædeterminandi ad mate-

riale

riale peccati, ac nolitio efficax concurrendi, seu omissio decreti concurrendi ad illud est certum. Primo: quia, cum prædeterminatio fit concursus prævius causæ primæ, & physica prætmotio eius respectu causæ secundæ, ad huius motionem requisita, vt necessaria, & essentialis causæ secundæ in suis motibus, & operationibus subordinatio seruetur. Idem omnino est præfinitio prædeterminatiua ad materiale peccati, eiusve omissio, & nolitio efficax concurrendi. Idem autem æque, eademque ratione, pugnare cum eodem debet, vel non pugnare. Secundo, etsi decretum concurrendi ad materiale peccati, ac præfinitio prædeterminatiua ad illud, ac subinde eorum omissiones distinguantur, imo & præfinitio materialis peccati ad decretum concurrendi ad illud, tanquam intentio efficax ad electionem supponatur: cum tamen, & necessaria præfinitio, & anterior ad materiale peccati sit, imo, & vno gradu anterior, quam decretum concurrendi, eius omissio, vel opposita nolitio materialis peccati eadem ratione, atque omissio decreti concurrendi, vel decretum non concurrendi ad materiale peccati, eodemque anteriori naturæ, & causalitatis gradu, imo vno gradu anterius non peccanti cuivis peccatum impossibile absolute ex absoluta peccandi impotentia omnino iuxta aduersariorum doctrinam prorsus reddet: vti absurdo hoc quinto vniuersim probandum suscepimus. Porro ex hoc absurdo aliud deducitur, vel continetur fidei dogmati alteri aduersum: scilicet peccati originalis culpam omnibus Adæ posteris (Deipara excepta) communem, cum absque actuali Adæ peccato non sit (quod præfato discursu repugnare ostenditur) esse nobis impossibilem.

6 Infertur sexto cum nostro Ruiz de Montoia d. 46. deficient. ex contractu, iuramento, aut voto nullam hominibus, in præfinitorum horum sententia, suboriri adimplendi illa obligationem. Probat bene ille, quia, qui se obligat ad agriculturam per annum ex contractu, vel se obligat ad agriculturam separatam à præfinitione, vel coniunctam cum præfinitione illius, neutro modo ex eo contractu suboritur ipsi obligatio: ergo ex contractu illo (& idem est de reliquis) nulla obligatio contrahenti suboritur. Probatur ex prima antecedentis parte consecutio, in præfinitorum horum sententia, quia contractus de opera, aut re impossibili præstanda casus natura sua est, & ex quo proinde nulla eius præstandæ obligatio suboritur: vt notum in iure est instit. de inutilib. stipulat. §. *Item contra*, & pluribus vulgatissimis iuribus. Atqui agricultura separata, siue seiunctim præstanda à præfinitione eius, necessaria in horum doctrina ad ipsam, est contractus de opera, ac re impossibili: ergo & casus contractus est, & ex quo nulla obligatio suboritur contrahenti. Æque vero ex secunda antecedenti parte inoffense consequentia curritur. Etenim dupliciter solum potest de agricultura coniunctim cum præfinitione præstanda contractus iniri: scilicet, vel conditionate, siue de ea, si Deus ipsam præfiniat, seu præfinierit, qui est contractus de ea præstanda sub conditione præfinitionis diuinæ: & hoc modo nullatenus oritur obligatio quovsque conditio posita, & purificata absolute est. Cum autem, quoties contrahens de agricultura illam non exequitur, conditio, sub qua de illa præstanda contraxit, non solum non purificetur, imo vero eius oppositum, scilicet præfinitionis agriculturæ omissio, vel præfinitio negationis agriculturæ: ergo non tenetur ad agriculturam, quoties illam non exercet. si contractus ille de agro alterius excolendo conditionatus sit sub præfinitionis conditione. Sin autem præfinitio ponatur, & purificetur conditio, cum, velit, nolit, agrum debeat excolere ad nihil omnino se ex vi contractus obligat denuo, ad quod ex voluntatis suæ creatæ prædicatis obligata in doctrina præfinitorum non sit. Cum eo etiam semoto non possit non agriculturam præfinitam exercere: quare contractus ille ridiculus, frustraneus, & illusorius æque erit, atque hic *ponam effectum, si eius actionem volens, nolens apposuero, vel aliunde eius apponatur actio.* Alio vero modo tantum intelligi is contractus potest: scilicet, de agricultura absolute apponenda: cum autem agriculturæ actio essentialis actualis dependentia à sui præfinitione prædeterminatiua sit, & quæ proinde absque essentiali suo principio, nempe præfinitione, esse absolute nequit, sicuti, & reliquæ essentiales actuales dependentiæ, & actiones absque suo essentiali principio esse non possunt: ergo, qui contrahit de agricultura absolute, & secundum essentialia exercite, & actualiter apponenda contrahit de illa apponenda contrahit de illa apponenda simul, seu coniunctim cum præfinitione ipsius, à qua nequit in suæ actualis, & essentialis appositionis exercitio præscindere; sed nequit contrahere valide, & obligatorie de coniuncto agriculturæ, & præfinitionis, seu de coniungenda agricultura cum præfinitione: ergo nec de agricultura absolute apponenda potest valide, & obligatorie contrahere subsumptum probo. Nemo potest valide contrahere de eo, quod suæ potestatis non est, neque ad illud se obligare: ast coniunctum agriculturæ & præfinitionis non est potestatis Agricolæ contrahentis: ergo Agricola nequit valide de eo coniuncto contrahere ad illudve apponendum se obligare.

7 Minor probatur: quia dupliciter solum potest esse potestatis Agricolæ contrahentis illud coniunctum apponere: nempe, vel quia habet vnam coniuncti illius partem, verbi gratia, præfinitionem, & suæ potestatis est ponere aliam scilicet agriculturam, qua coniunctum ex vtraque confletur; vel quia suæ potestatis est vtriusque simul positio: sed Agricola contrahens de agricultura tunc, cum contrahit non habet præfinitionem agriculturæ per annum, singulosque eius dies, & horas exercendæ, vt patet, & aduersarij fatentur: ac proinde non ita potest ponere coniunctum præfinitionis, & agriculturæ, quatenus illam præhabet & hanc illi potest adiungere; præterquam quod, vt diximus præhabita præfinitionem non ponere agriculturam non potest: quare neque ex sua potestate potest illam apponere, vt non frustraneè, & illusorie contrahat, teneaturque ad pretij, quod pro agricultura acceperit restitutionem: siquidem pro opera, quæ suæ potestatis, & dominij, posita præfinitione, non erit illud recipit, quod est paradoxum absurdum: sed nec suæ potestatis est ponere vtramque simul: quia in primæua præfinitorum, quos impugnamus, sententia, operationum nostrarum præfinitiones soli potestati, & libertati arbitrij diuini subduntur, quin nostræ voluntatis potestati, & libertati in sui conceptione, & positione subiaceant: ita, vt omnino independenter ab vsu nostræ libertatis è mero eius arbitratu, & libertate à Deo concipiantur. Deinde contra aduersariorum aliquos, qui præfinitionum harum in sui à Deo conceptione, & positione ab vsu nostræ libertatis dependentiam aliquam per actus, vel omissiones præuie disponentes, vel per bonum earum vsum actibus ipsis præfinitis à nobis exercitum admittunt pugnatum à nobis est certaminibus totis 9. 10. & 11. Præterea impugnatur potestas ad præfinitionem prædeterminatiuam agriculturæ à Deo obtinendam, ac subinde ad coniunctum totum apponendum per præuiam dispositionem, & diligentiam contrahentis Agricolæ de agricultura, quia, cum omnis contrahens ex vi contractus teneatur ea omnia præstare, quæ in sua potestate sunt, vt contractum adimpleat; fiet sane, vt Agricola omittens præuiam illam dispositionem, & diligentiam, siue positiuam, siue negatiuam ad præfinitionem, sine qua contractum adimplere nequit, tunc, & toties peccet, quoties illam omittit. Vnde rursus fiet: vt peccare sæpe ex contractu hoc contra iustitiam possit qui agriculturam sedulo industrie, & perfecte exercet, de qua contraxit: quod est absurdissimum: quia operam de qua contrahit potest Deus præfinire, etiam, cum omnem præuiam dispositionem omisit, qui de ea opera contraxit: tunc autem opera illa cum omni perfectione, sedulitate, & industria cum qua præfinita à Deo est fiet à contrahente, quin ea non fieri, vel fieri aliter ab illo queat & tamen in omissione præuiarum dispositionum illarum ex contractu, & contra iustitiam peccabit: ergo stado in opere executione sedula, industria, & perfecta poterit ex contractus vi cõtra iustitiã peccare.

8 Neque vero vrgeri contra nos hæc argumenta, aliquodve ex illis potest. Etsi enim Deus sui omnino iuris absolute sit: cum in decreto concurrendi cum

nostris voluntatibus indifferenter ad vnam, vel alteram partem, ad quam se illæ determinent: tum in cogitationibus indifferentibus disponendis, ac præstandis, quibus, quantum satis, vt minimum, est, instrui, apparatique voluntas debet, vt absolute libera, atque ad vtrumvis potens constituatur: tamen, cum ea omnia ex munere causæ primæ à Deo posita, & naturæ iure ad naturales omnes operationes supponantur, & moraliter ex ordinaria Dei prouidentia semper habenda, solúmque ex parte nostræ libertatis, & potestatis ad vtrumvis, quam principia illa à Deo moraliter certo apponenda & indifferentia de se ad vtrumvis, neque ad alterum determinantia, relinquant nobis ad rem, & operam, industriam liberam, qua contrahimus & viuos, pacisci mur, atque operam nostram adiuncturos, quo pacto coniunctum ex eis principiis indifferentibus, & re, de qua contrahimus absolute apponere nostræ omnino potestatis, & libertatis est: quare nec de impossibili irrito, nec de eo, quod non apponere non possumus, illusorie pacisci mur: atque adeo absurda omnia contra præfinitores hosce legitime, vt æstimo, deducta in nostra doctrina cessant. Quoniam vero potentia extraordinaria, & absoluta sua Deus ob alios, quam naturæ ab ipso creatæ iuribus attendere, fines, & decretum indifferenter concurrendi cum voluntate nostra suspendere, & cogitationem ad operam, de qua contrahitur, præstandam denegare de se Deus potest: in omni contractu nostro conditio implicita & subintellecta est, ni Deus me id tibi præstare extraordinaria sua potentia nolit: vel si Deus, non obstante absolutæ, & extraordinariæ suæ potentiæ iure, quantum ex ipso est, velit, & necessaria ex parte sua apponat. Porro hæc absurda omnia, quæ ex parte vnius contrahentis de agricultura fundi alieni, ex parte etiam domini fundi illius de agriculturæ pretio præstando. Eodem modo contra præfinitores omnes inferuntur, imo contra omnes omnino contractus, & promissiones, earumque valorem, & obligationem æque probant, vt cuivis ea mediocriter intelligenti, & ad quemvis contractum, promissionem, & similia cætera applicanti manifeste patebit.

9 Ex dictis etiam constat vota omnia, & iuramenta irrita se ipsis, nulliusque obligationis eisdem de causis iuxta præfinitorum sententiam esse. Quod hæreticum, vel saltem hæresi proximum est. Etenim votum, & iuramentum de re præstanda promissio est Deo facta, eamve continet: quare à promissionibus reliquis ex persona, cui fit, & ad quam dirigitur, differt: ergo, si promissiones omnes irritæ sunt, nullamque obligationem inducunt promittenti, suntque pure illusoriæ. Idem etiam de votis dicendum in aduersariorum sententia erit. Secundo probatur breui discursibus factis voto, & iuramento de opere præstando applicatis: quo & ad promissiones reliquas applicati eadem proportione manebunt. Etenim, si conditionatum votum sit illud opus faciendi si Deus illud prædefinierit, cum aliter à nobis fieri, vel non fieri illud opus nequeat, purificata conditione per præfinitionis positionem, nihil quod nostræ potestatis sit, quodve ea posita velimus nolimus Deus habiturus non sit, Deo pollicemur: quare irrito, & in Deum irrisorie vouetur. Secundo, cum non obliget votum, vel iuramentum conditionatum, nisi purificata conditione; ac insuper quoties id, quod Deo per votum obtulimus non præstamus conditio præfinitionis, quæ sine opere præfinito esse, in aduersariorum sententia repugnat, non purificetur, atque absolute ponatur, non erit illud tunc præstandi obligatio: quare neque vnquam in eo non præstando potent esse peccatum. Deinde, si de opere absolute præstando votum emitti velis, cum non possit præscindere executio operis, quam offerimus, in exercitio à sui præfinitione magis, quam ab essentia præscindere valeat: erit votum de opponēdo opere cum præfinitione ipsius coniunctim, siue coniunctum vtriusque: quod is solum præstare potest qui operis præfinitionem pro tempore, pro quo illud præstare vouit, habet, & ex illa opus apponere, illique adiungere potest, vel qui vtrumque ponere in sua potestate habet; non habet autem vouens præfinitiones operis, quod vouet, pro tempore, quo illud præstare Deo vouit, vt aduersarij fatentur. Et ex iis omnibus, qui frequentissime vota Deo non reddunt, euidēter ostenditur: nunquam enim non redderent, si ea semper reddendi præfinitiones haberent: imo non reddere minime possent. Secundo, si eas haberent, atque ex earum præhabitione, & suppositione vouent irrito, & irrisorie vouent: cum id Deo offerant, quod independenter à voto, ac velint, nolint, non præstare non possunt. Ad ponendum vero vtramque coniuncti partem, scilicet præfinitionem, & opus Deo oblatum potestas vouenti non est: cùm præfinitio eius potestati, & libertati in sui positione, iuxta aduersariorum primam quam doctrinam, non subiaceat: eaque, vel posita, vel non posita facultas ad ponendum, vel non ponendum opus oblatum non adsit, vt oporteret ad alterutrum ex potestate sua apponendum.

10 Iam vero si decretum non præfinitiuum, & prædeterminatiuum operis, de quo votum emissum, sed de se se indifferens, vt cum operatione nostra, eiusve negatione coniungi possit, atque item reliqua, quæ voluntas habet opus, vt ad operandum progrediatur, progrediique absolute possit, eius etiam indifferentiæ sint, vt in nostra sententia: quomodocumque votum, eiusque obligatio explicetur, consistere illa apertissimum est. Et si enim cogitationes sanctæ ad voti adimpletionem necessariæ, nec potestati, nec iuri, & exigentiæ naturali voluntatis nostræ subdantur: ac proinde illas ponere, earumque collatiua decreta habere, ad supernaturalem Dei, prouidentiam solummodo spectet; voti adimpletio nostræ tandem sub illis principiis potestatis, & libertatis est. Etenim, siue sub illorum conditione voti promissio, & obligatio conditionata solum intelligantur, siue absoluta (quia ex ordinaria prouidentia supernaturali, quæ de facto erga omnes homines, & rationales creaturas habet, quibus omnibus auxilia sufficientia ad salutem, ac subinde ad præcepta, votaque omnia adimplenda Deus impertit) certa eorum habendorum spe moraliter præhabeantur, tam auxilia & sanctæ cogitationes, quam decretum concurrendi de se indifferens, quod voluntas causæ creatæ iure reposcit concepitque Deus titulo causæ primæ, cum eas sanctas cogitationes, & auxilia conferre decreuit. Constat ergo vouentes ita vota sua Deo reddere purificatis, & positis requisitis hisce posse, vt de re, neque absolute, neque sibi impossibili vota emittant: ac insuper cum iisdem requisitis positis, & stantibus non reddere vota absolute queant, de re necessaria, &, quæ illis positis vouentium potestati & libertati non subdatur, minime vouent. Si igitur, siue sub requisitorum conditione, siue ex præfata eorum præhabitione absolute, vel conditionate opus adiungere, illaque, & si de se non efficacia sui operis adiunctione efficacia reddere, & possunt, & vouent, & tenentur.

11 Septimo in præfinitorum sententia grauium, & leuium tentationum distinctio apud Theologos Patres, & Scripturam dogmatice in omni materia asserta, et eo, quod circa quamvis materiam possit homo vel fortius, vel remissius ad peccandum impelli: ac proinde grauius tentati, vel martyres, vel confessores, vel virgines maiori plausu immerito ab Scriptura, Patribus, & Ecclesia tota, quam leuius tentati celebrantur. Assumptum probatur, quia cum præfinitione victoriæ quæcumque tentatio leuis est, sine præfinitione autem ad illam, vel cum opposita præfinitione ad peccati materiale (quam necessariam etiam nonnulli ex antiquis Thomistis, & Recentiores ex ipsis omnes reputant) ad peccatum omnis tentatio est prorsus grauis; imo ab homine quovis insuperabilis: nulla autem tentatio de se se affert prædeterminationem ad victoriam, vel eius negationem, aut prædeterminationem oppositam ad peccatum, ac proinde considerata voluntate cum quovis motiuo, & occasione peccandi præcise non est magis leuiter, quam grauiter tentata, impulsiue, & sollicitata ad peccatum; sed si adsit ad hoc præfinitio, vel absit præfinitio necessaria ad victoriam, quantumvis occasio, & motiuum leue sit, grauiter, & ineuitabiliter ad peccatum tentata; si vero adsit ad victoriam præfinitio tentata, vt summum, leuissime, imo perfunctorie solummodo, vt certam. seq. ostendemus, tentata erit, nec maiori periculo peccandi expósita. Nec satis facies, si dicas grauiori impulsioni, occasioni, & motiuo

peccandi

peccandi frequentius coniungi, vel negationem præfinitionis ad victoriam, vel etiam præfinitionem oppositam ad materiale peccati connexum inexitabiliter cum ruina, & peccato ita tentati: ac proinde malus esse in illa, quam in leuiori tentatione periculum peccandi: tum quia id non prouenit ex vehementioris de se se impulsionis, & occasionis ad peccatum; sed è Dei pure arbitraria præfinitione, aut omissione præfinitionis ad vnum, vel ad alium: quare non nisi stupide, & inaniter Dæmones, qui id sapiunt, tentationes, & suggestiones malas nobis virgerent, vehementiusque, & ardentius nos ad peccandum instigarent: tum etiam, quia grauis tentatio, qua grauis est, & à leui distinguitur, maiori nos peccandi periculo exponit: atqui maiori nos periculo exponit peccandi, & difficultatem affert resistendi maiorem ratione coniunctionis cum præfinitione materialis peccati, vel negationis præfinitionis ad victoriam, seu inclusæ exigentiæ, & connexionis cum illa: ergo nullus grauiter tentatus resistit, sed potius omnis graui tentationi cedit, & peccat: quod & contra experientiam quotidianam, & contra scripturam est. Patet consequentia, quia cum præfinitione ad materiale peccati, seu negatione præfinitionis ad victoriam, seu aliquo exigente, & connexo cum illa, nequit non vincere tentatio, peccatumque ab ita tentato admitti, vt ex hactenus dictis claret.

CERTAMEN XIII.

Neque vltima solutione palinodiam recantante quidquam aduersarij præstant.

1. HActenus contra præfinitionum prædeterminatiuarum absolute arbitrij nostri, & libertatis vsum ex parte actus primi antecedentium ab illoque omnino independentium sententiam pugnatum est. Nec adeo segniter, vt eorum impetu acti illi etiam præfinitores prædeterminantes primi, post varias male fidas solutiones tentatas, à primæua sua doctrina non decesserint: asserentes, vel præuio actu, vel omissione dispositiua, vel actu ipso prædeterminatiue præfinito in genere causæ materialis præcedente præfinitionis, ac inde ortæ physicæ præmotionis absolutam positionem ab vsu arbitrij, & libertatis nostræ pendere, in quo alteram primi sui asserti partem deserunt aperte, illiusque fundamentum præcipuum ad raucitatem ab ipsis contra nos inclamatum (quod se homo ipse in suæ prædestinationis negocio discernat) non perdunt solum, sed contra se ipsos armant impetu maiore: vt à quovis periculosius in ipsos regeratur, vt vidimus cert. & 11. sed vt planè, pleneque sententiam deponerent priscam, ac palinodiam tandem, quoad præmotiones physicas præfinitionum suarum asseclas, recantarent, asserunt tandem eas ad voluntatis nostræ operationes ex parte actus primi, ac prioris naturæ, & causalitatis non antecedere; quimino eius operationibus identificari: quare non magis ad has ex parte causæ, vt comprincipia, siue, vt applicationes cum voluntate nostra præcedere posse, quam possint operationes nostræ sibi ipsis ex parte causæ alterutro modo cum voluntate præcedere. Atque hoc modo voluntatis nostræ libertatem non lædi planum quoad præmotiones est: eadem quippe potestate, qua suam possunt operationem cohibere, possunt diuinam præfinitionem, seu præmotionem physicam ipsi identificatam impedire: siquidem, quod à duobus pro libito concurrentibus essentialiter pendet, nolente altero, esse non potest, vt mille obuiis exemplis patet. Ita respondet Ledesma de auxil. art. 6. concl. 2. & 4. art. 7. concl. 2. solut. argumentor. art. 8. concl. 3. art. 10. ad 7. & 8. Zumel 1. p. q. 111. art. 7. disp. 4. ad 2. tom. 2. opusc. l. d. 4 sect. 7 concl. 4. & 5 & Thomistæ Recentiores Complutenses publice hac tempestate de suggestu respondent: probabileque reputauit olim Cabrera d. 6. de auxil dub. 10. n. 7. Et quidem Capreolus in 1. disput. 38. q. 1. art. 2. ad 1. contra 4. concl. & Lorca d. 21. de grat. vers. *Ex hac autem* idemtitate concursus, & prædeterminationis diuinæ cum nostræ voluntatis consensu posse nostram libertatem componi asserunt.

2. Non tamen prædeterminationem Thomisticam, siue voluntati intrinsecam, & inhærentem, siue extrinsecam diuinæ præfinitionis, qua à Deo voluntas nostra præmotione, actio neque, siue adactione præuia antecedenter causalitate determinetur, loquuntur: quam vterque pessime odit, vt vidimus. Sed præillud præcedentiam non actionis diuinæ ad nostram cui idemtificatur, sed causæ primæ ad voluntatem nostram, quæ sicut creatæ aliæ, causa respectu illius secunda est, & posterior nobilitate, principalitatem operandi, & maioris vniuersalitatis prioritatem apud illos significat: quia vniuersim creata omnia in operando à Deo pendent: vnde vniuersim valet subsistendi consequentia ab operatione creaturæ ad Dei operationem; non autem è contra ab operatione Dei ad operationem creaturæ vniuersim loquendo. Et quamuis in voluntaris cooperatione hac valeat ab operatione Dei ad operationem creaturæ: id tamen ex indigentia operationis ipsius est, non autem causæ primæ in operando, quæ ad hanc etiam operationem, non solum ex operationis ipsius, sed & voluntatis ipsius indigentia, subordinatione, & dependentia in operando requiritur: quare etiam, vt à Deo, communis vtrique, & eadem operatio, est prior se ipsa, vt à voluntate creata prouenit esse optime potest, atque adeo, vt à Deo est, prædeterminationis nomen merito sortiri. Ideo nostri etiam Doctores, qui constanter Dei concursum cum nostræ voluntatis operatione idemtificarunt, ipsi quatenus à Deo est, hanc prioritatem, & præcedentiam respectu sui ipsius, vt à voluntate est, admittunt: nec eo sensu prædeterminationis nomen recusabunt, vt constat ex Lessio cap. 4. Apolog. n. 9. Vasq. 1. p. d. 99. cap. 8. num. 52. qui eo sensu bene intelligunt S. Thom. in 2 d. 37. q. 2. art. 2. de voluntate creata aientem. *Non posse vitari, quin esset primum agens si eius actio in aliquod prius agens, non reduceretur.* Similiter loquuntur ex nostris alij Soar. 1. de auxil. cap. 4. num. 8. ex Aristot. & Scoto) & cap. 15. n. 7. c. 17. num. 9. licet eo cap. & cap. 22. num. 8. prædeterminationis nostræ voluntatis à Deo nomine consultius abstinendum dicat, *ne cum hæreticis in modo loquendi conueniamus, quamuis in verbis non sit multum inhærendum; si satis explicetur per illam particulam, præ, non significari præmotionem, extrinsecam efficacem ipsius Dei; sed significari solum concursum Dei in illa actione esse principaliorem, & aliquo modo priorem natura secundum independentiam & subsistendi consequentiam, vt supra explicatum est.* Repetit tom. 2. de grat. qui de auxiliis, eorumque efficacia est, lib. 5. cap. 22. ad 21. inclusiue, & quamuis in alia simili de nomine quæstione; an Deus ratione simultanei huius concursus determinare voluntatem dicendus sit? affirmare absolute videatur in opusc. l. 1. de auxil. cap. 11. n. 8. & cap. 17. n. 8. & lib 3. cap. 22. n. 15. fine, id tamen sensu solum explicato admittit, ac non absolute, sed cum addito, vt ipsa simul se determinet, & Deus determinet, non sine illa, & citato tom. 2. de grat. seu efficacia auxil. lib. 3. cap. 30. num. 12. *Nec simpliciter dicendum est Deus determinare physicè voluntatem, sed condeterminare, vel coefficere determinationem eius.*

3. Neque alia sane ratione determinatio, seu prædeterminatio, ac præmotio à Deo voluntatis nostræ ad volendum à Pererio nostro admittitur, solum enim eas voces ob prioritatem maioris vniuersalitatis, & à quo non valet subsistendi consequentia à nobis, & Soario explicatam; & cum Soariana limitatione, & addito, non autem simpliciter ab eo admittuntur, vt constat ex locis, vbi eas admisit, scilicet 8. physicor. c. 8. & 9. vbi ait voluntatem à seipsa determinari, vt eius laudi merito, & demerito, ac libertati sit locus, Deum ita mouere, & determinare voluntatem, *vt ipsa nihilominus simul se ipsam moueat, & per suam deliberationem se determinet ad hoc, vel illud.* Et quamuis causalitatem primæ causæ causalitate secunda priorem natura eo cap. 8. docear, hæc tamen prioritate naturæ

solam prioritatem maioris vniuersalitatis, & à quo non valet subsistendi consequentia, intendere satis explicuit, subdens: similem illam esse ei, quæ informis reperitur inter prædicata sensitiui, & vegetatiui: *Quemadmodum enim esse sensitiuum præsupponit esse vegetatiuum, & hoc esse corporeum; sic etiam in mouentibus, & efficientibus per se subordinatis posterius necessario præsupponit prius: & prima causa causalitas prior natura est, quam causalitas secunda.* Quod autem dicat etiam causas secundas respectu primæ, vt instrumenta artis respectu artificis se habere: non quo ad omnia, adhuc aduersarij intelligi volent, vt in suas partes trahant Pererium: alioqui, & voluntates nostras, vt in anima instrumenta à Deo, prima causa, moueri contra Tridentinum admittent. Sensus ergo, & paritas à Pererio significata ea solum est: non magis voluntates nostras independenter à Dei motione, & concursu mouere se posse, quam artis instrumenta independenter ab artifice, in quo sensu & verum exemplum est, & prius à S. Thom. allatum, vt videre est apud Soarium lib. 1. de auxil. cap. 11. num. 5. fine. Suum vero hunc paritatis eius sensum, & mentem necessariæ dependentiæ in operando causæ secundæ à prima satis Pererius expressit cap. illo 9. recitatis adnectens *ob eam causam*, (scilicet determinationem propriam adhoc, vel aliud) *meritò appellatur libera. Non enim intelligendum est: voluntatem esse liberam omnino ita, vt à nullo pendeat, nullique subiiciatur; hac enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus.* Et inferiùs agens naturale à libero creato discriminat: quod illud positis omnibus ad operandum requisitis, ita, vt nihil desit, nihilve obstet, non possit non operari; *at voluntas, etiam tunc potest agere, & non agere illud, quod ei proponitur, vel etiam contrarium.* Neque aliud voluit prædeterminationis nostrarum actionum à Deo voce (ita enim perfinitiones earum diuinas à nobis explicatas, quæst. 5. certam. 3. num. 10. quandoque appellat,) Henriq. lib. vltim. de fine hominis, quam maioris vniuersalitatis prioritatem Dei, & independentiam à causis secundis in operando, quam ipsæ à Deo nequeunt subterfugere, ita enim seipsum explicuit eo lib. cap. 5. num. 3. & in Gloss. litt. H. *Deus, quia independens est, & prima causa, dicitur prius agere in genere causæ efficientis: maxime, quia causa secunda à Deo vim agendi, & conseruationem habet; sed causa secunda dicitur prior in genere determinationis ad talem effectum specie, & numero*; Pro qua doctrina citat S. Thom. Scotum, Molinam, Caiet. & alios. Sed de huius & Pererij à Dominicanis, quo ad rem præsentem, & consectaria auersionem dedimus plura quæst. 5. cert. 3. à n. 10. ad 12. inclusiue.

4. Sed tamen eis vocibus determinationis, & prædeterminationis voluntatis nostræ, & actionum eius à Deo (quibus solam præcedentiam dignitatis diuinam in agendo, & maioris vniuersalitatis prioritatem & independentiam nostri significarunt) siue de intrinseca, siue de extrinseca voluntati nostræ, atque omnino ab eius voluntate independente loquantur Doctores nostri merito abstinent. Tum: quia determinatio causæ indifferentis proximè ad operandum (qualis constituit à Catholicis omnibus voluntas nostra libera debet, & in sua etiam doctrina constitutam manere aduersarij contendunt,) dicit elicientiam actionis, quæ sola potentiæ illius proximæ secundum se totam indifferentis ad operandum, vel non operandum, vel operandum oppositum immediata determinatio esse potest. Tum etiam: ne videamur eis vocibus cum Hæreticis conuenire: vt nuper Soarius aiebat, nosque illi proinde (sicuti & Catholicos Patres Dominicanos ea, vt minimum, de causa numerant) in suis castris recenseant. Tum: quia prædeterminatio ad operandum, seu operationem, dicit motionem determinationis ab eo, ad quod determinatio est, tanquam medij ad finem, sermonis proprietate: quæ eiusdem à se ipso esse non potest. Denique: ne Dominicani Patres, & asseclæ Thomistæ Recentiores, suis nos partibus, & sententiæ, (à qua sensu, & mente toto abscedimus cœlo) inani vocum earum aucupio, accedere clament, & glorientur: vti in Pererio, Henriquez, & aliis (quos ab ea impostura, cum hic, tum præsertim quæst. 5. cert. 3. vindicauimus,) præstiterunt: quod si adhuc prædeterminationis nomen ob maioris vniuersalitatis independentiæ, & principalitatis in operando prioritatem conseruare nihilominus aduersarij velint, per nos vtique, & gratos, licebit: Siquidem suam prædeterminationis diuinæ antecedentiam natura, & causalitate, seque ex parte actus primi tenentem cum voluntate ad operationem liberam, & necessario cum illa de se, & ex tunc pro illo actu primo connexam ab eiusque libertate omnino independentem deferunt; & nobiscum, & à libero voluntatis, & operationis exercitio pendere neque illud ex parte causæ in actu primo constitutæ præcedere, sed illi potius idemtificari, vt idem ipsum exercitium, & operatio voluntatis nostræ liberum vtrique sit, qui in illud conuenire simul suo arbitrio, & libertate debet, vt ipsum exercitium apponatur, & in se absolutè existat, ac subinde altero è duobus præ sua libertate non concurrente, sed renuente, & nolente, nequeat operatio, & exercitium liberum voluntatis nostræ, nec Dei extrinseca operatio (quæ eadem cum nostra ab his dicitur) absolute subsistere. Non secus, ac motus lapidis, qui non nisi à duobus, præ ingenti sua magnitudine, & pondere, moueri potest, vtriusque motio esse debet, ita, vt, renuente altero, alterius motio esse non possit. Id autem ipsum est, quod nos constanter asseruimus, & asserimus nostrorum sensu, & mente. Neque hanc physicarum prædeterminationum doctrinam referimus, vt disputemus, refellamusque (à quo tota hac disputatione abstinere statuimus) sed, vt amicas in ea doctrina dextras iungamus, ac videamus, an possint per illam etiam nobiscum in præfinitionibus suis (de quibus solum præsenti agimus disputatione) amice conuenire.

5. Cæterum, etsi inueniendi, quod vehementer optamus, adeo exploratum desiderij genium, & ingenium sit; fœderis, quoad præfinitiones cum Thomistis Recentioribus (cuius ingens nobis amor est) nulla dispicitur via. Cum enim Dei præfinitio libera in horum sententia æque necessarium principium operationis nostræ sit, atque nostra voluntas, quæ seorsim, ac se sola illam elicere nequit, sicuti neque à diuina præfinitione seorsim, cum ab vtroque essentia, & entitate sua indiuisim, iuxta veram solutionis memoratæ doctrinam, pendeat: fiet sane è duobus alterum: vel diuinam præfinitionem ex parte actus primi ad operationem voluntatis præsuppositam renuente ex parte sua voluntate consisterepolle: ex quo euidenter infertur diuinam præfinitionem absque operatione præfinita posse absolutè esse, ac proinde frustrari: siquidem absolute renuente, ac non concurrente voluntate, si neque eius operatio essentialiter esse absolutè operatio nequit magis, quam ipsam non præfiniente, sed renuente Deo; quare & erit præfinitio absoluta Dei, si renuente, ac non concurrente ex parte sua voluntate absolutè persistat, sine operatione præfinita, ac subinde frustrabitur: quod aduersarij, imò, & sanæ mentis homo non admittet: cum de præfinitione, & voluntate Dei quauis efficaci verum in primis certumque illud ex fide & naturali ratione esse debeat: *voluntati eius quis, quidve resistet?* Quod si, vt hoc vitetur absurdum præfinitio Dei necessario ex parte actus primi ad operationem voluntatis præsupposita, ita de sese cum operatione voluntatis independenter omnino ab vsu, & exercitio libertatis posita, & connexa inseparabiliter ab eius operatione asseratur in alterum absurdum manifestè incurritur: nempe libertatem voluntatis nostræ necessario eiusmodi præfinitione aboleri, vt hactenus tota fere hac disputatione contendimus, & cui solutione pro physica prædeterminatione (quam nunc non impugnamus) ad præfinitiones de sese efficaces accommodata, vel accommodanda erat occurrendum. Etenim si ita necessario præfinitio Dei de sese connexa, atque inseparabilis ab operatione præfinita voluntatis, atque ab exercitio libertatis eius prorsus independens ex parte actus primi ad eam operationem debeat præcedere, ea præfinitione ita posita non esse operatio ex actu illo primo pro posteriori suo naturæ ingno nequibit: neque eius absoluta existentia voluntate, & arbitrio absolutè impediri citius posset, quam præfinitionis eius absoluta positio, atque illius à diuina

uina voluntate absoluta præ conceptio: quam neque à voluntate nostra impediri absolute posse, neque huius arbitrio absolute subiacere aduersarij ipsi supponunt. Vbi ergo in sua ita præfinita operatione absolute edenda voluntatis libertas? Vbi ad suas operationes arbitrij locus? vbi indifferens eius ad vtrumuis in actu primo potestas, atque resistendi, abiiciendi, ac dissentiendi nostrum absolutum posse? nisi ad aliquam è convulsis, eradicatis, funditusque euersis hactenus solutionibus à postrema ista recurratur.

6. Quodsi (quandoquidem doctrina hac adeo proxime ad nostros Doctores aduersarij accedere voluerunt) intimioribus aliquorum ex nostris doctrinis velint adhærere: nescio an id toto exequi possint. Dicere enim primo possent: præfinitiones absolutas diuinas nostrarum operationum, eisque ex parte actus primi præcedentes futuritionis earum à volntate nostra conditionata scientia, dirigi, ac regulari. Sed in primis solutio hæc, vel scientiam conditionatam nostram admittit, & ad Soaristicas nostrarum operationum, Thomisticis de sensis, diuinas præfinitiones venit, vel est omnino insufficiens. Patet quia, vel scientia illa conditionatæ futuritionis nostrarum operationum decreto efficaci, seu præfinitioni earum absolutæ ex parte subiecti, & ex parte obiecti conditionatæ innititur, iuxta statam apud ipsos doctrinam, & tunc redeunt argumenta omnia, quæ contra ipsos dedimus controu. 2. Præterea cum operatio nostra essentialiter à præfinitione hac, æque, atque à voluntate dependeat in nullo statu à voluntate absque decreto efficaci, seu præfinitione ipsius, fieri neque absque voluntate nostra esse potest. Cum autem à decreto conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte subiecti esse pro illo statu nequeat, vt nunc dicebamus, atque decretum efficax, seu præfinitio operationum nostrarum earum principium, & compricipium cum voluntate nostra sit, eodem loco, & signo ad futuritionem, & veritatem obiectiuam conditionatam earum poni debet, quo voluntas, ex prærequisita essentialia ex parte actus primi ad illas exercendas apponantur. Cum autem hæc omnia ad futuritionem, & veritatem obiectiuam conditionatam illarum in hypothesi, seu conditionis loco apponenda necessario sint, & præfinitio etiam pro conditione ad futuritionem eandem illarum conditionatam necessario apponetur. Eo vero loco præfinitione ipsarum posita, ipsarum pro eo etiam statu contingentiam, & libertatem conditionatam euertat necesse est: vt facili hoc, & irrefragabili augmento demonstro. Quidquid præstat absolute principium operationi suæ absolute positum, præstat conditionate eidem, si pro conditione, siue in hypothesi ad ipsam apponatur: cum nihil aliud tunc designet, quam quod præstabit, præstaretve absolute, casu quo absolute poneretur: quare implicat verum esse ab eo absolute posito aliquid absolute operationi præstare, quod in hypothesi, & pro conditione positum eidem conditionate non præstet. Tum sic: Sed posita præfinitio Thomistica (vel similis alia quæuis) absolute præstat operationi nostræ præfinitæ euersionem absolute contingentiæ, & libertatis, vt num. 5. summatim, & fusius tota d. demonstrauimus: ergo eadem posita in hypothesi, seu pro conditione ad operationem nostram euersionem conditionatæ contingentiæ, & libertatis eidem præstabit. Vt ergo ex directione, & regulatione præfinitionum harum per scientiam conditionatam illarum, voluntatis, & operationum nostrarum libertatem cum ipsis componant, vel eas præfinitiones de se se cum operatione præfinita connexas deserere, vel non esse necessaria, & essentialia nostrarum operationum, sed supererogatoria principia fateri debent quod est, & à sua sententia decedere, scientiam nostram conditionatam & plane mediam admittere, atque ad Soaristicas præfinitiones migrare.

7. Denique vt vtrumque hoc absurdum retenta præfinitionum cum præfinitis operationibus connexione declinent, dicere possunt: præfinitiones determinationi, seu operationi voluntatis nostræ præuias non esse, neque ex parte actus primi ad illam cum voluntate se tenere sed ipsam comitari operationem, & determinationem voluntatis, atque ad idem ipsum signum naturæ posterius cum illa spectare. Ita ingeniosos Recentiores Complutenses Thomistas, qui huius sectæ Dominicanis blandiri, eo etiam nomine, profitebantur respondisse audio, cum à nostris vexarentur. Cæterum solutione hac in pluribus à Thomistica Schola necessario discedunt, atque aliarum sectarum difficultatibus præpediuntur. In primis enim præfinitionis nomen prisca, & hactenus apud ipsos recepta, ac propria quidem significatione, quæ eius ad operationem præfinitam naturæ, & causalitatis præcedentiam significat, abiiciunt: cum huic non ita præcedere, sed comitari solum ipsam pro eadem naturæ, & causalitatis posteriori signo fatentur. Quare licèt Pontio ingenioso Scotistæ ea solutione annuentes decretum efficax operationum nostrarum comitans defendere possent, nequeunt tamen suas Thomisticas præfinitiones tueri, quæ & sermonis proprietate eam naturæ antecedentiam sonant, & apud ipsos semper significarunt. Secundo neque decretum efficax comitans operationem, seu (quod eodem recidit) voluntatis nostræ determinationem, ac non prioritate naturæ antecedens in suis principiis possunt. Ipsi enim cum Caietano 1. p. q. 19. art. 2. actum omnem liberum voluntatis diuinæ, secundum se totum, & adæquate sumptum, Deo intrinsecum esse docent, licet, qua, liberum realiter formaliter perfectionum secundum quid solum, & diminutam, ac defectibilem, non absolutam, & simpliciter talem intrinsece absolutæ perfectioni necessariæ volitionis Dei superaddat. Cum autem decreto suo libero, & efficaci de operatione nostra, nec nuda sua voluntate necessaria, & inuariabili Deus operationis nostræ causa, & principium ex parte sua, iuxta hanc volitionis, & decreti liberi efficacis constitutionem sit: nequit decretum liberum efficax Dei, de operatione nostra illam ex parte causæ, & prioris naturæ non antecedere, se ex parte actus primi cum voluntate operatura tenendo ad operationem efficaciter ab ipso decretam eliciendam: quare non magis ipsam pro signo posteriori naturæ, & causalitatis operationis nostræ comitari decretum liberum efficax Dei poterit, quam voluntas ipsa, à qua etiam operatio ipsa procedit. Iis ergo, qui decretum liberum Dei adæquate per Dei intrinseca constituunt, quin ad libertatis eorum constitutionem extrinsecum aliud creatum aduocent, ea solutio ex vsu esse nullatenus potest. Mitto impugnationes alias statim attingendas contra eos, qui ad decreti liberi constitutionem creatum aliquid adsciscunt, vt postrema hac impugnatione se expediant (quod assequi adhuc eos non posse constabit ex dicendis sequenti controuers. de volunt. Dei d. de liberæ volitionis Dei constitutione) eę siquidem omnes decretum liberum hoc comitans operationem nostram decretam, etiam adæquate per Deo intrinseca constitutum æquo impetu quatiunt.

8. Si igitur, vt hæc absurda vitent, decreti liberi deserant per Deo intrinseca omnino constitutionem, quam (Ferrara omisso) tota sua Schola cum Caietano sectatur, atque illud extrinseca creata operatione præfinita velint, qua liberum est reipsa (rationis nostræ respectibus, & figmentis resecatis) compleri: quare neque frustrari posse effectu, seu operatione præfinita, sine qua absolute non est, neque antecedere natura, & causalitate operationem voluntatis nostræ præfinitam, qua completur, ac subinde neque voluntatis in actu primo libertati officere: siquidem neque ex parte actus primi operationem voluntatis antecedit, sed expectat potius, & tanquam sui constitutiuum subsequitur in desertam à se ante hac sententiam Ferrarae 1. cont. gent. c. 75. quam noster Vasq. 1. p. tom. 1. d. 8. Arrubal, & Herize ingeniose illustrarunt, quare, & in Vazquianæ Scholæ nostræ sententiam eunt. Secundò præcedentiam naturæ suarum præfinitionem ad operationes, qua illas constituunt plane deserunt. Tertiò, cum ita diuina decreta efficacia, & libera per nostræ voluntatis operationem liberam constituunt: etsi voluntatis nostræ adseruetur in operando libertas; apertissime voluntatis diuinæ libertas pessundatur; atque nostræ potius in operationibus nostris discernendis libertati subjicitur, quam nos eius arbitrio subdamus; quod dictu est nefas, atque aduersariorum præcipuo fundamento repugnans. Patet, siquidem quousque nostræ voluntatis exerceatur liberras

positione ipsa operationis nostræ, qua liberum de illa decretum Dei formaliter constituitur, nullatenus Dei libertas exercetur. Cum autem in nostra potestate absolute sit eam operationem apponere, vel secus, vt eam edere libere possimus, in nostra certe potestate erit, quod Deus decernat. Insuper cum absolute in nostra potestate esse absolute nequeat operationem edere, quin, quæ ex parte Dei prærequisita à nostra voluntate sunt, ad operandum ex parte actus primi adsint, atque ex parte Dei nulla in actu primo ante operationē exerceatur libertas, quæ per illam constituitur, neque liberū decretum adesse magis possit, quam operatio sibi ipsi in actu primo præcedere: sit plane exercitium libertatis diuinæ in decretis nostrarum operationum concipiendi à nostræ libertate voluntatis pendere; secus autem huius exercitium liberum à libertate diuinæ voluntatis; quando quidem nullus actus Dei liber, qua liber, sed solum, qua Deo necessarius liberam nostram operationem potest ex parte actus primi (iuxta hanc decretorum liberorum Dei per decretas operationes, & effectus creatos constitutionem) antecedere. Quarto inde fit nostra libera voluntate nos ipsos iuxta hanc solutionem in negotio prædestinationis discernere, non autem libera voluntate, & electione diuina, vt patet: quod incassum toties contra nos inclamant aduersarij.

9. Quintò: etsi hæc omnia cessarent, & operatio nostra (quæ eadem Dei est) diuinam libertatem ex præfata ratione non aboleret, nostræque non subderet: ac subinde vtriusque libertatis exercitium liberum commune eadem operatio decreta esse posset; aliunde tamen vtriusque voluntatis, & creatæ, & diuinæ libertatem euerteret. Etenim absoluta, ac plena physica libertas ad operandum sine plena, & absoluta potestate physice operandi pro arbitrio eius, qui liber est, esse prorsus nequit: sicuti, neque naturalis, ciuilis, & politica potestas, ac dominium & absoluta libertas absque plena, & absoluta potestate ciuiliter moraliter, ac politice operandi pro arbitrio eius, qui eā libertatē habet esse potest: ast quoties à duobus essentialiter, & indiuisim operatio physice pendet pænes neutrius arbitrium est plena, & absoluta potestas physica ad eam operationem: ergo penes neutrum est plena, & absoluta potestas ad illam: atque ab vtroq; exulat plena, & absoluta libertas. Maior huius syllogismi per se nota est, atque exemplo absolutæ, & plenæ moralis ciuilis, & politicæ libertatis, & dominij (quæ physicæ libertatis imitatio est) demonstrata. Minor probatur: quia potestas physica plena operationis nequit esse in parte sola potestatis, seu principio solum partiali (cuiusmodi voluntas nostra seorsim, & diuina voluntas seorsim est) sed in vtriusque coniuncto, vel in altero, quod alterius etiam præhabeat partialem potestatem; absoluta item potestas ad operandum in partiali potestate, & principio non est ad operationem, quam nequit sine consortio alterius exercere, sed cōditionata solum, si alterum comprincipium operari velit: quare opus est, vt alterum ex illis, vel alterius exercitam voluntatem, & determinationem operandi, quantum ex parte sua est, præhabeat, vt præhabet in nostris principiis exercitam Dei, quantum ex parte eius est, circa operationem nostram nostra voluntas, decreto nobis cum concurrendi, & in cogitatione auxilio, quod habiturum de facto effectum scientia sua media nouit, quodque donat (si id prius, quam concurrere indifferenter decernat, donat) vel in cumulo auxiliorum, & cogitationum in sua omnipotentia contentorum (si ante decretum conferendi cogitationem libera sua voluntate concursum nobiscum parat, de quo d. 3. præhabet determinationem liberam nostræ voluntatis, quod si auxilia, seu cogitationes sufficientes solum donet, neque effectum de facto habituras, atque concursum ex parte sua, licet non sit voluntatis operationem habituras, quam intendit inefficaciter, permissiue se circa operationis negationem (si prauasaltem sit) in eius cogitationis donatione, & alterius efficacis, siue effecturæ, si donaretur negatione se habet: cum in sua potestate hanc habeat, vt donare posset, si vellet. Probatur secundo eadem minor exemplo moralis, politicæ, & ciuilis potestatis, & dominij, quæ physicam liberæ voluntatis, & arbitrij potestatem, & dominium in operando imitantur. Etenim, tam in suprema Principis alicuius absoluta, & plena potestate, & dominio ciuili, aut politico actio non est, quæ ab alterius potestate pendet, cuius arbitrium non sub eius sit potestate; sed inadæquate, & conditionata, si alter non renuat, sed in idem conueniat vterque. Similiter nec plenum, & absolutum dominium rei eiusdem penes vnum esse potest, qui ea sine iniuria alterius habentis in illam æquum ius, & potestatem vti, hoc renuente, nequit: vnde illud axioma iuris emanauit. *Rei eiusdem penes duos dominium in solidum* (id est plenum, & absolutum, ac non ex parte solum) *esse non posse*: quod de subtilibus, quam solidis, argumentis & technis nostrorum recentiorum controuersi. 2. de incarnat vindicamus.

10. Sexto denique impugnatur solutio: quia cum ex æquo, & à Deo, & à voluntate essentialiter oriatur voluntatis nostræ operatio (quæ idem vtriusque exercitium commune liberum est) casu omnino, & fortuito, neque ab alterutrius consilio apponi poterit: quare ex decreti huius comitantia cum nostræ voluntatis operatione, & determinatione tota diuinæ prædestinationis, & de nostris liberis actibus prouidentiæ certitudo aboletur, quod est absurdissimum. Assumptum ostendunt, cum enim, vt dicebamus n. 6. in nullo statu, siue conditionato, siue absoluto ea operatio ab altera solum voluntate siue creata, siue diuina esse possit, sed necessario, & essentialiter ab vtraque coniunctim esse in vtroque statu debeat; nequit Deus, quid voluntas in alterutro statu præstitura sub his circunstantiis vel absolute, vel in hypothesi positis præstitura in edenda operatione sit nosse, vt se le illi, comitem adiungat, quin se ea ipsa scientia, vel conditionata, vel absoluta cooperantem adiunctum voluntati, ac proinde nulla scientia directum, sed casu, & fortuito videat. Non secus, ac si cæca nocte duo in trabem, seu asserem prægrandem ab vnoquoque seorsim immobilem ex aduersis extremitatibus mouere tentantes casu, & forte fortuna mouerent: idque fore conditionate sub eis circunstantiis Deus scientia sua conditionata nouit: quia purificatis, & absolute positis illis ita omnino, ac non aliter & suæ, & nostræ voluntatis in operando coniunctio futura est, quocirca, etsi quia ita vtriusque coniunctionem in ea hypothesi, & circunstantiis fore scientia sua conditionata prænouit periculo fruſtrandi suæ libertatis exercitium absolutum, & decretum non se exponat, cum ex parte sua, & ipsam, & concursum determinate absolute decernit; ast casu, & fortuito sui, & voluntatis concursum simultaneum in eadem voluntatis nostræ operatione coniungi conditionata sua scientia nec vitat, (vt contendimus) nec ignorat. Porro duæ postremæ, nempe quinta, & sexta impugnationes, etsi decretum efficax de nostræ voluntatis determinatione, effectu, & operatione, non ex extrinsece, sed per Deo intrinseca omnino, & adæquate constitutum, & nihilominus (quod falsum, & impossibile esse ostendimus) determinationem, & operationem voluntatis nostræ comitans solum, ac non antecedens ella permittamus, æque eiusmodi decretum impugnant: vt facile eas, perfunctorie etiam, meditanti patebit.

CERTAMEN XIV.

Argumenta à ratione aduersariorum exarmantur, ac fortiùs in ipsos regerunturs.

1 REstat aduersariorum argumentis à ratione effo-
rmatis occurrere. Namque ab authoritate petuntur, institutis quæstionibus, dissecta, regestaque in ipsos satis à nobis antea sunt. Et quidem si quæ à ratione opponunt, & vocum ambagibus, quibus aduersariorum quisque ea proponit, & superfluo ingemmat, ponenda hic essent, neque sub terminis non paucis, iam in præcedentibus elumbata manerent, nec tomi integrum, atque vltra iustum etiam, oblongum certamen eis recensendis, (nedum diluendis, & regerendis) sufficerent. Sed tamen quæ rei argumenta sunt breui, ad pauca

pauca à Deo capita rediguntur, vt ea pauculis numeris proponi, dilui, atque in obiectantes maiori impetu retorqueri facile possint. Ex eis vero quædam generalia sunt ad omnem voluntaris creatæ operationem: quædam vero ad omnem eius operationem honestam gratiæ meritoriam, & æternæ saluti proficuam, quare & ex misericordi Dei electione supernaturali, siue prædestinatione prouenientem spectant. Sub primo capite (quod bifidum est) duo alia continentur specialiora. Alterum ex indifferentia voluntatis petitum, alterum vero ex prædicatis causæ, & libertatis secundæ, quæ in illa est, siue ex parte primatus causalitatis, & libertatis diuinæ. Tertium aliud arguendi caput è diuinæ scientiæ infallibilitate, & certitudine desumptum omittendum hic fuit, quia quatenus ad puram scientiæ veritatem necessariam spectat obtruncatum à nobis est controuers. de scient. disp. 4. q. 4. quatenus vero ad necessitatem earum præfinitionum pro determinatiuo, aut verificatiuo diuinæ de ipsis scientiæ attinet ibi disputatione de determinatiuis, & verificatiuis scientiæ diuinæ.

2. Ad rem igitur præsentem arguunt primo. A principio, & causa actiua indifferenti, vt indifferenti, nequit esse operatio, & effectus determinatus, seu determinate: atqui voluntas nostra de se, & in se indifferens principium, & causa actiua suarum operationum, & effectuum est: ergo ab ea, vt tali, nequit esse sua operatio, aut effectus determinatus, seu determinate: ergo, ab ea operatio sua, aut effectus determinatus seu determinate prouenire, oportet illam ex parte principij aliunde, seu ab alio determinari, seu prædeterminari, siue intrinsece per physicam prædeterminationem (de qua nil in præsenti) siue extrinsecus per Dei præmotionem, sicam prædeterminationem (de qua nil à quo in operando dependet. Nisi in maiori subdolam vocem *determinate*, quasi alterius *determinatus* synonymam haberemus, facile negaremus maiorem. Etenim à Deo præcipuo, & primo agente libero, & indifferenti, qua tali, & creatæ omnes operationes, & effectus determinari, & libera sua omnia decreta determinata suo modo prodeunt: quare, & à reliquis agentibus liberis, & absolute indifferentibus, quæ primi illius imitationes, & imagines in eo (vt vidimus q. 1.) sunt, qua talibus etiam, non potest solum vna, sed debent determinatæ suæ operationes, & effectus prouenire. Quod autem Deus primum agens liberum sit, non tollit, quo minus agentia libera creata ipsum, in eo etiam imitentur: cum aliunde libertas diuina in operando abunde saluetur, vt argumentis ex eo capite petitis respondentes ostendemus. Secundò eius maioris falsitas ex definitione causæ liberæ vniuersim sumptæ, provt creatam etiam coercet, ab scriptura Patribus, & Conciliis, & Scholasticis Doctoribus consone tradita & euidenter cert. 3. demonstrata ostenditur. Siquidem iuxta illam agens liberum, qua tale, debet esse indifferentis in actu primo, ad agendum, vel non agendum, seu hoc, vel eius oppositum potestatis.

3. Tertio ex horum doctrina necessario à Catholicis omnibus admittenda impugnatur, quia per hos potius etiam præfinitione operationis nostræ voluntatis, vt libera maneat, debet manere in illa potestas, & actiuitas indifferens ad operationem, eiusque siue positionem, siue priuatiue oppositum: ac proinde maner in voluntate in sensu composito præfinitionis (& idem est physicæ prædeterminationis) si multas potentiæ ad vtrumque extremum, licet non potentia simultatis præfinitionis cum extremo oppositio operationi præfinitæ, sed ab indifferenti, qua indifferenti potestate actiua saltem creata nequit operatio, & effectus determinatus, seu determinate prouenire per vos: ergo nequę operatio determinata, seu determinate potest prouenire à voluntate, posita etiam quauis præfinitione diuina ipsius. Vnde & incassum contra nos eo principio arguunt Thomistæ, quod æque eos impugnat: ac surtus suarum præfinitionum cum operatione, & effectu præfinito necessariam connexionem debellat. Siquidem iuxta illud, & potentiam voluntatis indifferentem (quam catholice fatentur) non solum non necessario, & ineuitabiliter futura à voluntate præfinita operatio est, sed quod ea sit, est omnino impossibile, vt ergo illam maiorem tueantur potestatem indifferentem voluntatis ad vtrumvis posita præfinitione, siue vt ipsi aiunt simultatem potestatis in sensu composito præfinitiones, posita præfinitione contra scripturam Patres Concilia Senonense, & Tridentinum contra Innocent. 10. & Alexandri 7. definitiones, & contra euidentissimam rationem coguntur deserere, & aperte negare cum hæreticis libertatem. In forma respondeo distinguendo (ob æquiuocationem adverbij *determinate*, quæ in vocem *determinatus* etiam refunditur) maiorem: *determinatus* in sua causa, *& determinate* determinatione antecedente in sua causa nequit effectus, aut operatio ab agente indifferenti principio procedere fateor. *Determinatus*, *& determinate* talis in se, & quoad suam entitatem nego: ita enim à principio indifferenti, qua tali, omnis operatio, & effectus contingens, & liber debet procedere: quin, si ab indifferenti principio procedat, liber esse possit. Procedere enim à principio determinato ad vnum operationum & effectuum naturalium, & necessariorum necessitas est, quæ libertatem abolet, atque eos à liberis operationibus, & effectibus distinguit. Inde concessa minori, distinguitur eodem modo consequens, & argumentum euanescit.

E primatu libertatis Dei, qui prima causa efficiens libera est, arguunt à primo agente libero operationis nostræ debet esse anterior, & prima absoluta determinatio operationis nostræ: atqui Deus primum agens liberum eius operationis est: ergo à Deo debet esse anterior, & prima determinatio nostræ operationis. Nequit autem esse ab eo determinatio anterior, & prima, nisi per diuinam illius prædeterminationem, saltem extrinsecam præfinitionis seu decreti efficacis de illa anterius natura ad ipsam à Deo libere concepti: ergo ad nostram operationem necessario, & essentialiter Dei de illa præfinitio prioritate naturæ, & causalitatis præcedit. Confirmatur maior, imo & integrum argumentum. Quia, ni Deus operationem nostram anterius natura præfiniat, atque voluntatem nostram ad illam exercendam in actu primo, saltem extrinsecus præfinitione sua, prædeterminet, sed potius absolutam eius determinationem nostræ voluntati relinquat, Dei primæ causæ in ea operatione edenda, & indifferentia, & libertas absolute à libertate inuerso naturæ ordine determinabitur: cum ante operationem, & determinationem voluntaris, & arbitrij nostri, ni Dei de illa præfinitio præcedat, ex parte etiam Dei absoluta eius determinatio non sit, sed ad illam edendam indifferentia absolute, & determinatio, vt summum, conditionata oblatione indifferenti concursus sui, si se voluntas determinauerit, ac Dei omnipotentia ipsi per illam oblationem applicita vti voluerit. Quod si de determinatione voluntatis ex libertate contrarietatis ad operationem, eiusque contrariam: cum ad vtramuis Deus concursum suum offerre debeat, & omnipotentiam applicare ad alterutram edendam; neque ad eam, quæ à voluntate se determinante elicitur conditionalis illa determinatio ad illam potius, quam ad oppositam operationem præcedit: cum ad oppositam etiam ea ad vtrumvis concursus sui oblatio, & omnipotentiæ applicatio, sit etiam conditionata voluntas concurrendi in Deo: ergo eiusmodi oblatio indifferenter concurrendi cum nostra voluntate ad vtramuis operationem Deum causam primam liberam nostræ operationi omnino, non solum absolute, sed conditionate indifferentem, ac indeterminatum relinquit: quare à secunda causa libera, scilicet voluntate nostra, determinatur causa prima libera ad operationem, quæ libere ad vtramque edendam est: in quo naturæ ordo aperte subuertitur (maxime cum ex libertate contrarietatis operamur) & diuina libertas in nostris operationibus edendis humanæ subiicitur: quæ sono ipso vocum suam produnt absurditatem; & deuoranda tamen sunt ab his, qui antecedentes liberarum nostrarum operationum præfinitiones, seu decreta Dei prædeterminatiua negent.

5. Expendi, quam potui arctissime, quia breuissime,

sime, quæ aduersarij, dum innumeris vocibus opponunt, & amplificant extensione ipsa confundunt debilitant, & extenuant; imo & argumento vires ex propriis addidi. Respondeo tamen in primis hoc argumentum cum tota confirmatione maiori impetu Thomistas solutionis postremæ de comitantia, ac non antecedentia diuini decreti ad operationem, seu determinationem nostræ voluntatis, quam toto cert. 13. dissecimus, impugnare: quare si quid ardoris viuidi illa haberent ad eius solutionis authores Cabreram, Ledesmam, Zumelem ea dirigeremus, vt in aduersarios efferuescerent, frigidioraque ad nos deinceps peruenirent: maxime cum illi nullum aliud diuinæ libertatis exercitium anterius natura ad concurrendum & cooperandum nostræ voluntati ad suam determinationem, seu operationem recognoscant primis suis præfinitionibus ea solutione destitutis quo posito nihil aptum argumento ex primatu causæ primæ libere, seu libertatis diuinæ eluendo possunt respondere, vt etiam dicendis manifestum fiet: siquidem, vt hic saluetur primatus, exercitium aliquod diuinæ libertatis natura anterius determinationi, seu operationi voluntatis nostræ debet assignari, aliquaque huius in exercitio suæ libertatis ad diuinum illud subordinatio, atque subiectio. Respondeo ergo in nostra doctrina facillime negando maiorem argumenti. Vt enim saluetur primatus libertatis causæ primæ Dei respectu operationis, & determinationis nostræ voluntatis, opus non est à causa prima libera eam prius natura determinari: sed causam primam liberam suam, liberam potestatem, & indifferentiam circa eius operationis, & determinationis nostræ positionem ex parte sua determinare anterius natura ad voluntatis nostræ, seu causæ secundæ liberæ determinationem, & operationem, per id enim exercitium libertatis secundæ creatæ, & posterius, dependens, & subiectum, ac subordinatum exercitio primæ libertatis diuinæ sufficienter intelligitur: cum hoc non præsupposito circa operationem, & determinationem voluntatis creatæ exercitium libertatis secundæ esse prorsus nequeat. Ast decreto voluntatis diuinæ concurrendi ex parte sua ad operationem, & si non prædeterminatiuo operationis (quod & debere ex parte actus primi præcedere, & à voluntate ad suæ libertatis absolutam determinationem, & exercitium operationis supponi asserimus) libere à Deo concepto ea anterioritas exercitij libertatis causæ primæ respectu exercitij libertatis causæ secundæ, huiusque respectu illius posterioritas, dependentia, subordinatio, atque subiectio seruatur vt patet: ergo diuina præfinitione operationis pro naturæ priori ad determinationem, & operationem voluntatis nostræ opus non est, vt diuinæ libertatis respectu operationis nostræ præfinitio, seu determinatio præcedat.

6. Quocirca æquiuocatio vitanda est de contingenti, & libera appositione operationis nostræ etiam à Deo, à quo libere etiam, nec solum à nostra voluntate apponitur. Etenim, vt libere aliquid ab agente libero apponatur, opus non est, vt sit illud formale, & immediatum exercitium libertatis, seu indifferentis potestatis in actu primo agentis illius à quo libere, ac non necessario apponitur: siquidem plures extrinsecæ nobis operationes formale immediatum, & primarium exercitium libertatis nostræ non sunt, & tamen libere à nobis apponuntur (vt domus, ad quam ignem libere applicamus, incensio, vulneratio, & occisio inimici, imo, & manus ad ignem, vel ensem applicandum, & immittendum extensio) quæ proinde, & alia pleraque libera nobis secundario sunt: quia eatenus libera nobis sunt, quatenus à libera nostræ voluntatis formali & primaria determinatione, seu volitione efficaci pendent, & proueniunt: quæ, si abesset, neque ea omnia à nobis fierent, eaque semel à nobis habita, non libere immediate, & in se, sed necessario à nobis proueniunt. Igitur operatio, & determinatio voluntatis nostræ libere, & à Deo, & à nostra voluntate est, diuersimode tamen. Respectu enim nostræ liberæ in actu primo voluntatis formale eius exercitium liberum immediatum, & primarium est, gaudetque ideo libertate nostra primaria. At vero respectu libertatis causæ primæ Dei formale, & immediatum exercitium, & determinatiuum non est. Sed ex præsupposita volitione libera concurrendi diuina cum voluntate nostra, quæ formalis libertatis diuinæ determinatio, est exercitium immediatum eius, ac primario liberum prouenies: quare ea nostra operatio respectu libertatis diuinæ libera secundario solummodo censetur, etsi non necessario determinationem formalem diuinæ libertatis, seu exercitium primarium eius absolute, sequatur, vt libertatis nostræ, vt hactenus ostendimus, iura seruentur. Ex qua doctrina tota subruit confirmatio. Siquidem ex ea constat exercitium liberum primarium, & formalem determinationem libertatis diuinæ à nostra operatione, seu libertatis creatæ determinatione non pendere, nec ei subordinari, vel subiici; sed potius è contra: cum operatio, & determinatio libera nostræ voluntatis primæ libertatis diuinæ immediatum exercitium, & formalem determinationem in decreto concurrendi (quodcumque illud sit, de quo d. 3. sequenti) nostræ operationis minime absolute determinatiuo, supponat. Quod autem in effectu, seu operatione absolute apponenda à nostræ voluntatis libertate dependeat, seu potius illam sine nostra libertate non possit apponere, non est libertatis Dei dependentia subordinatio, & ad creatam voluntatem subiectio, cum in eo benigno concurrendi decreto eam voluntati permittat, vt iura libertatis eius, & operationis seruet, quæ omisso saltem decreto concurrendi, vel præmiendo fortasse oppositum, posset violare. Ac demum elargitione cogitationis effectum habituræ, si donetur, eam ipsam voluntatis nostræ operationem, & determinationem in suo dominio, & potestate habet: quare eo etiam titulo est alia libertatis nostræ secundæ ad primam Dei in absoluta determinationis, & operationis suæ positione subiectio, & subordinatio.

7. Ex nudo, & generaliori prædicato causæ primæ respectu omnium causarum secundarum, etiam naturalium, arguunt tertio quia causæ prioris altera prior esse natura debet influxus, & operatio in illam: ergo causæ primæ Dei (quæ prima respectu omnium causarum creatarum, & operationum est) influxus, & operatio in illas prior natura esse debet. Atqui voluntas causa creata, & secunda est respectu, suæ etiam operationis: ergo causæ primæ Dei operatio, & influxus, in hanc etiam, debet esse natura prior. Confirmatur, quia causa omnis secunda ideo dicitur. Non, nisi mota ab alio, mouere, id est à Deo; Deus autem mouere immotus ab alio: Vnde & hic dicitur mouens immotus, & primus motor ab Aristot. Sanct. Thomæ Philosophis, ac Theologis reliquis nominatur. Confirmatur: quia si nostra creata voluntas, quæuisue alia causa secunda, immota prius à Deo in suam operationem prodiret, ac se, non prædeterminata, determinaret suæ operationis esset, mouens immotum, quod est causam primam, siue primam aliam non habens suæ operationis esse, atque adeo minime admittendum. Respondeo in primis retorquendo in aduersarios argumentum. Ipsi enim, vtpote catholici, fatentur voluntatem creatam ad dissensum non prædeterminatam siue intrinsece, siue extrinsece, imo vero prædeterminatam ad consensum ipsi contrarium, & in sensu composito prædeterminationis huius habere potentiam absolutam ad dissensum, siue posse simultate potentiæ, vt aiunt, dissentiri iuxta concilliorum, & Pontificum definitiones datas q. 3. ergo absque prædeterminatione, siue intrinseca, siue extrinseca Dei, voluntas de se, & à se potest operari: ergo & potest absolute esse causa prima suarum operationum, primam aliam non supponens, si quid aduersariorum discursus probat: non minus autem regnant creaturæ posse absolute esse causam primam non supponentem aliam, cite, & actu causam primam non supponentem aliam: ergo aduersarij totum sui argumenti impetum, (si quem habet) excipiunt. Sed certe nullum habet: fallum siquidem assumit, dum causæ prioris alicuius operationis, & effectus, ac proinde primæ, quæ Deus est respectu omnium creatarum, debere per aliquam prio

debere per aliquam priorem natura prædeterminationem physicam, siue intrinsecam, siue extrinsecam operationi causæ secundæ præcedere. Et de intrinseca quidem & inhærente causæ creatæ facile constat; quia præter eius superfluitatem præsertim in causis naturalibus secundis) ea prædeterminatio actio formaliter esse nequit; alioqui propriori naturæ ad operationem creaturæ, & pro quo ea prædeterminatio ab aduersariis ponitur, ponenda esset operatio, & influxus Dei in effectum, & operationem creaturæ, ac proinde, & ipsa creaturæ operatio, & effectus: cum actio, & influxus in terminum pro nullo signo absque termino esse absolute possit, neque influxum alium, vt illum apponat spectare: alias absolutus non esset; quare actio, & terminus, seu effectus ad idem ipsum naturæ signum spectant, vel certe nullum aliud prius expectant: qualitas autem creata esse itidem nequit ea prædeterminatio; esset enim operationis creaturæ causa etiam secunda: quæ, si absque alia Dei prædeterminatione solo Dei influxu actuali, & cooperatione comitante cum ipsius, & causæ alterius secundæ per ipsam prædeterminatæ cooperatione à Deo satis præmoueatur (vt fateri necesse est, ne in processum infinitum prædeterminationem anteriorum natura, & causalitate abeatur) totus totus Thomistici huius argumenti impetus infringitur. Principium hoc de necessitate anteriotis naturæ prædeterminationis Dei, vt causa vlla secunda (ne dum omnes) operetur, Caietanus, Albelda, & reliqui peritiores Angelici Præceptoris esse reiiciunt, & explodunt. Respondeo ergo primatum causæ primæ nostrarum operationum concursu simultaneo Dei cum illa, sicuti, & cum causis reliquis secundis saluari, vt non solum prisci Thomistæ peritiores, verum & ex Recentibus, cum quibus pugnamus, subtiliores memorati certam. proximo fatentur. Saluatur siquidem in eo non solum causarum secundarum in essendo, atque ita in operando, seu operatione sua dependentia remota (quam satis esse Durandi schola ad primatum Dei, in causando etiam defendit) sed & proxima in operando dependentia, & quod causa secunda ea ipsa operatione, qua mouet, & se, & alia, à Deo prima causa simul moueatur ac suarum operationum primum mouens non sit: cum illa ipsa sui motio sit à Deo, & quatenus à Deo, est prioritate dignitatis, & maioris vniuersalitatis, & independentiæ sit prior seipsa, quatenus à causa creata, & secunda procedit, vt sæpe dixi.

8. Quamquam respectu creaturarum voluntatum, siue earum secundarum contingentium præmotio alia intentionalis per primam indeliberatam cogitationem, & motus subitos cum S. Thom. Albelda, Vasquez, & vtriusque scholæ Dominicanæ, & nostræ Doctoribus Deo soli adscribenda sit: & in operibus omnibus meritoriis, & ad vitam æternam, quouis gradu, conducentibus per sanctas cogitationes, siue congruas, siue sufficientes entitatiue sumptas, etiam ex sola Dei misericordia, intentionalis est præmotio: quoad extrinsecam vero nostræ voluntatis à Deo prædeterminationem per decretum efficax Dei antecedens illius operationem, siue præfinitionem Dei ab eius primatu in operando causæ primæ non venit: vt aduersariorum discursu patet: nisi simul asseratur creata aliqua operatione Dei decretum (quod cum aduersariis abnuimus) constitui: tunc enim si quid argumentum probaret de operatione, probaret etiam de Dei decreto, seu præfinitione per ipsam constituta debere nostræ voluntatis operationi natura præcedere: sed, cum nihil de operatione probet, nihil in hac etiã decreti constitutione probat de decreto: imo illi ipsi Thomistæ, qui ad libertatem nostræ voluntatis tuendam ea constitutione cum Vasquianis nostris vti volunt, ea vtuntur, vt Dei decretum efficax de nostris operationibus comitans solum illas, nullatenusque antecedens statuant. Solum ergo materiale arguendi caput pro anteriotibus natura nostra operatione diuinis præfinitionibus primatus primæ causæ Dei esse potest, quia primatus causæ primæ absque libertate in causando esse nequit: ex qua libertate prima in causando ducitur formaliter, & immediate argumentum de primatu diuinæ libertatis, à nobis ante hoc de primatu causæ primæ in operando eneruatum n. 5. & 6.

9. Quantum arguendi caput aduersariis angustius est.

Sed nequaquam strictius enodatis tribus anterioribus, & discussis. Nempe ex discretione prædestinati à reprobo: quæ quidem per prædestinationem Dei absolutam anteriorem natura operatione nostra, atque ab ipsa independentem (alioqui prædestinatus se tandem à reprobo discernet) è pura Dei gratuita, & misericordi voluntate ab eo habitam esse debet; quæque item cum salute, & bonis ad eam necessariis prædestinati connexa certo sit: quid ergo illi ad præfinitionem antecedentem ab vsu libertatis prædestinati, cum salutis, tum necessariæ ad hanc operationis prædestinati deficit? Hoc argumentum eneruatum supra, nec semel à nobis est: præsertim quæst. 1. certam. vlt. atque iterum fusius excutiendum contouer. de prædestinat. vbi de eius cum libertate nostra concordia. Nunc autem breui ex dictis respondeo. In primis illud ipsum validius impetere plures ex aduersariis subtiliores, qui argumento de euersione creatæ libertatis per suas præfinitiones pressi dependentiam earum in sui positione ab exercitio absoluto libertatis nostræ, vel præuiæ actionis, aut negationis disponentis, vel actionis ipsius præfinitæ in diuerso genere causæ præcedentis, vel prænitionem comitantis admiserunt, vt proxime anterioribus tribus, aut quatuor certaminibus ostendimus. Secundo respondeo: in nostra doctrina absolutam prædestinationem, & discretionem prædestinati à reprobo per illam absolutæ saluti consequendæ, & bonis operibus prædestinati ad illam absolute apponendam actiue absolute præcedere: item à Deo independenter ab illis absolute positis, tanquam causis, moraliter adhuc dispositiuis, seu meritis, quamtumvis tenuissimis, & motiuis debilissimis, è sola gratuita eius voluntate omnino liberali, & misericordi concipi. Denique infallibiliter ac certo, cum salutis, tum bonorum operum prædestinati, quibus obtinenda hæc est, effectum habituram absolute prædestinationem esse: ac subinde illi connexionem aliquam cum salute, & operibus ad illam præcessuris prædestinati, siue intrinsecam, & causæ, siue extrinsecam, seu logicam, & aliunde, siue extrinsecus mutuatam arguitiuam solum, & consequentiæ negari minime prædestinationi posse. Nihilominus prædestinationem discernentem prædestinatum à reprobo neque salutis, neque operum prædestinati ad eam obtinendam præfinitionem, seu efficacem Dei de illis voluntatem antecedentem prorius ipsa cum esse de se connexam ordine causalitatis necessario esse debere, nec salua nostra libertate esse posse.

10. Etenim prædestinatio salutis, aut operum ad eam obtinendam efficax voluntas non est; sed solum est voluntas efficax efficactum auxiliorum, seu congruarum cogitationum (horum siquidem *præscientia, & præparatio* ab Augustino definitur) neque intentionem salutis prædestinati de se efficacem supponit necessario; etsi de supererogatoria regulata per scientiam mediam quæstio inter Soaristas, & Vasquistas apud nostros sit, de qua nos suo loco: cum autem efficacia auxilia, atque effectum habitura, quæ essentia sua, prædestinatio concernit, de se, & ab intrinseco efficaciam ad opus non habeant, & determinationem, sed à consensu voluntatis, saltem sub eorum hypothesi, & conditione futuro oportet, vt prædestinatio consensus conditionati præscientiam præire spectet: tum, vt ab auxiliis efficacibus apponendis non aberret: tum, vt intenta salute prædestinati non cadat, cui nec de se, nec ab intrinseca natura auxilij efficacis, quod apponit, nec mediate, aut immediate pro naturæ priori connectitur. Hinc autem fit omnem connexionem, quam prædestinatio habet cum salute, & prædestinati operibus à futuritione conditionata consensus nostri, à qua efficax auxilium est, habiturum effectum, si douetur, & cuius præscientia Deus in prædestinando dirigitur pendere; ac proinde logicam solum connexionem esse cum consensu, seu effectu & operatione nostra, cum donatione illius auxilij purificatur conditio: imo non intrinsecam prædestinationi, aut conditionatæ scientiæ, qua regulatur, sed extrinsecam, & mutuo acceptam à certitudine obiecti (scilicet conditionata futuritione) quod esse supponitur, vt illud diuina scientia infallibiliter repræsentet: quia quidquid pro quovis stola est, necesse est esse. Inde etiam fit: eam connexionem, cum eius

auxilij donatione purificatur conditio, prædestinationis cum consensu absoluto voluntatis, & necessitatem, quam futuritionis absolutæ consensus prædestinatio affert, solummodo consequentem esse: siquidem, nec alterius rationis, imo, neque alia, ab ea est, quam futuritio conditionata consensus ad absolutam eiusdem futuritionem purificata conditione affert: quæ hanc naturæ priori non antecedit, sed potius tunc subsequitur; siquidem casu, quo (vt absolute potest) posita, & purificata conditione absolute non esset consensus, fore illum sub ea conditione falsum esset: nec futuritio eius conditionata, nec præscientia proinde, neque prædestinatio per illam conditionem, siue auxilium fuisset. Vnde tertio fit: scientiam conditionatam, quæ illam conditonatam futuritionem necessario supponit, & prædestinationem, quæ ei scientiæ necessario innititur ab exercitio absoluto libertatis voluntatis in sui positione, pro suo priori signo pendere; ita, vt absolute in potestate voluntatis, purificata etiam auxilij congrui vocatione, sit, ne eiusmodi præscientia, & prædestinatio pro signo illo anteriori fuerit. Non secus, ac futuritionem conditionatam (cui tota prædestinationis machina innititur) eadem sua indifferenti ad vtrumvis potestate, ac libertate in actu primo (in qua etiam potestas non consentiendi clauditur) purificata etiam conditione impedire absolute voluntas potest, ne fuerit pro ptiori suo maioris vniuersitatis per absolutam consensus negationem.

11. Sed tamen nihil horum, si semel, vel maioris vniuersalitatis, vel naturæ priori præcedat, potest, purificata ex illis conditione, abolere voluntas ne sint, sicuti ex suppositione consensus sui absoluti purificata conditione, ne sit, facere absolute nequit: esset enim potestas ad coniungendam cum actu eius negationem, & contradictorium, quæ chimærica omnino potestas est. Sine hac verò potestate faciendi, ne absolutè sit consensus voluntatis, qui semel est, purificata conditione, ne pro suis signis ea omnia, quæ semel sunt, & præcedunt, sint pro illis, & præcedant ne fuerint tamen, nec pro suis signis ea omnia præcesserint, absoluta potestas voluntatis est; siquidem, cum futuritio conditionata sub eius auxilij hypothesi, & conditione, & subinde reliqua præfata ipsi innitentia à consensu absoluto voluntatis contingenti purificata conditione in sui positione pendeant (qui à libera omissione consensus purificata etiam conditione reiici absolute potest) futuritio conditionata, & præfata ipsi innitentia impediri absolute possunt, ne pro suis signis fuerint; tametsi verum est plane, in voluntate non posse esse potestatem absolutam posita conditione ad præstandum ne illa semel posita, siue ex suppositione, quod suis quæque signis præcesserint non sint, nisi sit potestas ad omissionis absolutæ consensus posito etiam absoluto consensu: cui, vt diximus absolute futuro, vt tali, purificata conditione futuritio eiusdem conditionata, & præfata reliqua eam supponentia innituntur. Verum dependentia hæc præscientiæ conditionatæ obiectiua solum ac subinde prædestinationis à futuritione conditionata, ac demum, cum purificatur conditio à futuritione absoluta consensus, cui conditionata veritas, & futuritio innititur, nec tanquam à morali dispositione, merito, vel motiuo prædestinationis est, vt dixi; sed tanquam à materia capaci, quæ prædestinatione à Deo ad finis intenti infallibilem affectionem assumi possit: nisi enim auxilium habiturum effectum, si daretur, & esset, & præscireturapta media prædestinationis ad salutem prædestinati infallibiliter obtinendam Deo non forent: sicuti in aduersariorum præfinientium sententia salus, & consensus, & subiectum prædestinati præfiniri à Deo minime possent, si essent impossibiles: ac proinde earum possibilitas ad Dei præfinitionem, & scientiam simplicis intelligentiæ, qua præfinitiones illæ regulantur necessario supponitur: ac subinde duo hæc à consensus, & salutis per eam præfinitionem prædestinati tanquam à materiæ capacitate obiectiue pendent. Neque verò id obest quominus tota prædestinationis vnius præ alio ratio, & causa, ac proinde prædestinati à reprobo discretio penes Deum sit: vterque etenim materiam capacem, & obiectiue offert ad prædestinationem suam: cum nemo sit, esseve possit, qui singulis, & omnibus auxiliis diuinis non sit consensurus, ita vt nulli eorum omnium, quæ in Dei omnipotentia continentur, consensurus est, & si daretur, vt suo loco monstrabitur ex sola ergo gratuita misericordi, liberali, ac benefica Dei voluntate pendet, huic potius præ alio, ea, quibus consensurus est, si donentur, & salutem consecuturus, auxilia ex præscientia prædestinatione sua præparare; non verò alteri, cui præparare etiam posset, si vellet: in eoque, ac proinde penes Deum solum tota tota prædestinati à reprobo discretio est.

QVÆSTIO VIII.

An per alias rationes præfatæ liceant præfinitiones.

ROBVSTIS hisce præfinitionum prædeterminatiuarum communibus impugnationibus nostratia etiam, leuioris fors armaturæ, placuit seorsim adnectere.

CERTAMEN I.

Peculiares à ratione impugnationes contra præfinitiones de se efficaces, & prædeterminatiuas.

1. SIt impugnatio ex ipsa natura arbitrij, & voluntatis nostræ, quam mobilem ab alio solum intentionaliter, seu per obiecti propositionem, physice verò, à se ipsa tantum, mobilem semper iudicaui: imo ita censet Vasq. 1.2.d.26.n.4 & 7. & 1.p.d.99. c.8. n.51. asserens voluntatem necessitari non posse ad amandum obiectum, de quo boni, & mali ratio repræsentatur: id quod, si mobile ab alio physice esset non erat cur cum eo iudicio indifferenti non posset physice ab alio ad amandum determinate impelli, & determinari, siue necessitari: quare non esse physice mobilem ab alio supponit: quia si mobilis physice ab alio esset nulla assignari repugnantia posset principij alterius necessitantis illam, siue illud decretum prædeterminatiuum consensus extrinsece, siue quasitas intrinsece voluntati inhærens de seque connexa cum cõsensu, & ad illum irresistibiliter inducens: quæ vt omnino necessitantia non solum reiicit, sed asserit Vasqui repugnare. Huic principio consentit Guillielmus de Rubione in 1.d.10.q.2.art.1.fine & in 2.d.25.q.2.art.1.concl.2. arbitrium liberum necessitari non posse multis probans. Nec solum; vt liberum formaliter, intelligit; nihil enim afferret: cum esse liberum absolute, idem atque non esse absolute necessitatum ad operandum, etiam per aduentarios sit: quare loquitur de voluntate, seu arbitrio cum iudicio indifferenti: quod, vt dixi, si mobilis etiam physice voluntas nostra sit, saluari non potest. Consentiunt etiam S. Th.1.2.q.6.art.4.vbi Conradus, & Caiet. S.Bonauen. in 2. d.25.p.2.q 5. & 6.ar.6. Ægidius ibi q.1 art.3 ad vlt.argum. principale. Ricard. art.4.q.1. fine, & 2. Durand. quæst.4. ad 2. & in 4. d.29. quæst. vnic. §. *Ad quæstionem*. Paludan. ibi quæst.1.art.1.concl.1. quos omnes refert Ruiz de Scient. d.53.sect.3. n.7. Mitto Marsilium, qui in potentiam voluntatis, vt ab alio necessitetur in immobilitatem physicam illius ab alio nequit reducere. Cum neque intentionaliter visione Dei necessitare posse voluntatem ad eius amorem doceat. Scio oppositum doceri ab Holcoht in 1. quæst.3. art.3. & 9. post solut. ad 13. *de forte* Abulensi Iosue 11. quæst.79.med. Ruard. Tapper. art.7 contra Lutherum, Soto 1. de natur. & grat. cap 6. col.3. Bellarmin. lib.4.de grat. & lib. arbitr.c Suarez 1.de auxil. c.4.& d.19. metaph. Ruiz cit. d.53 sect.3. num.9. & sect.4.5. 6. & 7.

2. Cæterum; etsi non omnibus principium hoc nostrum de physica voluntatis immobilitate ab alio constãs sit, neque

que illud ex instituto ostendendi locus hic oportunus; nonnihil tamen dicendum hic erit, vt verus eius sensus explicetur. Sensus igitur non est necessitati absolute physice voluntatem non posse, etiam cum iudicio indifferenti constitutam, ad non operandum: cum enim voluntas creata subordinata essentialiter in operando primæ causæ Deo sit. Eo præcise, quod necessarium Dei decretum concurrendi cum ipsa sit, siue decreto non concurrendi, posito, siue decreto concurrendi è pura contradictionis libertate omisso: tunc enim cum absolute impossibile operandi sit, vt patet, diximusque sæpe, necessitata ad non operandum erit. Neque item negamus voluntatem forma, seu entitate aliquo incompossibili formaliter cum actu aliquo voluntaris posse ab alio oppositio etiam absolute impediri, necessitarique ad eum non apponendum; sicut enim à se necessitatur posito amore obiecti eiusdem odium non apponere: ita si gratia formaliter cum peccato pugnans aliunde, quam à nostræ libertatis vsu apponatur (à Deo scilicet se solo, & è sola sua libertate ipsam infundente) ad non peccandum physice, & antecedenter voluntas necessitabitur, etiamsi ipsi iudicium indifferens adsit. Ita etiam, & fortius vnionis hypostaticæ beneficio Christi humanitas præuenta peccare etiam venialiter, imo & quamvis imperfectionem moralem admittere, adhuc antecedenti potentia, nequit, ac necessitatem non peccandi fortitur, etsi obseruandi præcepta, ac contra perfectionem agendi commoda inducentia, & incommoda de se ab obseruatione retrahentia perfectissime penetrauerit. Non ergo negamus posse voluntatem assistentia formali solum alicuius ab alio etiam appositi, vel omissi necessitari physice, & absolute posse ad agendum, vel non agendum aliquid cum illo appositio incompossibile: neque id ex nostro hoc principio infertur; sed solum non posse physice influxiue voluntatem necessitari, imo neque aliquo modo adhuc non necessitante, sed vtcumque influxiue physice mouente, & impellente ab alio, quam à seipsa moueri: id enim ipsum est voluntatem ab alio, quam à se physice esse immobilem, in quo motus physicus quivis influxiuus ab alio, vt voluntas operetur, siue is necessitans, siue non necessitans illam ad operandum voluntati asseritur impossibilis.

3. Inde controu. de anima omnem voluntatis habitum diuersum ab speciebus viuidioribus, ac viuidiorem obiecti, & delectationis positiuæ, seu negatiuæ cognitionem obtinentibus in voluntate relinqui, eamque ad similes actus physice inclinantem, & impellentem negaui: quia physice mouere deberent voluntatem ex parte actus primi contra hoc principium, si diuersi ab speciebus & obiecti, & præteritorum circa illud actuum voluntatis essent; si autem idem cum eis speciebus sint solum intentionaliter illam mouent, & inducunt, vt patet. De supernaturalibus autem habitibus ad actus supernaturales quoque voluntatis alia est ratio. Hi enim potentiam voluntatis de se inchoatam, incompletam, & partialem complent, quidem; non autem ad actus præmouent, aut physice impellunt. Ratio autem huius principij ex natura ipsius voluntatis petenda est: quia cum voluntas, & appetitiua potentia, & prosecutiua de se, & à se obiecti, seu boni proposiri sit, omnis actus physicus impulsus voluntati sufficienter & adæquate ex parte actus primi constituæ, & in actu primo physice absolute potenti, ab alio ex parte actus primi physice adueniens, & mouens impulsus non solum superfluus, sed eius naturæ, & essentiæ disconueniens, & repugnans est: ex ea quippe parte inductionis à physico illo impulsu, & motione motum voluntatis ipsius natura præcedentibus, non se in obiectum propositum voluntas, & appetitus ipse mouet, & fert, sed fertur, moueturque ab alio: quare nec motus appetitiuæ facultatis est: quod cum actu appetitus, & voluntatis repugnat, qui essentia sua totus voluntatis, seu appetitiuæ facultatis prosecutio, & appetitio est, in quo à seipsa solummodo in proposita obiecta physice actiue ferri clauditur: quare locum physico impulsui, motioni, & inductioni ab alio omnino ab actu appetitionis excludit. Porro ex hoc principio apertissima ratio datur: cur voluntas in incognitum ferri nequeat. Si enim solum intentionaliter, id est per obiecti propositionem, mobilis sit, non autem physice ab alio implicat aperte in incognitum, non à se, sed ab alio physice ferri; sin autem ab alio mobilis etiam physice sit: non est, cur alterius motione physica moueri, ac non à se nequeat: cum enim vtroque modo moueri absolutè in bonum possit, & intentionali obiecti motione, qua inducitur, vt se in obiectum exercite moueat, & physice etiam ab alio: atque motione intentionali sola possit adæquate à se exercite moueri, nulla physica alterius motione præcedente, imo ita frequenter moueatur; cur non ab alio etiam solum physice in obiectum adæquate ferri quandoque possit? cum æque sit vtriusque motionis capax, atque vtramque simul præire non sit necesse: siquidem motione solum intentionali præeunte, & moueri à se physice potest sæpe in obiectum mouetur, quin ab alio physice moueatur.

4. Recurrendum sane tibi erit ad rationem motionis exercite voluntatis à se in obiectum, quæ omni prosecutioni ipsius ad obiectum sine obiecti solicitatione, aut dissuasione boni, vel mali, quod in obiecto sit, propositione, & cognitione necessario habenda esse non potest, sed hanc ipsam euasionem ratio facta præcludit. Si enim, & à se, & ab alio mobilis physice volûtas sit: neque ita inter se motiones istæ essentialiter subordinantur, vt altera sine altera dari nequeat; siquidem datur motio à se, quin motio ab alio physica præcedat; sola intentionali motione obiecti præcedente: cur non detur motio ab alio physice in obiectum, quin se ferat voluntas in illud, ac proinde quin præcedat motio intentionalis, sed ab alio adæquate physice moueatur, & feratur in obiectum? Hoc solum contendunt, qui voluntatem in incognitum ferri, quandoque posse volunt: posse, scilicet, physice ab alio ita in obiectum ferri, actumque ex ea alterius motione actiue circa illud elicere, vt à se in ipsum non feratur, sed agatur, feratur, & rapiatur physice ab alio; sicut lapis proiectus in locũ, in quem proiicitur, etsi deorsum, motio sit, & sua naturali virtute impulsum adiuuet proicientis, tamen à proiciente, ac nõ à se moueri dicitur: etsi eius motiua virtus non magis inclinaret de se ad motum deorsum quam sursum (sicuti voluntatis potentia vtriusque actiua, & potens ad odium, & amorem, prosecutionem, & fugam) planius non à se, sed à proiiciente sursum, vel deorsum ferri, ac proiici diceretur: quod si iterum dicas essentiam actus appetitiuæ facultatis prosecutionem vel fugam esse, quæ dicunt appetitum à se, vel obiectu sequi, vel ab illo separari; qui enim aliquãdo ab alio retrahitur, non fugit ipse, nec discedit: & qui ab alio aliquo trahitur, non petit ipse, nec accedit: dicet tamen aduersarij non eos actus solos, prosequendi, vel fugiendi à se obiectum, posse elici physice à voluntate, sed coniunctionem, vel separationem ab obiecto ab alio physice trahente, & retrahente ab illo: quibus à ratione satisfacere non poteris, nisi actum omnem potentiæ appetitiuæ natura, & essentia sua talem esse, vt à potentia ipsa totus totus esse physice actiue debeat, neque secundum rationem vllam ab aliena motione physica voluntatis possit prouenire: vt nomina illa prosecutionis fugæ, & generale volendi, seu appetendi, satis demonstrant, vt dicebamus.

5. Similiter ex eodem principio apertissima ratio datur illius statæ apud Philosophos, & Theologos sententiæ de impossibilitate, seu incapacitate voluntatis, vt in suis actibus propriis violetiam patiatur, ac subinde omnis eius actus voluntarius necessario esse debeat: siquidem eo præcipue huius ratio deuoluitur, quod omnis actus illius non nisi ex cognitione esse possit. Hoc autem, vt vidimus nisi ab alio physice immobilis sit ægre defenditur. Porro contra hoc principium illud solũ obiici potest (præter vnionem hypostaticam, & gratiam habitualem à Deo independenter ab exercitio voluntatis nobis infusam) quòd ex intentione finis, & actu imperante voluntas ad medij electionem, & actum, suum etiam, imperatum physice videatur inducì; imo si intentio efficax, & medium vnicum sit ad finis consecutionem, & imperiũ efficax ad eius medij electionẽ, & imperatum actum physice necessario voluntatẽ inducit. Cæterum nihil horum physica præmotione, & influxu prævio physico mouet voluntatem, sed sui præcisa formali assistentia voluntati ob incompossibilitatẽ eorum cum actibus, aut omissionibus appositis (vt n. 2. de vnione hypostatica, & gratia ita à Deo positis, & infusis diceba-mus) de intẽrione verò, & actu imperãte. Ex quibus nũc arguitur, probatur. Siquidẽ inductio physica voluntatis ex intẽtione finis, & actu imperãte, siue libera, siue necessariaad

medij electionem, & suum actum imperatum eliciendum, etiamsi influxiua inductio physica foret, tandem in motum voluntatis à seipsa reducereretur. Siquidem à seipsa voluntas imperante actu, & finis intentione mota est: atque in eis motionibus implicite se ad electionem medij, & actum imperatum mouit; præsertim si pro eo instanti medium eligendum, eiusque commoda, & incommoda menti simul oberrabant: quod si tunc non oberrabant menti, sed primum in sequenti instanti ad illud, quo intentio, seu actus imperans concepti sunt: tunc etiam intendere, & imperare, vel eos actus omittere, & retrahi, incommodorum in prosequendo medio, ac obiecto actus imperati repræsentatione, voluntas à seipsa potuit: quare in intentione, & actu imperante à se conceptis, à se etiam sola implicite ad electionem, & actum imperatum mota est, ac fortasis explicite: siquidem commoda, & incommoda eligendi medium, & actum imperatum eliciendi pro naturæ posteriori pro priori naturæ ad intentionem, & actum imperatum eliciendos anteacto (vt mente, & intellectione possunt) proposita voluntati sunt: qua ratione non incongrue medij etiam vnici electio, & imperatus actus voluntatis cum efficacia intentionis, & imperantis actus, libere nihilominus, elici poterit. Et tandem, tam intentio, quam imperans actus sui assistentia formali, & incompossibilitate cum electionis, & actus imperati omissione, non influxu physico præuio, & præmotione in eos actus, sed, vt summum, impeditiue, & à se quidem ipsa voluntatem determinat: cui determinationi principium hoc nostrum non aduersatur.

6. Eo vero statuto principio in Thomistarum doctrina (vt iam ostendam) firmiori, sic præfinitiones Thomisticas impugno, primo, voluntas creata non est physice mobilis ab alio, sed mobilis ab alio intentionaliter: atqui eius actus nequit esse præfinibilis prædeterminatiue à Deo, nisi ipsa sit mobilis physice ab alio: ergo eius actus non est præfinibilis à Deo prædeterminatiue: ergo præfinitio prædeterminatiua Thomistica actus voluntatis creatæ non est possibilis, sed omino repugnans. Syllogismus, & consequentia vtraque legitime fluunt: & de postrema patet. Siquidem si præfinitio prædeterminatiua actus voluntatis possibilis, ac non repugnans sit, nequit non eiusmodi actus voluntatis esse præfinibilis prædeterminatiue. Syllogismi maior est principium hactenus statutum. Minor probatur: quia posita impossibilitate motionis voluntatis ab alio physice, seu physica immobilitate eius ab alio ad actus, motio ab alio omnis, quare, & physica, impossibilis est; posita autem physicæ præmotionis, seu prædeterminationis impossibilitate impossibilis est præfinitio prædeterminatiua, quæ essentia sua non solum physicæ prædeterminationis possibilitatem concernit, verum & eius absolutæ existentiæ connectitur: ergo, nisi voluntas mobilis physice ab alio sit, eius actus à Deo præfinibilis non est, vt in minori assumebatur. Maior est statutum hactenus à nobis principium, & in Thomistarum, quos impugnamus, doctrina certum. Ipsi enim vt ab argumentis supra factis arbitrij nostri libertatem (quæ de fide est) tueantur, nec adeo aperte à Catholicis deficiant, & in Caluinismum eant, conspirato docent: Ad stante iudicio indifferenti voluntati nostræ necessitari absolute illam ab alio, adhuc à Deo, minime posse. Hoc autem nulla ratione valet defendi, si voluntas physice mobilis ab alio sit ad actus suos: ergo voluntas physice mobilis ab alio ad actus suos non est, sed omino immobilis. Minor (quæ sola in hoc discursu probationem desiderat) probatur: quia, si voluntas nostra præmoueri ad suos actus physice potest, non est, cur, stante etiam iudicio indifferenti, & retrahente ex parte, & inuitante ex parte ad prosecutionem obiecti, nequeat ab alio præmotione aliqua physica (esto alterius à Thomistica naturæ) necessitari absolute ad illius prosecutionem, huiusque libertatem absolute euerti, vt secundo argumento ostendemus, & de sese patet: quia physicæ præmotionis modus, & vis, ac temperamentum non est penes libertatem, seu liberam electionem voluntatis, seu penes iudicium indifferens, quod totam suam motionem intentionaliter exercet; sed penes alium, qui physice præmouet: in quo solummodo ostendi debet impossibilitas physicæ præmotionis necessitantis absolute voluntatem ad actum, ad quem ipse potest physice præmouere: sed eius virtutis defectus nequit esse in Deo, à quo, si mobilis physice ab alio voluntas ad suos actus sit, mobilis inprimis erit: ergo, si voluntas ad suos actus sit mobilis physice ab alio, etiam stante iudicio indifferenti, poterit ab alio necessitari absolute ad illos, atque absolute amittere in eis eligendis libertatem.

7. Dices indifferentiam voluntatis constitui adæquate per iudicium indifferens intentionaliter indifferenter præmouens voluntatem ad prosecutionem, vel non prosecutionem obiecti, vel eius fugam: quare implicare stare iudicium indifferens, ac non stare absolutam voluntatis libertatem, & indifferentiam ad prosecutionem, vel non prosecutionem obiecti, eiusve fugam, quæ pugnat cum absoluta eius necessitate ad prosecutionem, ab alio per physicam quamvis, & cuiusvis conditionis sit, inducenda voluntati. Hanc solutionem ethnicis fatalibus, atque hæreticis priscis prædeterminatoribus à Patribus, & Conciliis damnatis familiarem, pluribusque rationibus, imo & consequentiæ Thomistarum aduersam, ostendimus supra. Sed vniuersaliores rationes, atque à materia præfinitionis prædeterminatiuæ, & physicæ præmotionis abstrahentes huc referuabimus: vt eo receptaculo exclusos Thomistas deprehenderemus facilius in aperto palantes. Arguo sic: etli potestas indifferens, & libertas voluntatis in actu primo, iudicium indifferens requirat, & indeterminationem motionis intentionalis, tamen non in eo stat adæquate ea potestas indifferens, & libertas voluntatis in actu primo; sed vlterius, & principalius claudit actiuam indifferentem potestatem voluntatis ad opposita: ergo, si stante iudicio, & motione intentionali indifferente, non staret actiua potestas indifferens voluntatis, non staret absolute libertas in actu primo voluntatis: at, si ab alio physica aliqua præmotione (non dico benignissima, & suauissima qualem Thomistæ suam esse volunt, & vendicant, essequo modo permitto) acerrima, ferrea, & aculeata, ita in actum suum ageretur voluntas, vt absolute necessitaretur actiue ad illum, non starent simul absoluta libertas voluntatis in actu primo, & eiusdem absoluta in actu primo necessitas: siquidem, vt prima consequentia inferebat, non esset absoluta eius libertas in actu primo, sine vtriusque coexistentia repugnans, quæ solutione aduersariorum futura asserebatur. Prima vero consequentia negari, nisi ab stupido homine, nequit. Elit enim huic similis consecutio. *Homo claudit essentialiter animam rationalem, & corpus: ergo deficiente corpore non est absolute homo, etsi anima perseueraret*, vel si ad aliud quidpiam duo requirantur: *ergo non sufficit vnum*. Nisi illa tibi consecutio magis arrideat, quæ risum pluribus adstantibus aliquando, diu mouit. *Requiruntur ad probationem iuridicam duo, vt minimum testes: ergo sufficit vnus.*

8. Igitur antecedentis probatio totum, sed fere nullum, negotium erit. Probatur primo: quia ad indifferentem potestatem, & libertatem in actu primo requiritur actiua indifferentia voluntatis præter intentionalem indifferentiam iudicij proponentis. Si enim determinata actiue ad vnum voluntatis potestas esset, etsi indifferenter ipsi obiectum proponeretur, non esset absoluta eius in actu primo absoluta libertas: ergo actiua etiam potestas indifferens, nec solum intentionalis per indifferentem obiecti propositionem, constituit libertatem voluntatis in actu primo. Confirmatur. Nam appetitu bruterum sæpe proponitur obiectum cum indifferentia, & tamen libertatem in actu primo non habet, quia neque habet alterutrum eligendi actiuam potestatem, sed instinctu ad vnum, quod viuidius proponitur agi solummodo possunt: quod si & obiecta duo æque commoda, ac æque viuide proponantur, neutrum prosequi potest, vt de celebri asino Buridani vulgo dicitur. Secundo probatur à priori ex definitione causæ, & potentiæ liberæ apud Philosophos Patres, & Theologos decantatissima, à nobisque cum ex his, tum rationibus naturalibus statuta, & demonstrata, cert. 1. quæst. 7. ex ea quippe constat potestatem indifferentem causæ liberæ, seu eius in actu primo libertatem esse ad operandum, seu agendum, vel non agendum, vel etiam ad agendum oppositum: ergo potestas indifferens, in qua causæ liberæ, seu voluntatis libertas in actu primo formaliter stat, tota tota in potestate actiue

actiue indifferente causæ liberæ, seu volũtatis formaliter, & directè consistit; & si indifferentem obiecti propositionem, quia in incognitum ferri nequit, necessario præsupponat, atque, vt conditionem indispensabilem prærequirat: ergo indifferentia actiuæ potestatis libertatem causæ liberæ in actu primo non potest non constituere; quin eam indifferentia intentionalis indifferenti obiecti propositione constituat: siquidem actiua indifferentia in linea eadem actiuitatis potentiæ, in qua libertas in actu primo voluntatis est, omnino inuenitur; secus autem intentionalis indifferentia propositionis obiecti, quæ actiuitatis lineam, in qua ipsa non est, minimè complet, sed tantum vt conditio necessaria viam voluntati aperiens, vt facultate sua progrediatur, sistatve, vel fugiat ostendens, prærequiritur. Et sanè non menti solum, sed, vel sensui ipsi, absonum est: conditionis indifferentiam, non autem facultatis actiuæ, in qua, & libertas in actu primo est, & à cuius indifferenti potestate egredi operatio, & effectus debent, vt liberi sint, & fiant, ad libertatem voluntatis requiri. Si autem actiuæ voluntatis indifferentia ad libertatem eius in actu primo, non æquè solum, sed & principalius, & directius, quam indifferentia intentionalis propositionis obiecti, formaliter constituendam, ea actiuitatis indifferentia concurrit: etsi intentionalis adsit, si actiua, ex acri, & inflexibili aliqua physica præmotione necessitante absolutè voluntatem ad suos actus & prædeterminante etiam adsit sola necessitas absoluta erit. Quare & stante indifferenti obiecti propositione, si mobilis physice ab alio voluntas creata sit, nulla erit repugnantia in eo, quod necessitate absoluta physice ab alio in suos actus præmoueatur: ergo voluntatem non posse necessitate absoluta physice ab alio moueri ex nostro hoc principio vnice probandum est, quod voluntas physice mobilis ab alio non sit.

9. Dices iterum libertatem voluntatis in actu primo non stare in sola indifferentia intentionali propositionis obiecti, sed in ea, & actiua potestate voluntatis entitatiua ipsique intrinseca; quæ nulla, quantumvis acerrima, & flecti nescia præmotione physica ab alio destrui absolutè potest: quare neque induci ab alio absoluta necessitas operandi in voluntatem, quin simul absoluta necessitas, & absoluta libertas, ad operandum, scilicet contradictorie, iungantur. Sed contra primo: quia stante indifferentia intentionali, & entitatiua intrinseca, & essentiali actiua voluntatis potest si mobilis physice ab alio hæc sit sine vlla repugnantia ex parte actus primi, & actiuitatis, tam influxiue, quam purè impeditiue absolutè ab alio physice necessitari, tam ad operandum determinate, quam ad determinate non operandum: ergo nequit in entitatiua, & essentiali voluntatis indifferentia actiua, & intentionali propositionis obiecti stare adæquate libertas voluntatis in actu primo; sed viterius necessitate absolutæ impediente, vel influxiue ab alio adiunctæ voluntati excluditur eius in actu primo libertas: ac proinde eiusmodi necessitate ab alio posita non stabit simul absoluta libertas ipsi contradicens. Maior probatur: quia potestas actiua indifferens essentialis, & entitatiua voluntatis, quatenus ab ipsa, & per ipsam secundum se sumptam est. Sed huic indifferenti potestati actiuæ non repugnat esse necessitatam actiuè, seu ferreè ad vnum determinatam physice ab alio si mobilis physice ab alio sit: ergo neque, repugnat ab alio actiuè necessitari absolutè ad vnum, non obstante indifferente potestate actiua entitatiua, & essentiali voluntatis. Secundo intrinseca entitatiua, & essentialis potestas indifferens actiue voluntatis de sese non habet sibi identificatam negationem necessitatis absolutæ ab alio, & physicæ prædeterminationis, quantumcumque ferreæ, ad vnum: ergo, etsi ipsi accidat nihil ipsi contradicens eueniet, & repugnans. Tertio actiua, & essentialis hæc indifferentia voluntatis de sese ad peccandum, vel non peccandum: quia negationi vnionis hypostaticæ non identificatur, ac subinde neque negationi necessitatis absolutæ, & irresistibilis determinationis ad non peccandum, vnionem hypostaticam, & absolutam inde necessitatem, & irresistibilem determinationem ad non peccandum compatitur, de factoque admisit per vos in Christo Domino, atque à Deo humanitatis Christi voluntas ratione vnionis hypostaticæ libertatem absolutam, & indifferentem absolute actiuam potestatem ad peccandum non habuit: sed neque habet voluntas creata sibi identificatam negationem præmotionis physicæ ab alio, quantumcumque ferrea opus sit, ad necessitatem absolutam ad vnum quempiam actum inducendam: ergo & absolutam præmotionem physicam ab alio, quantumcumque ferrea opus sit ad necessitatem absolutam illius actus inducendam voluntati voluntas pati potest, ac sine vlla repugnantia, & contradictione patietur. Confirmatur: quia, vt superius ostendi, cum vnione hypostatica iudicium, seu propositio indifferens obiecti prosequendi, vel fugiendi ab humanitate Christi ad præcepti obseruationem adfuit. Et eodem modo, quo practice indifferens ad transgressionem voluntati humanæ Christi non fuit, nec voluntati humanæ Christi ab alio ita ferreè prædeterminatæ, ac præmotæ physice ad vnum actum, vt absolutè ab alio necessitaretur, practice indifferens esset ad eius actus omissionem propositio: quare, sicut cum necessitate absoluta non peccandi non coniungeretur libertas absoluta voluntatis illi necessitati non peccandi absolutè contradicens, quia propositio practice indifferens non peccandi ob peccati incompossibilitatem cum vnione hypostatica non adest: ita nec tunc adesset libertas ad omissionem actus, ad quem præmotione illa necessitaretur absolutè: quia propositio indifferens speculatiuè, practice indifferens non esset ob omissionis cum præmotione physica necessitante incompossibilitatem.

10. Quarto inde arguo intrinseca de sese indifferentia, & essentialis propositionis obiecti necessaria ad libertatem nullo adumente auferri potest, quandiu illa persistit entitatiue; & tamen extrinsecus posita vnione hypostatica, & aliis, potest per vos impediri, ne habeat rationem practicæ indifferentiæ necessariam ex parte intentionalis indifferentiæ vt libertatem absolutam voluntatis in actu primo de facto constituat: ergo entitatiua intrinseca, & essentialis indifferentia actiua voluntatis de sese, etiam per stans, poterit extrinsecus ad vnum extremum impediri, atque ad aliud absolute ab alio extrinsecus actiue physice necessitari si mobilis ab alio absolute voluntas sit. Confirmatur, quia potest essentialis illa actiua indifferentia voluntatis in se perstans necessitari absolute ad vnum ab alio nempe à iudicio, seu propositione determinata, ac determinante: ergo, & ab alio actiue physice, si ita mobilis æque ab alio sit, atque est mobilis intentionaliter per obiecti propositionem determinatam, & determinantem intentionaliter: quia voluntas, cæca potentia cum sit, essentialem dependentiam habet à motione intentionali propositionis obiecti, neque adducet aliquo, retrahive potest, nisi ad vtrumvis propositione bonitatis, & malitiæ obiecti; quod ipsum responderi potest ad quartum argumentum principale; nimirum intentionalem motionem propositionis indifferentis esse essentialiter dependentem, & subordinatam indifferentiæ actiuæ voluntatis, quæ alterius generis est, ac proinde ex eius impotentia absoluta actiua ad vnum posse amittere rationem practicæ indifferentiæ necessariam, vt de facto libertatem voluntatis in actu primo constituat. In suo autem genere, neque intentionalem propositionis indifferentis de sese intentionaliter, neque actiuam voluntatis de sese indifferentiam actiue physice posse ab alio absolute necessitari. In primis solutio hæc, quatenus docet neutram indifferentiam physicam actiuam, & intentionalem entitatiuam, & essentialem posse in sua linea, siue physica, siue intentionali ab alio absolute necessitari, & impediri, quominus quæque ex parte, & linea sua, & vtraque coniunctim, adæquate libertatem voluntatis in actu primo constituant, pugnat cum his, quæ ad id statuendum adducit: scilicet propositionem entitatiue, & repræsentatiue, ac speculatiue indifferentem amittere rationem indifferentiæ practicæ necessariam, vt ex parte sua de facto libertatem voluntatis in actu primo ad peccandum v. g. constituat, atque à Deo ab eius ex parte sua constitutione impediri: quia ex parte potentiæ actiuæ voluntatis absolute non est actiuitas indifferens physice ad peccandum, in humanitate Christi v. g. atqui hæc indifferentia actiua, & physica

voluntatis non aufertur, neque impeditur, quominus absolutè talis vere dicatur, ac sit, & ex parte sua voluntatis humanæ Christi in actu constituat, ab alio, non intentionaliter, sed physicè absolute necessitante voluntatem Christi ad non peccandum per actiuam physicam inductionem vnionis hypostaticæ in Christi humanitatem: ergo statuis initio solutionis huius actiuam indifferentiam physicam entitatiuam voluntatis in eadem linea physica ab alio posse, auferri seu impediri, quominus ex parte suæ illius lineæ libertatem voluntatis in actu primo constituat. Contra secundo: quia stante propositione obiecti indifferente secundum se potest coniungi cum illa intentionalis determinatio, & necessitas ad vnum: vt in Beatis, & Christo, adhuc in hac vita, Deum vidente cernere licet: qui nouit commoda, & incommoda amplexandi passionem, & mortem præceptam; & tamen visione Dei intentionaliter necessitabatur ad mortem præceptam amplexandam, ita vt eam, non acceptare non posset ex vi præcisè intentionalis determinationis illius per visionem Dei, etsi vnio hypostatica abesset: ergo indifferentia intrinseca intentionalis in eadem linea intentionali determinationem, & necessitatem absolutam ad vnum compatitur, potestque absolutè impediri, ne de facto libertatem voluntatis in actu primo constituat.

11. Illud de essentiali dependentia voluntatis à propositione obiecti ad operandum, ac proinde ab indifferenti propositione illius, vt ex libertate & potestate absolutè indifferente operari valeat, & operetur, nihil ad confirmationem eneruandam præstat. Solum enim probat sublata indifferente obiecti propositione per determinatam, & determinantem ad vnum propositionem absolutam voluntatis in actu primo necessitatem induci, atque aboleri oppositam absolutam eiusdem in actu primo libertatem: quod omnes fatemur: Inde arguimus ex potestate inducendæ necessitatis voluntati motione intentionali ab alio, posse. Etiam ab alio præmotione physica absolutè necessitatem in nostram voluntatem cum sua entitatiua indifferentia actiua perstantem induci. Quod enim ex defectu essentialis requisiti perire libertas possit, non tollit, quod aduentu alterius non essentialiter requisiti possit etiam absoluta necessitas operandi succedere. Ecce ad tuendam vitam naturaliter alimento opus est: quare eius defectu mors euentura naturaliter legitimè infertur; & tamen abundante alimento febre, ferro innumerisque aliis naturaliter etiam induci potest. Cuius ratio est: quia res omnes non solum defectu requisitorum, vt sint, atque persistant, sed aduentu contrariorum possunt perire. Contra secundo arguo, & rationem proximam confirmo. Quia voluntas creata non pendet essentialiter physicè, aut intentionaliter in sua operatione ab vnione hypostatica: ea tamen, è superfluo, data à Deo humanitati Christi necessitatem absolutam non peccandi in humanam eius voluntatem induxit, atque absolutam illius libertatem abstulit ad peccandum: ergo libertas voluntatis intrinseca, seu potestas indifferens de sese entitatiua non solum defectu alicuius requisiti essentialiter, vt absolutam libertatem operandi, vel non operandi cum illo constituat, potest impediri absolute ne absolutam libertatem constituat, & absolutam potius necessitatem operandi patiatur, vel non operandi; sed id etiam potest illi aduentu alterius ad operandum non requisiti contingere. Tertio demum esto: nequeat necessitari entitatiua actiua potestas voluntatis indifferens de sese nisi defectu alicuius requisiti essentialiter ad operandum, vel non operandum, seu aduentu oppositi, & pugnantis cum eo requisito (vt contingit cum adest propositio determinata, & determinans ad obiectum propositum prosequendum) atqui non minus, sed multo magis, & principalius pendet voluntas creata, qua creata à decreto Dei concurrendi cum ipsa, &, (vt aduersariis placet) à physica eius prædeterminatione, & præmotione ad operandum quidquid operatura est: ergo, si decretum hoc, & præmotio physica determinata ad vnum sit, & subinde determinans, ac prædeterminans ad illud vnum voluntatem, entitatiua eius potestas de sese indifferens necessitabitur absolute ab alio ad operandum, nec habebit absolutam ad operandum, vel non operandum libertatem. Probatur consequentia posito decreto illo de se efficaci, & concursu, seu præuia motione, & prædeterminatione Dei requisitis per vos essentialiter à voluntate ad operandum ponitur determinatio prædeterminans ad vnum incompossibilis cum decreto efficaci etiam de se, & prædeterminatione ad extremum oppositum essentialiter requisito ex parte actus primi, vt possit absolute oppositum hoc extremum à voluntatis potestate actiua entitatiua de sese indifferente apponi: non minus, inquam, requisito, sed magis, ac principalius, quam propositio obiecti, vt in illud voluntas, quia cæca potentia est, ferri absolute possit: sed per te appositione propositionis obiecti determinatæ, ac determinantis ad eius prosecutionem, & incompossibilis cum propositione, saltem practice, & motiue, indifferente determinatur ex parte actus primi, & necessitatur absolute voluntas ad operationem prosecutionis, quia deficit propositio practica alterius partis cum propositione determinata, & determinante repugnans, à qua essentialiter voluntas ad eam partem sequendam dependet: ergo decreti de se efficacis, & præmotionis physicæ ad vnam partem appositione inducitur voluntari absoluta necessitas illam exequendi: quia deficit necessario eo posito aliud essentialiter requisitum ex parte actus primi, vt aliam partem sequi voluntas possit.

12. Nec saris respondebis: præfinitionem prædeterminatiuam, & præuium Dei concursum, seu præmotionem physicam, requiri quidem ad operationem, non ad potentiam voluntatis absolutam operandi, cuius proinde indifferentia actiua pro signo potentiæ, ad quod præfinitio nec requiritur, nec spectat, auferri absolute, aut impediri præfinitione, aut præmotione physica nequeat. Neque enim quidquam requisitum ex parte actus primi ad operationem, & sine quo ex parte actus primi posito operatio esse nequit cognitum à Philosophis & Theologis est, quod ad potentiam operandi absolute non spectet: sed præfinitio prædeterminatiua, eiusque promotio requiruntur per vos ex parte actus primi voluntatis ad quamvis operationem voluntatis: ergo ad potentiam operandi absolute talem, siue ad posse absolute, nec solum ad operari: quare ad eam partem, ad quam positione decreti de se efficacis ad oppositum præfinitio prædeterminatiua non fuerit, nec posse absolutum voluntatis erit, quod generale argumentum est de omnibus requisitis ex parte actus primi, vt comprincipia, vel vt applicationes ad operandum, quo pacto solum requiri suam physicam præmotionem Thomistæ aliquot volunt sed ex requisitis ex parte actus primi ad absolutam potentiam operandi, vt comprincipia partialia (quomodo præfinitio, seu decretum Dei efficax concurrendi cum voluntate creata,) est adhuc euidentius spectare ad absolutum posse operari. Cur enim ex duabus causis partialibus eiusdem generis, altera ad absolutum posse spectet; altera ad idem absolutum posse, quod æque in eodem genere causæ constituit, non spectet? Denique impugnatur solutio, quia æqua facilitate, & maiori ratione dicetur indifferentiam intentionalem propositionis vtriusque partis obiecti non requiri, & spectare ad absolutum posse operari voluntatis, sed solum ad operari; quare neque sublata practica propositione vnius partis prædeterminatam, ac determinantem propositionem partis alterius auferri absolutum posse voluntatis ad illam: siquidem obiecti propositio solummodo, vt conditio, ac non, vt principium actiuum (in quo genere tota indifferens absoluta potestas voluntatis requiritur) præcedit. Hoc autem & contra sententiam Thomistarum ea distinctione vrentium est, & contra ipsos concludit: quod sicut determinatio intentionalis per propositionem alterius partis obiecti determinatam, & determinantem voluntatem ad vnum, atque excludentem practicam propositionem partis alterius, ac subinde indifferentiam intentionalem motionis practicæ vtriusque partis non obstante quod solum requiratur ad operari, non autem ad absolutum posse operari euertit per hoc esse libertatem voluntatis in actu primo: ita etiam determinatio siue extrinseca præfinitionis suæ, & intrinsece indita physicæ prædeterminationis, & si solum ad operari requisita sit, non ad

posse

posse absolutum operari, eius libertatem euertet: quia præfinitionem alterius partis requisitam, & si non ad posse operari, illam tamen ad operari excludit. Sed de hac distinctione plura dedimus q. 7. argumento alio ab auxilij sufficientis eliminatione contra Thomisticas præfinitiones perito agentes: nec pauciora has eisdem solutiones de iudicio indifferenti, & potestate entitatiua voluntatis eadem quæstione confutantes.

13. Quinto principaliter arguo. Necessitas absoluta voluntatis in actu primo opposita absolutæ eius libertati in actu primo opponitur formaliter actiuæ voluntatis indifferentiæ in actu primo. Patet siquidem libertas absoluta voluntatis in actu primo id ipsum, quod actiua voluntatis indifferentia absoluta in actu primo, est omnium, etiam aduersariorum, sententia: quare implicat necessitatem absolutam voluntatis in actu primo eius absolutæ libertati in actu primo repugnare, & contradicere, quin & absolutæ eiusdem actiuæ indifferentiæ contradicat; alioqui enim eidem ipsi termino, & extremo contradiceret, & non contradiceret. Inde eadem euidentia infero secundo: ergo, quod contradicit absolutæ indifferentiæ actiuæ voluntatis in actu primo, absoluta eiusdem voluntatis necessitas in actu primo, libertati eius absolutæ in actu primo contradicens, est. Patet etiam consequentia. Quia, si libertas in actu primo, & indifferentia actiua voluntatis idem omnino realiter formaliter sunt, & eidem debent contradicere: quare, cuicumque contradicit indifferentia actiua voluntatis, debet etiam libertas eius in actu primo contradicere: alioqui idem eidem contradiceret, & non contradiceret. Sed potest dari perstante voluntate, eiusque entitatiua indifferentia, & indifferentia intentionali per indifferentem obiecti propositionem, (imo de facto datur in aduersariorum sententia) quod contradicat indifferentiæ actiuæ absolutæ voluntatis: ergo eidem perstantibus potest dari, de factoque datur necessitas absoluta voluntatis eius libertati in actu primo contradicens. Consequentia negari non potest, quin negans ad contradictionem secundi consequentis cogatur, quod est vltima huius syllogismi Maior. Minor autem subiumpta probatur. Nihil magis, & immediatius contradicit actiuæ indifferentiæ absolutæ voluntatis in actu primo ad vnum, quam eiusdem actiua absoluta determinatio in actu primo: at si voluntas mobilis physice ab alio sit, potest dari absoluta eiusdem actiua determinatio in actu primo: imo datur per aduersarios ea in actu primo determinatio ad vnum, cum extrinseca prædeterminatiuæ præfinitionis nostrorum actuum, tum intrinsece inhærens physicæ qualitatis præmouentis ad actiue voluntatem ad actum præfinitum, quæ ipsis fatentibus physica actiua prædeterminatio est stante voluntate, eiusque intrinseca indifferentia intentionali propositionis obiecti indifferenter: ergo potest dari, imo per aduersarios de facto datur, aliquid contradicens absolute indifferentiæ actiuæ voluntatis in actu primo: ergo potest dari absolute, & de facto datur absoluta necessitas ad operandum stantibus iudicio indifferenti, & entitatiua indifferentia actiua voluntatis de se esse, ni secunda consequentia illa discursus huius iam demonstrare defeciat. Hoc autem est, quod contra aduersarios contendebamus si mobilem physice ab alio voluntatem esse velint, vt physica eorum præmotio, & prædeterminatiua præfinitio respectu nostræ voluntatis locum possint habere. Vlterius vero probatum obiter est præfinitionem prædeterminatiuam, & physicam prædeterminationem, suo quamque gradu voluntati nostræ absolutam simpliciter talem, & antecedentem necessitatem ad operandum absolutæ eius indifferentiæ actiuæ, & libertati in actu primo contradicentem, inducere: ac subinde præfinitionem actuum nostrorum, & physicam prædeterminationem Thomisticas voluntatis nostræ libertatem in actu primo destruere: proindeque, & eorum in actu secundo libertatem euertere, de quo prolixa, neque ingrata nobis concertatio per quatuordecim tota certamina q. 7. continuo cum aduersariis fuit: quare extremæ huic parti viterius, & copiosius demonstrandæ nunc abstineo, vt breui latè probatum, nostrum hoc argumentum sic colligam vel voluntas est physice mobilis, vel non est physice mobilis ab alio. Si posterius præfinitio vestra prædeterminatiua, & illam subsequens physica prædeterminatio voluntati nostræ sunt impossibiles: si primum positis etiam actiua entitatiua indifferentia voluntatis de se potest absolute actiue necessitari, & determinari in actu primo ab alio ad vnum, quod absolutæ eius indifferentiæ actiuæ (quæ idem cum eius libertate in actu primo omnino est) contradicit: imo per aduersarios adest in præfinitione prædeterminatiua Thomistica, & inde orta prædeterminatione: ergo cum præfinitione prædeterminatiua Thomistica, qua mobilis ab alio physica admittitur voluntas, non stat voluntatis nostræ libertas.

CERTAMEN II.

A peculiaribus absurdis eædem præfinitiones impetuntur.

1. VVlgaria quidem absurda hæc, in quæ præfinitores hosce egimus: adeoque prope, & ad plenum naturalis rationis lumen, & limen posita, vt statim, ac eorum sententia auditur, nullis ad rei meditationem, & laborem temporis inductis vltroneæ ea omnia occurrant. Cum tamen nulli eorum elapso fere integro sæculo, ex quo nostrorum cum Dominicanis Patribus exorta controuersia est, alio, quam vocum, & vocum vacuarum multiplicatione inutili verbo, aut scripto fuerit ab illis obiuatum (vt ex recitatis, & confutaris eorum solutionibus facile constat,) quam inde ea argumenta apud alios prudentes rerum æstimatores laudem fuerint assecuta referre omitto: satis enim inde constat, quam meantur. Alias enim tenuitas nostra (acutioribus fors notissimis) euidentis discursus notas ignorat, quam nusquam à cunctis, multumque conantibus, illius robur infringi, eique nunquam satisfieri. Quod autem ea omnia, quæ hactenus à nostris, & à nobis contra ipsos deducta absurda, & intructa ex eis argumenta sunt, statim esse solo rationis lumine absque alio pene studio, & labore prodant vel inde monstratur; quod ea omnia à litis huius initio & contestatione, (vt aiunt) ex Doctorum societatis vbique errarum commorantium, ac separatim ea de re scribentium discursu omnino concordi ea omnia anno 1599. Clementi VIII. contra præfinitiones hasce per bonæ memoriæ Præpositum nostrum generalem R. Claudium Aquauiua 22. Februarij repræsentata à societate nostra sunt. Cum enim eius Pontificis iussu à societate causæ, ob quas præfinitiones, & prædeterminationes Thomisticas tantopere abhorrerent quærerentur, rescripto (cuius originale Romæ apud nostros adseruatur) Cardinali Madruchio tradito in hæc verba respondit. Quæ etsi de prædeterminatione, gratiaque de se efficaci prædeterminante (de qua nihil hic dicimus) vt plurimum sint. Loco tamen prædeterminationis, seu auxilij efficacis prædeterminantis (quæ transcriptionis fides mutare non permisit) præfinitiones diuinas de se esse efficaces intelligi volumus, & substitui.

2. *Quia in re grauissima, & ex qua magna pars Theologiæ supernaturalis pendet, nouam doctrinam prædeterminationis voce introducunt, qua nullo authoritatis fundamento, sacrarum litterarum, Conciliorum S. Augustini, & aliorum sanctorum Patrum, D. Thomæ, vel antiquorum scholasticorum, Aristotelis, vel grauis cuiuspiam Philosophi nititur; sed, tum hæc ipsa prædeterminationis opinio, tum quæ ex ea deducuntur illis omnibus non obscure repugnant: ac præsertim plurimis D. Thomæ sententiis, quas cum hac prædeterminatione nullo modo coherent. Secundo: multa, quæ ex ea consequuntur sunt iis valde consentanea, quæ Lutherus, Caluinus, aliique nostri temporis hæretici docuerunt: atque adeo multi sunt, qui existiment ea, nec re, nec verbis ab eorum doctrina differre: quare ne hæretici nostrorum Doctorum authoritate, ac veluti patrocinio abutantur, eam sententiam non putamus amplectendam. Tertio: hac prædeterminationis recepta sententia nonnulli sacri Collegij Trident. præfinitiones, quibus*

horum

horum hæreticorum doctrina damnatur prorsus eneruantur, vt vix possint ab absurdis sensibus vindicari. Quarto introducitur ex hac sententia nouus quidam gratiæ præuenientis modus in hac prædeterminatione positus Ecclesiæ Catholicæ ante hac tempora inauditus : cum huiusce sententiæ Authores gratiam prædeterminationis necessariam esse constituant ad conuersionem in Deum, atque alios huiusmodi actus sufficientia euertunt auxilia : siquidem, præter illa, prædeterminatio prorsus necessaria ponitur, qua non est in hominis potestate ? ex quo efficitur hominem, qui à Deo hac prædeterminatione non mouetur, prius deseri, quam ipse deserat Deum : ac proinde per Deum stare, quominus pie operetur ; quod est contra sacras litteras, & Patres Ecclesiæ : cum præcipuè huius sententiæ Authores asserant, Deum absoluta volitione antecedente, & consequenter ab æterno, statuisse non dare necessariam hanc prædeterminationem iis omnibus, quibus de facto data non est. Quinto : nam, si in hac prædeterminatione gratia efficacia consistit, gratia natura sua, & entitate per se, & à se sola erit efficax, sine vllo respectu ad liberum arbitrium : de qua re, qui contra Caluinum nouissimè scripserunt hæc dicunt. Fatetur ergo Caluinus efficacem à se ipsa gratiam, quam ponit nouellam esse, suique cerebri commentum : indignum sanè dogma, quod ab homine tam impio inuentum viri Catholici amplectantur. Hæc Stapletonius. Sexto hac efficaci prædeterminatione libertas humanæ voluntatis euertitur. Cum enim voluntas prædeterminata ad vnam partem non potest se determinare, neque cum indifferentia agere, ac proinde neque actionem à necessitate liberam elicere. Similiter cum volnntas non agit defectu huius prædeterminationis non poterit agere : cum neque habeat eam prædeterminationem, neque sit in eius potestate illam habere : quare nec seruare poterit affirmatiua præcepta ; nec, si non seruaret eorum omissio illi poterit adscribi. Quin etiam, nec Deus poterit præcepta dare voluntati, quam non prædeterminat ; aut certè præciperet impossibilia : cum sine illa prædeterminatione seruari non possint. Præterea inanes essent omnes sacrarum litterarum cohortationes, vt voluntas, quæ prædeterminata non est conuertatur ad Deum, & pie agat : inanes obiurgationes, quod non conuertatur : inanes denique comminationes, iniusta supplicia. Septimo qua ratione hac prædeterminatio ponitur ad actus supernaturales propter subordinationem causæ secundæ, quæ agere non potest, nisi efficaciter à prima prædeterminata : eadem ponitur etiam ad omnes actus naturales, & ad realem entitatem cuiusque peccati, vel intrinsece mali : ad quam necessaria esse dicitur, vt Deus præmoueat inclinet, prædeterminet : ita, vt hac prædeterminatione posita voluntas non possit, in actu secundo non peccare. Quare, vt dicitur gratia prædeterminationis esse ex se sola ad bonum efficax, & causa sola conuersionis ; ita dicendum esset hanc prædeterminationem ad malum esse ex se sola, efficacem ad malum, & solam causam peccati. Octauo denique. Quia hac prædeterminatione concessa, quam inexplicabilis est concordia liberi arbitrij cum prædestinatione, & gratia efficaci prædeterminante, tam inexplicabilis erit cum ista prædeterminatione libertas voluntatis ad actus naturales, & ad peccata : quod hæreticis vehementer fauet ; & certe posita hac sententia vix illorum sententiis satis facere potest.

3. Sed validissimis præfatis vulgaribus argumentis speciáliora alia (leuioris certe armaturæ, vtpote nostratia) adiungamus præter illud à priori de physica voluntatis ab alio immobilitate, quod cert. 1. sumus persecuti. Sit ergo aliud absurdum contra aduersarios deductum obiter, q. 7. in septimo probando attactum cert. 13. n. 11. scilicet, præfinitionibus omnino antecedentibus nostrarum actionum admissis, nullas in nobis internas, nec nisi pure perfunctorias tentationes (nedum graues, & leues) esse posse. Probatur ex dictis controu 4. de incarnat. d. 4. q. 7. cert. 4. de humanitate Christi, siue Christi, qua hominis tentationibus. Vbi illum, qua talem exterius quidem ab ignaro vnionis hypostaticæ humanitatis Christi diabolo tentatum esse, cum communi, & fere dogmatica sententia docuimus : interius vero non fuisse tentatum ad peccandum, vt communis etiam veterum, & Recentiorum Theologorum, imo, & Patrum opinio fert. Etsi enim ab illis tentationibus externis sensationes internæ, atque ex his malesuadæ cogitationes fuerint in humanitatis illius mente subortæ ; vim autem motiuam, & sollicitatiuam ad malum solutam, & absolutam non habebant : quia ex parte actus primi earum vis motiua, & allectiua ad peccatum vnione hypostatica eneruabatur, euacuabaturque : vt in ordine ad mouendam voluntatem humanam Christi ad peccandum, cui omnino impossibile antecedenter peccatum erat, perinde, essent cogitationes illæ, ac si non essent. Atqui posita præfinitione ad obseruantiam præceptorum impeditæ eneruatæ, & euacuatæ ex parte actus primi sunt malesuadæ omnes cogitationes, & quantum ad vim absolutam motiuam cuiusque voluntatis creatæ ad peccatum, perinde se habent, ac si non essent : ergo veræ tentationes internæ voluntatis creatæ, admissis necessariis hisce præfinitionibus. Ad præceptorum obseruantiam, contra quam tentandi eramus, omnino à nostris voluntatibus exulabunt. Confirmatur ex doctrina aduersariorum, qui ideo iudicium de bono delectabili in honesto in Christi Domini, & Beatorum mentibus existens practicum non esse, & sufficiens ad constituendas eorum voluntates liberas ad peccandum, quia vel visione beata, vel hypostatica vnione peccatum ex parte actus primi redditur ipsis impossibile. Idem autem est practicum iudicium absolutè non esse, ac non esse absolutè motiuum ad peccatum : cum autem ex præfinitione ad obseruantiam præcepti ex parte etiam antecedentis fiat nostris voluntatibus eius transgressio, & peccatum absolutè impossibile, malesuadæ cogitationes internæ, neque absolutè practicæ, & motiuæ ad malum, quare neque internæ, & veræ tentationes erunt. Si autem, vel præfinitio opposita ad materiale peccati, & transgressionis, (vt plerique ex aduersariis, imo iam omnes eorum recentiores respectu omnis transgressionis admittunt) adsit, vel absit obseruantiæ præfinitio, cum absolutè non possit non esse delictum, seu præcepti transgressio, materialis solum, sicut in pueris, & amentibus, qui exinde liberato transgrediuntur transgressio erit. Quare, sicut respectu horum vera tentatio interna obinde esse nequit : ita neque respectu voluntatum creatarum, quarum obseruantia præceptorum præfinita non est, sed potius præfinita transgressio internæ tentationes veræ esse non poterunt quod si (vt ex aduersariorum principiis inferius deducemus) prædeterminationes omnes naturalis ordinis qualitates, & accidentia sint : eas vel esse, vel abesse, ac proinde prædeterminatiuas negationes earumve operationum præfinitiones, earumve negationes adesse diabolus cognoscet : quare ne irrito, fatagat, & stulte laboret neminem nostrum, vel internis suggestionibus, vel externis adhuc occasionum, obiectorum dispositionibus tentauit, cum sciat, siue posita, siue ablata obseruantiæ præfinitione neminem materiali transgressione sola peccaturum ; quod quidem ne Christi, qua hominis impeccabilitas obtinuit : cum eum neque impeccabilem, neque vnitum hypostatice scierus recensitis in euangelio tentationibus externis fuerit adorsus.

4. Nonum absurdum sit in fere omnibus hominibus peccati fomitem aliquando ligatum, in prædestinatis vero non paucis, cunctisque in gratia confirmatis exinctum in via iuxta præfinitores hosce asseri debere : quorum neutrum, nisi de Christo, qua homine, eius Matre Virgine sanctissima, ac Beatis in patria, & Protoparentibus in statu innocentiæ Theologia recognoscit, duo absurda nonum istud continet. Alterum de fomitis ligamine, alterum de eius in præfatis viatoribus extinctione. Vtriusque probationi ex dictis citata controu. 4. de incarnat. d. 4 quæst. 7. cert. 1, supponendum est primo. Fomitem, seu, quod idem est, incentiuum peccati, in paruulis etiam omnibus ex originali suborum, nec stare in morbida qualitate à sanctis aliquot Theologis asserta, neque in actu appetitus sensitiui circa bonum delectabile in honestum, qui in paruulis locum non habet ; sed in appetitu sensitiuo cum interna sensatione deordinato, seu cum vi mouendi se ad affectus erga bonum delectabile inhonestum per subtractionem donorum, quibus inordinati illi affectus appetitus ipsius

ipsius ex parte actus primi, vel ligamine, vel extinctione potestatis appetitus ad illos concipiendos, eisque mediis inflamandam voluntatem impedirentur: vt cum Soario ostendimus ibi num. 3. secundo supponendum est: fomitem, quamdiu fumigat, flammasque motuum suorum inordinatorum aptum absolute est concipere, & voluntatem subinde inflammare, ad eosque progrediendi, & viterius inflammandam voluntatem habet absolutam facultatem, neque extinctum esse, nec ligatum; sicut nec lignum fumigans, etsi flammas non concipiat, extinctum absolute est: nec canis quandiu ad mordendum progredi absolute, & expedite potest est ligatus. Ex iis enim fomitis, & incentiui peccati, extinctionis, & ligaminis eius metaphoricæ voces à Patribus, & Theologis petitæ sunt. Ceterum tunc fomes extinguitur, cum manente appetitu in se, & cum sensatione etiam interna, tollitur deordinatio per eorum, quæ iam dicemus assistentiam. Ligatur vero, cum manente etiam deordinatione per eorum absentiam, impeditur tamen, ne vel in motus suos inordinatos, vel viterius ad similes alios in voluntate causandos progredi possit. Ligamen, ne in suos motus ire possit, arctissimum fomitis ligamen est; Laxius tamen, cum suos edendi non impeditur potestas, etsi ad similes in voluntate causandos non relinquatur fomiti facultas expedita. Ligari enim quempiam strictius, vel largius contingit vt ibidem num. 4. & 5. dicebamus. Tertiò supponendum est: quoties vis de se motiua appetitionum circa bonum delectabile in honestum sensatione interna propositum in appetitu per illam informato, & sollicitato absolute manet non esse peccati incentiuum, & fomitem, extinctum, etsi eiu svis impediatur, ligeturve, etiam ex parte actus primi, ne in motus illos prodeat, neue eis etiam habitis ad inflammandam actibus similibus voluntatem: tunc enim vis motiua, & incentiua ad eos motus, in qua fomes absolute talis consistit, non deficit; etsi prodire in eos impediatur: sicut lignum fumigans incentivum adhuc est, & flammarum concipiendarum fomes, quandiu fumigat, etsi ex aliquo accidenti ex parte actus primi etiam illas concipere impediatur.

5 Itaque legem fomitis vim motiuam, & incenti uam appetitus non destruit, etsi impediat ne in actum prodeat, siue suorum motuum, siue similium in voluntate; extinctio vero formaliter vim ipsam motiuam appetitus per internam sensationem boni delectabilis in honesti destruit, vt citata quæst. 7. cert. 2. num. 11. obseruabamus. Inde iis omnibus, quibus vis illa motiua appetitus censitiui ab actibus circa bonum delectabile impeditur solum, fomes ligatur; iis vero, quibus aduersæ virtutis assistentia fortius alio agitur fomes extinguitur. Virtus autem alio motiua appetitus, mea quidem, & vera, vt opinor, sententia solum intentionalis; in præfinitorum vero prædeterminantium sententia physica etiam esse potest: quare in mea illa sententia, quandiu subiectum mobile absolute intentionaliter, & absolute capax motionis in bonum delectabile in honestum manet (vt viatores reliqui ab homine Christo, eiusque beatissima Matre manserunt, quippe quibus nec vnionis hypostaticæ, nec maternitatis Dei adstitit donum) solis donis intentionaliter motiuis fortius, quam sensatio interna boni delectabilis inhonesti fit, quæque, proinde vim eius sensationis motiuam intentionaliter longe superent, vincant & prorsus debiliter extingui peccati fomes potest, vt dicebamus de Adamo, & Eua in statu innocentiæ, & Beatis in Patria eo cert. 2. num. 5. in præfinitorum vero sententia, cum mobilis physice ab alio voluntas nostra etiam asseratur, non vis sola intentionaliter motiua, sed physice etiam motiua in oppositum attendenda erit, & comparanda cum vi motiua intentionali sensationis internæ, vt alterutra ab alterius robore præstantiore, maioreque motiua virtute superetur, debiliteturque prorsus dignoscatur: atque per physicam in oppositum motiuam virtutem intentionalis illa sensationis ita enerueturr, ac disparear, ac si non esset, subindque fomes extinguatur. Hæc, & de se perspicua, & citata q. 7. fusius explicata, & probata, atque ad distinctionem ligaminis, & extinctionis fomitis peccati (in qua assignanda Theologi commupiter hallucinati hactenus sunt) omnino certa, & necessaria ex quibus expedita omnino pronaque vtriusque absurdi contra præfinitores hosce probatio. Et primo quidem de ligatione fomitis in fere omnibus adultis aliquando, & de extinctione aliquando in fere cunctis prædestinatis, & in omnibus in gratia confirmatis.

6 De ligamine fomitis constat infere omnibus, & singulis aliquando quia adultus vix vnus, aut alter inuenietur, qui pro breuissimo tempore post gratiam recuperatam penitentiæ virtute, vel Sacramento, peccet vllo peccato: ad quod opus est, vt minimum absit decretum efficax concurrendi cum voluntate, ad affectus circa bonum delectabile in honestum, vel adsit etiam decretum non concurrendi ad eiusmodi affectus cum illa: atqui negatione decreti concurrendi, seu decreto non concurrendi ad eiusmodi affectus voluntatis impeditur ex parte actus primi ne inflammet in illos voluntatem, ligaturque ne noceat voluntati, etsi non ligetur, ita arcte, vt motus etiam materialis appetitus impediat: ergo absolute fomes peccati ligatus est. Maior est aduersariorum doctrina certa est. Cum enim quis perfecte conteritur de peccatis habet, vel virtuale, & implicitum, vel formale, & explicitum propositum non peccandi peccato vllo: idque ob Deum summe dilectum: imo etiam cum imperfecta, vel non ita nobili contritione conteritur, si sufficienter ad remissionem peccatorum in Sacramento conteritur, vel explicitum, vel implicitum saltum, non peccandi de cætero propositum, etsi ob minus perfecta motiua non potest non habere: cum autem propositum hoc, nisi ex præfinitione diuina de se efficaci ipsius esse in aduersariorum sententia nequeat: & cum hac pugnet decretum concurrendi pro eius propositi duratione, ad quamuis actionem peccaminosam necessarium, vt ea esse ex parte actus primi absolute possit, dubio procul fomes pro ea duratione, & tempore ligatus, vt minimum est. Minor eiusdem syllogismi de se patet, & à communi Theologorum etiam aduersariorum est admissa. Siquidem ex defectu essentialis cuiusvis comprincipij ad quamuis actionem alterum comprincipium quantumuis de se, & ex parte sua potens, & determinatum ad illam impeditum ex parte actus primi, & ligatum absolute est, ne agat: consequentia vero est legitima. Etsi enim appetitus sensitivus in motus suos proprios circa bonum delectabile in honestum progredi absolute, & expedite possit, decreto concurrendi ad similes actus voluntatis deficiente, siue aditante decreto non concurrendi ad illos ligatus est, ne ad actus illos voluntatis, & ad nocendum illi progredi possit: quo satis habetur, vt ligatus absolute sit, ac dicatur. Quemadmodum rabidus, & infestus hominibus canis, etsi non ita arcte ligatus, aditrictusque columnæ sit, vt mouere se, & progredi paululum nequeat; si tamen, ita sit ligatus, vt ad locum, ex quo nocere hominibus possit progredi nequeat absolute ligatus dicitur. Hoc autem fomitis ligamen absolutum in prædestinatis, & confirmatis in gratia (cuiusmodi Apostoli certo fuere, ac pie, satisque Theologice insignes illustrium Religionum Patriarchæ sancti fuisse creduntur) diutius, & habitualiter in præfinitorum sententia extitisse planum ex dictis est: siquidem decretum Dei præfinitiuum, siue decreta obseruantiæ præceptorum pro toto tempore vitæ, ex quo gratia illis ad mortem vsque, & Dei prædestinatione de se efficaci, & confirmatione in gratia conseruanda est, decretum non concurrendi ad peccatum vllum, siue omissionem decreti concurrendi ad illud adiunctum habet: quare, & habitualiter fomitem ligatum, & impeditum in illis reddit.

7 Absurdi eiusdem pars secunda de fomitis extinctione pro tempore, ex quo ad finem vsque vitæ gratia in prædestinatis, & præcipue confirmatis in illa est perstitura, probatur ex dictis: quia prædestinatio, & confirmatio in gratia, horum sententia, stat in præfinitione de se efficaci conseruationis gratiæ vsque ad mortem duraturæ: & confer endi physicam prædeterminationem ad non peccandum toto illo tempore, idque omnino independenter à prædestinatorum, & confirmatorum in gratia libertate; alioqui, vt hi discurrunt, nec prædestinatio, nec confirmatio in gratia speciale Dei

beneficium, gratiaque esset: imo opus non est vt ad ea decreta concipienda inordinati motus appetitus sensitiui præcedant, à Deoque absolute futuri præuideantur: ergo antecedenter ad illos etiam adstat virtus actiua physica longe maior, ac fortior ad obseruationem præceptorum, quam sit vis, & inclinatio physica appetitus, & intentionalis sensationis internæ de bono delectabili inhonesto; ac proinde vis incentiua fomitis ad peccatum, & inordinatos motus ab eis præfinitionibus euacuata in prædestinatis, & confirmatis in gratia habitualiter, est pro toto tempore, pro quo sunt in gratia vsque ad finem vitæ perseueraturi: quare vis fomitis perinde in illis est, ac si non esset, vt dicebamus num. 5. quocirca contra experientiam infertur motus inordinatos appetitus sensitiui circa bonum delectabile inhonestum non posse præfatis contingere, nisi consentiente prius natura voluntate: quare non ex fomite, sed solum ex vitio voluntatis in illis prouenturos. Non aliter atque de Adamo, cui pro innocentiæ statu maiori vi superni hominis, quam esset appetitus ad prosequendum bonum delectabile inhonestum, etiam sensatum, fomes erat extinctus, dicitur non posse appetitum in horum delectabile inhonestum moueri prius natura, quam voluntas eius prius natura præuenta illo lumine perpetuo, quatenus ex parte Dei erat; duraturo, vitio proprio in illud consentiret, vt dicebamus citata contro. 4. de Incarn. d. 4. a. 4. q. 7. cert. 2. n. 5. quod ipsum est eius appetitum rationi, & rationali eius voluntatis subditum fuisse. Cum ergo vi physica, longe maiori, imo insuperabili diuinæ præfinitionis independenter à motibus appetitus sensitiui prædestinatiuæ, & confirmatiuæ in gratia prædestinatorum, & confirmatorum in gratia voluntates habitualiter præueniantur pro tempore dicto, & fomitem peccati in illis extinctum, & appetitum sensitiuum suis inordinatis motibus voluntatem præuenire non posse dicendum contra apertam experientiam, & omnem bonam Theologiam erit.

8. Dices hoc solum probare: fomitem, non absolute talem, seu ad peccandum absolute extinctum in prædestinatis, & confirmatis in gratia esse, sed secundum quid, & ad ea solum peccata, quæ gratiam conseruandam ab eis propellerent, si admitterentur; cuius generis sola mortalia sunt. Sed in primis id solum, quod fateris satis est absurdi: nimirum in his fomitem ad mortalia pro duratione dicta extinctum esse, ne deinceps vllo modo, aut gradu possit ad peccandum mortaliter illos, eorumque voluntates, imo neque appetitum, incendere. Quamuis autem discursus factus id solum de prædestinatis, & confirmatis in gratia probet: alium tamen discursum subiungamus, quo non de eis solum, sed de omnibus omnino hominibus etiam originali infectis probet ex superius demonstratis. Fomes peccati viuus, & absolute talis, ac non extinctus supponit, concernitque essentialiter peccati absolutam possibilitatem: ergo, quibus peccatum absolute impossibile est, & fomes peccati est absolute impossibilis. Et certissima consequentia ex æque euidenti antecedente: siquidem vera absoluta vis, & facultas ad aliquid præstandum, quod impossibile est, omnino repugnat. Tum sic pergo: Sed posita necessitate præfinitionis independentis omnino ab vsu nostræ libertatis omne peccatum, tam veniale, quam mortale etiam post originale (etsi id in ea suppositione esset possibile) omnibus omnino hominibus impossibile est (vt vidimus cert. 12. à num. 2. ad 5. inclusiue) ergo & omnibus omnino hominibus, etiam post originale contractum, fomes peccati viuus, ac non absolute, extinctus est omnino impossibilis. Hoc autem & contra fidem est traditam à Tridentino sess. 5. decreto de peccato originali, vbi fomes, siue appetitus sensitiui deordinatio originalis peccati effectus asseritur: & plura alia absurda non solum bonæ, & statæ apud catholicos Theologiæ: verum, & fidei dogmatibus aliis aduersa. Etenim nulla erit Adami, aut pro innocentiæ statu, quoad fomitis peccati extinctionem, prærogatiua singularis, imo neque diuiparæ sanctissimæ eiusve, ac Patris æterni vnigenito filio homini Christo. Orioseque insuper, & Deus dona singularia eis impertiturus est, & Theologi ea inquirere indagare, & explicare laborant, & insudant, quibus & primi parentes, Deipara, ac eius filius eam prærogatiuam obtinuerint; quam titulo subordinationis essentialis creatæ voluntatis, & causæ secundæ ad primam non poterant non cum reliquis voluntatibus, & causis creatis habere communem.

CERTAMEN III.

Postrema duo contra easdem præfinitiones absurda particularia.

1 Decimum absurdum principale contra præfinitiones nostrorum actuum prædeterminatiuas est: prædestinationem diuinam neque esse supra naturam nostram, eiusque exigentiam: quare neque Dei misericordiam, & gratiam: quod est in hæresim Pelagianam incidere. Probatur assumptum, quia prædestinatio in horum sententia stat in præfinitione prædeterminatiua boni operis à Deo habita, titulo causæ primæ, & cui voluntas essentialiter, non in essendo solum, sed & in operando essentialiter subordinatur: ac proinde decreto hoc efficaci, seu præfinitione præuia de præuio etiam physico concursu indiget, exigitque proinde ad suas operationes: non aliter, atque aliæ causæ secundæ Deo essentialiter etiam in operando subordinantur, similibusque proinde suarum operationum decretis efficacibus, & præfinitionibus præuioque Dei concursu iuxta cuiusque naturam indigent, haberique illas, & dari à Deo eo titulo exigunt ad operandum. Ast quidquid titulo essentialis subordinationis huius indifferentiæ, & exigentiæ causæ secundæ naturalis decernitur, donaturque à Deo, naturaliter titulo, & iure creationis decernitur à Deo, & donatur, ac proinde supra naturam, ac supernaturali, gratia Theologica, & per Christum nec datur à Deo, nec decernitur, vt contra Pelagium contenderunt, definierunt que Patres, & Concilia: ergo prædestinatio, quæ in eiusmodi præfinitionibus per hoc de præuio Dei concursu consistit, nec supernaturalis, nec ex meritis Christi à Deo concipitur, nec donum aliquod, quod gratia Dei per Christum sit, nobis defert.

2 Dices primo: Deum non præfinire, seu decernere efficaciter opus ad salutem conducens, & præuium ad illud concursum cum voluntate nuda, quæ ad illud non potest; sed cum illa vt informata habitibus supernaturalibus, quos vltra eius exigentiam naturalem ipsi decreuit, & donauit. In primis ad actus virtutum moralium præcise, neque ex fine, aut motiuo aliquo supernaturali eliciendo Dei præfinitio, & inde ortus præuius Dei concursus, nec supernaturales, neque gratia per Christum erunt: quia, vt præfiniantur decernaturque efficaciter præuius Dei physicus ad illos habitus supernaturalis aliquis non supponitur: quia ipsi actus naturales prorsus sunt, & iuxta Thomistarum, mihique veram sententiam, cum obiectum formale supernaturale nullatenus habeant, sed pure naturale, supernaturales actus illi esse non possunt, quo ad substantiam: quare nec habitum supernaturalem ex parte principij supponere. Quoad modum autem, scilicet quia ex gratia Dei indebito naturæ modo auxiliantis eorum actuum supernaturalitas. Argumento cui ita respondetur est impugnatum manet secundo: adhuc respectu actuum supernaturalium, etsi ad eos habitus supernaturales ex parte principij ad præfinitionem prædeterminatiuam eorum, & decretum efficax de concursu præuio ad ipsos supponendi essent (quod in eorum doctrina locum non habere inferius ostendam) nec præfinitio eorum actuum, decretumue concurrendi ad illos, ac præuius concursus formaliter supernaturalis esset. Siquidem habitibus illis ex prædicato causæ secundæ, ex quo essentialiter subordinantur primæ in operando ea indigentia, & exigentia præfinitionis, præuijque concursus diuini competit: prædicatum autem illud formaliter supernaturale non est, vt patet: quare nec titulus, & exigentia, quæ in ipso fundatur; etsi habitus, in quo

quo reperitur, supernaturalis sit: ac proinde, & prædicatum illud ac titulus in eo fundatus materialiter supernaturalis solummodo est; ast, tam hic, quam, quæ ob illum à Deo decernuntur, & donantur, supernaturalia, & vltra debitum naturæ, atque ob Christi merita, & ex eius gratia formaliter, nec sunt à Deo decreta nec donata: quia id solum formaliter supernaturale est, & supernaturaliter à Deo decernitur, & donatur, quod titulo supernaturalis formaliter prædicati rerum à Deo decernitur, & donatur.

3. Ecce vbicatio habitus supernaturalis, non est supernaturalis formaliter, quia decernitur illi daturque à Deo titulo prædicati entis, quod supernaturale formaliter non est, atque idem ipsum formaliter in entibus omnibus naturalibus inuenitur; etsi in supernaturalibus habitibus, in quibus identice est, materialiter sit supernaturale prædicatum. Confirmatur, & explicatur clarius in sententia satis communi Philosophorum, qui sola quantitatis præsentia accidentia omnia vbicari censet; quæ vtique etiam naturalis pro habitibus supernaturalibus, imo & eadem quæ pro naturalibus erit. Quod ipsum de habituum duratione si à durante distinguatur duratio dicendum omnino est. Tertiò cum habitus supernaturales ad supernaturales actus eliciendos potentia naturali dentur, vt eis vtatur, atque prohibit, & ex natiua sua potestate indifferente, & dominio (si libera potentia sit, (vti ad supernaturalium etiam habituum vsum libera est creata voluntas) sit plane præfinitionem, & concursum præuium voluntatis intrinsecæ, & natiuæ potentiæ, æque eis habitibus vsuræ pro libito, & ex naturali suo dominio, & potestate indifferenti à Deo decerni, & donari, non autem supernaturalibus habitibus, qui eius potestati, quoad vsum subduntur, etsi, vt eius complementa ex parte actus primi supponantur. Nec refert habitus illos esse totam virturem, & rationem agendi actus supernaturales in horum sententia. Primò: quia statim ex sententia præfinitionum, quam modo impugnamus, deducemus habitus supernaturales, non totam quidem, sed nullam virturem, & rationem agendi esse posse. Imò nec dari in nobis habitus supernaturales ad supernaturales actus vllos, quo tota solutio, quam modò infectamur penitus euanescit.

4. Sed quocumque modo ea sententia de tota ratione, & virtute agendi actuum supernaturalium pro habitibus supernaturalibus explicetur, suas tamen partes in illis agendis voluntatis, siue *vt quod*, siue in ratione potentiæ actiuæ, etsi non *vt quo* & in ratione virtutis deferunt deferreque Thomistæ voluntati nostræ necessario debent, ne Tridentino aperte, & hæreticè aduersentur: & earum partium ratione vsum supernaturalium habituum potestati dominio, & facultati indifferenti de se voluntati nostræ subdi, ac subjacere: ex quo impugnatio hæc tertia perstat firma. Nam præfinitio, & concursus præuius Dei ad determinatam eorum habituum vsum necessarius, ei qui Dominus vtendi eis habitibus est. Tituloque eius dominij, & indifferentis potestatis habendi à Deo, ac præparandi sunt; non autem eis qui suæ, quoad sui etiam vsum, potestatis non sunt, scilicet habitibus supernaturalibus: cum autem indifferens illa de se potestas, & dominium voluntatis, quoad habitum, etiam supernaturalium, vsum, natiua, ipsique ingenita, & naturalis sit, præfinitio quæ eius dominij titulo à Deo haberur, & concursus præuius, qui eo etiam titulo ab ipso voluntati donatur, naturalis, itreque naturæ debitus erit, non supernaturalis, gratiaue Dei per Christum.

5. Ne vero æstimes nos eidem difficultati, & absurdo subiacere: etenim neque gratiæ auxilia ex meritis Christi nobis ad quoslibet honestos actus, etiam pure naturales, quoad substantiam, data, vt fatemur, æque, decretum prædestinativum, & de facto conducens ad eos actus eliciendos, quod supra nostræ, imo & totius naturæ vires, & exigentiam concipit Deus, cum concursu, ac decreto concurrendi, quod titulo potestatis indifferentis, & dominij ad vsum, & suæ virtutis, & cuiusvis potestatis sibi adiunctæ ad actus eliciendos Deus concipit, & ex quo pro voluntatis libito concurrit identificamus: quare etsi decretum concurrendi (quodcumque sit) eo titulo à Deo habitum, nec supernaturale, neque è Christi meritis sit, vt dicebamus; tamen prædestinatio, & voluntas quæuis diuina nobis auxilians, & auxilia ex illis collata, siue, vt absolute eos actus possimus, siue, vt de facto eos actus operemur, supernaturalia saltem quoadmodum sunt, si actus naturales quoad substantiam sint, atque è Christi meritis, & decreta illa à Deo concipiuntur, & conferuntur auxilia. Cæterum cum Dei concursum cum voluntate nostra non præuium, sed identicè nostrum comitari asseramus ad supernaturales actus supernaturalem esse absolute asserimus, sicuti, & concursum nostrum: quia vterque concursus cum concursu habitus supernaturalis identificatum, etsi quatenus à nobis, & à Deo, quatenus ex se est suam cooperationem afferente, & dominio, ac potestati voluntatis; quoad vsum eius, & habitus permittente supernaturalis non sit. Decretum autem quo eo titulo concursum non prædeterminatiuum offert voluntati omnino est naturale, vt contra Thomistas dicebamus: neque concursus, si præuius esset, vt Thomistæ volunt, altioris ordinis absolute esset, ob rationem datam: quia etsi de concursu, cooperatione & operatione supernaturali sit, tamen titulo, & ex motiuo pure naturali conceptum illud decretum à Deo est, vt diximus; nec nostræ operationi supernaturali identificatur, cui præuius horum sententia est, ac natura præcedit.

5. Vndecimum absurdum principale (& quo, vt dixi solutio argumenti, quo decimum absurdum probabamus prorsus euertitur) contra præfinitores prædeterminatiuos est. Omnem habitum supernaturalem cum in via, tum in patria esse omnino superfluum: quare ne vtrobique à Theologis, si præfinitiones prædeterminatiuæ admittantur esse admittendum. Hoc autem, & contra ipsorum Thomistarum doctrinam est: Siquidem si ij habitus non sint, non tota virtus, & ratio agendi actus supernaturales & mordicus contendunt ipsi) sed nulla prorsus eos agendi ratio, & virtus erunt: Siquidem quod non est nec ratio, & virtus agendi aliquid, neque aliquo modo, siue, *vt quo*, siue, *vt quod* alicuius actiuum esse potest. Sed hoc, etsi ipsis inconsequens incommodum, & ingratum esset, veritati tamen, & Theologiæ gratissimum foret: siquidem à dissona ea opinione deterrerentur. Absurdior tamen est ea habituum supernaturalium sublatio. Quandoquidem eos negare, siue in patria, siue in via temerarium, & erroneum est: atque de habitibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis in via hæresis expressarum in Baptismo paruulis etiã (in quibus earum virtutũ actus locũ non habent, sed habitus solum) fidem, spem, & charitatem infundi definitum à Tridentino sit. Quod autem admissis eiusmodi præfinitionibus prædeterminatiuis ad actus supernaturales, & præuiis Dei concursibus & præmotionibus physicis, quas concernunt, nostrisque voluntatibus ad illos eliciendos deferunt, ac deuoluunt, supernaturalibus quidem, vt catholice debent aduersarij tueri, atque ex meritis Christi, nec solum ex naturæ iure, & titulo à Deo concepcis, & datis supernaturales habitus ad illos actus eliciendos superfluant, sintque proinde & Theologia, & medio, vt dicitur, tollendi facile ostenditur.

7 Etenim, quoties ex parte principi' actiui inuenitur id, cui omnia prædicata effectus, seu actus sufficienter respondent, quodvis aliud comprincipium ex parte principij illius ad eos effectus, & actus superfluit, estque in omni bona philosophia, & Theologia ex parte principij relegandum: atqui posita præfinitione prædeterminatiua supernaturali, & ex meritis Christi ad actus supernaturales in earum coniuncto inuenitur ex parte principij actiui id cui omnia prædicata actus supernaturalis sufficienter respondeant ergo posita præfinitione prædeterminatiua voluntatis ad actum quemuis supernaturalem, quoduis aliud comprincipium, ac proinde supernaturalis habitus ex parte principij, ad eum actum superfluit, estque in omni bona philosophia, & Theologia relegandum. Maior est axioma, dignitas, ac definitio causæ tam absolute, quam in quouis causæ genere, adæquatæ ab schola tota Thomistica, potioreque, & maiore